

*Bibl. Kemmer*


*Stockholm*


*En avant, toujours en avant!*



CB1002437067


FRXVI/38














HIERONYMI  
OSORII, LV-  
SITANI, EPISCOPI  
ALGARBIENSIS,  
DE REGIS INSTITVTIONE  
ET DISCIPLINA,

LIBRI OCTO,

*Ad Serenissimum & Inuictissimum LV SITANIAE  
REGEM SEBASTIANVM primum.*

In eodẽ Lib. Praefatio & rerum memora-  
bilium index.

*Leonhardus Rosenstrane*



COLONIAE,  
In officina Birckmannica, sumtib.  
Arnoldi Mylij.

Anno cl. Is. LXXXVIII.

*Cum gratia & priuilegio S. Ces. Maiestatis.*

1588





AMPLISSI-  
MO, NOBILISSIMO,  
PRUDENTISSIMOQ. VI-  
RO; CONSTANTINO LISKIR-  
chio, Consuli primario, inclytæ liberæq.  
Reip. Colonienfis; Io. Matalius  
Metellus. I. C. Se-  
quanus.



VEM ADMODVM corporibus,  
Amplissime Liskirchi Consul, hu-  
mores noxy morbos adferunt; illa-  
tos etiam exagitant: & quæ hu-  
mores sensim secusue vnà colligun-  
tur, qua influunt, caussam præbent, cur morbus vires  
lente, vel vehementius, intendat: aded, vt is prima  
quædam habeat initia, dein progressionem faciat;  
ac demum, ad aliquem statum, in quo consistat, per-  
uenire consueuerit, postremò verò, deminuat: ita;  
illorum animi, qui Reip. clauum tenent, vitijs infe-  
cti, & deformati, moribus: rectam omnem Reip. quæ  
corpori, cuius membra omnia, ad caput referuntur,  
est similis; gubernationem; vel partem eius aliquam,  
magna cum multorum hominum calamitate, per-  
turbant, & inuertunt. Siue enim vnus in Republica  
rerum potitur: siue pauci multiue, res admini-  
strant, vbi sanè, mala horum mens, malus horum  
animus sese prodit: vbi, non in vnâ tantum virtu-  
tem spectat; in. mo, ira, odio, ambitione, vel cæteris

## EPISTOLA

corruptis adfectionibus permouetur: facile illi, à via  
 deflectunt: ac toto quasi, quod aiunt, celo errant.  
 Quo fit: vt Rex, ex iusto legitimoque imperio, Ty-  
 rannidem efficiat: & ex Optimatum statu, illa eor-  
 rum, qui sunt improbi, gubernatio; ducat originem:  
 vera autem populi libertas, in insana multitudinis  
 licentiam mutetur. Sed & verò: vti Medicina facul-  
 tas; humores illos, qui corpora morbis excruciant, to-  
 tos prorsus; exhibitis in id pharmacis, eijcit: vel con-  
 tumaces repugnantesque, saltem coercet: aut leuiter  
 peccantes, veluti sedat: & hoc modo, pristinam va-  
 letudinem, agro restituit: sic certè Philosophia; quæ  
 sola, sapientiæ parens dicitur; quoniã, contraria cu-  
 rari contrarijs, certum est; pertinaces mentis pestes  
 illas ex animis rectorũ Reip. vna pulchritudine, ma-  
 iestateque virtutis, ob oculos, ad imitandũ, posita; ra-  
 dicitus euellit: ac dicto, eos, qui illis animi morbis la-  
 borant, audientes; perfectissime sanat. Philosophia  
 enim hoc est, diuinarum, humanarumque rerum sapi-  
 entia, perturbatos animi motus, moderandos esse do-  
 cet; atque etiam, re ipsa reprimit. Qui ergo, res gu-  
 bernant; si intemperanter adficiuntur; proculdubio,  
 in eam ferentur partem; in quam, concitatus ani-  
 mus eos impellit. Actiones enim omnes nostræ, mo-  
 tum ab animo capiunt. Dux igitur, & rector, est a-  
 nimus; eorum, quæ nos agimus: siue bona illa sint;  
 siue in malis quoque, numerentur. Itaque: non medio-  
 criter interest; animos, optimis Philosophiæ præce-  
 ptis, imbuere; ac variarum nationum institutis, & ex-  
 emplis; ad feliciter, ac prudenter, res gerendum; di-  
 ligentius.

## D E D I C A T O R I A.

*ligentius informari. Qui ergo; rectè Respublicas  
 constitui, & administrari; conseruarique modo, in  
 tam corrupto rerum statu; posse iudicant: præcla-  
 ram illam, Platonis sententiam; vti Christianam,  
 amplectuntur: meritoque, tamquam diuinam; lau-  
 dant. Optimam enim Reip. formam describens:  
 „ Nisi; inquit; Philosophi, ciuitatibus domi-  
 „ nentur; vel hi, quos nunc Reges, & Potentes  
 „ adpellant, verè, & qua satis est, philosophen-  
 „ tur in idemque ciuilis potentia, & Philoso-  
 „ phia concurrant: pleraque nunc autem, seor-  
 „ sum ad alterutrum tendentium, ingenia;  
 „ necessitate quadam excludantur: non erit  
 „ ciuitatis vel, vt mea fert opinio, hominum  
 „ generi; requies vlla malorum: neque prius  
 „ hæc Respublica; quam verbis exposuimus,  
 „ ad eam, quam potis est, magnitudinem ex-  
 „ crescet; lumenq. Solis adspiciet. Etsi igitur;  
 eos, qui gubernacula susceperunt: omni doctrina ge-  
 nere, quam Philosophia ista comprehendit, cumula-  
 tos esse decet: in duabus tamen rebus, administrandi  
 felicitas; bonitate videlicet, atque sapientia; potissi-  
 mum posita est. Bonitas; ad virtutes omnes, ac pro-  
 bos mores; sapientia verò; ad ciuilis prudentiæ scien-  
 tiam; pertinet. Sapientia autem hac, siue pruden-  
 tia, Philosophica gubernationis Rerumpublicarum;  
 ad tria, quo paucis maxima contraham: id quod;  
 experientia, plurimi quoque didicerunt; atque con-  
 stat: præcipue refertur; in ijsque consistit. nimirum;  
 in rebus sacris, ciuilibus, ac militariis: ex vsu ciuil;  
 ad publicam vtilitatem; gerendis, atque procuran-*



## EPISTOLA

dis. Et, hæc eadem, ad vniuersorum statum spectant. Quæ si bene constituentur: felix fere semper erit, nisi fallor, Respublica. Si enim in ea, Religionem si Iustitiam: si Rei militaris disciplinam: diligenter obseruabimus: & quacumque etiam eo pertinent, procurauerimus: ciues obibunt, vt oportet, sua quaque munia, & vnà omnes in officio retinebuntur: otioque, ac florenti pace, fruetur Respublica. Sed in horum singulis: & quæ ex quoque manant: ad veram eius administrationem, perscrutandis, & expediendis: quanta scientia sit opus, & qualis requiratur virtus: qualis vsus; experientia, illa rerum magister, non obscure testari potest. Nam quo primum de Religione dicam: an non eius in Repub. Christiana dissidium, siue de Fidei dogmatibus, siue de Ceremonijs, siue Ecclesia moribus fiat: multis prouincijs perniciem adtulit? Quò ergo, Religionis controuersia: quacumque ex causa coorta illa fuerint: saltem civili modo, ne statum Reipub. perturbent, componantur: Regis; aut Principis, siue Magistratus auctoritas: ad exequendum, quæ de ea Ecclesiasticus coetus Magistratusq; constituit: cum primis requiritur. Auctoritatem verò, quis nam Magistratus interponet: nisi qui rem, qua de controuertitur, per se, vel per idoneos saltem, & eruditos, intelligat? Res autem qualis? Ea, quæ Dei cognitionem: & salutis, ac fidei nostræ disputationem: complectitur. Quod si tamen, Religionis curam Rex negliget: vel eam, pro animi libidine, gubernabit: quæ inde mala consequantur: nemo est, qui nesciat. Sed: eo studiosius in  
eam,



## D E D I C A T Ō R I A.

*eam, omnes oportet incumbere : quò animus, longè ipso corpore nobilior est. Si animus antecellit : ergo ne populus, in Religione fluctuet. Respub. inquam pura Religionis doctores habeat : quorum integritas, vitæque probitas, sobrietas, castitas, & pietas exempla viua, viua quidem, vice mortuorum librorum ad bene, beatè, sanctèque viuendum, & mores emendandos, tum componendos amplè suppeditet. Nam nulla alia re, homines æque in officio retinentur atque vinculo sincera Religionis. Id quod rerum euentus ostendit : cùm tota sit in pietate sita pietas erga Deum, & homines, exerceatur : hominum verò iure patria, parentes, propinqui, ceterique, censeantur. Quare inter omnes Religionis causa, amicitias firmas conciliat : & odia quoque, creat intestina: vti proximum decennale ciuile bellum Gallia, testatur. Itaque qualis hominum Religio est: tales & eorum mores, esse solent. IUSTITIA ergo: non ea solum cælestis qua à Deo iusti per Christum, Dei Patris Optimi Maximi, Filium, dicimur: sed etiam ciuilis illa Philosophorum & Iurisconsultorum, ex illa tota pendet. Hac iure, ac moribus in personas, vel res, vel actiones, intuens contractus, vltimam vita functorum voluntatem, & iudicia eorumque ordinem ex verborum interpretatione, mentisue cõiectura, vel æqui iniquiq; discussione declarat. Est autem omnino necessaria; Reipublicæ gubernanda. Cùm enim, illud Adæ primi nostri parentis peccatum, animis nostris hereat: natura planè corrupti, deprauatiq; sumus: ne nos, mutua charitatis offi-*

*cia, toties nobis, à Christo commendata, quem ad modum decet, præstemus. quin certè contra diuinas summi illius ac præpotentis Dei leges infinita cottidie patrantur. Quare necesse fuit: ciuili quadam disciplina, extrinsecus adhibita, pœnas criminibus indicere, quo cohibeantur à scelere facinorosi. vetare multa: iubere plurima: permittere nonnulla. in quibus quattuor capitibus, omnis ciuilis legis vis, ac virtus, consistit. Disciplina igitur, hæc constituta est: qua cuique, quod suum est, auctoritate Magistratus, tribuatur. Itaque: ne quis potentior infirmum adficiat iniuria, prouidit, atque cauit. Tum enim Reipub. tranquillitas conseruatur: si ciuibus, iniuriarum licentiæ fuerit paulo seuerius interdictum: siquæ, omnia inter ciues, rerum ordine iuste seruato: ex equitate constituta: quæ equitas, legum norma est: ac neruus, & anima gerentur. Quemadmodum enim: in fidibus, vnà, dissimilium vocum concentus vnus, efficitur: si fides, ex aurium iudicio, cõcorditer intenderit: easquæ rectè fueris moderatus: licet, alioqui sonum illa remissiorem reddat, altiorrem altera, tum alia leuiorem: ita in Republica ciuilis hæc æquabilis iuris facultas: à sapientissimis, maximisque uiris, inuenta est: quò Magistratus, ex eius iuris legibus, omnes controuersias definiat: litesque prorsus dirimat: &, de re quacumque certantes, in concordiam redigat. vt ciuitas: quæ ex summis, & medijs, & infimis Ordinibus, constat: ijs, tanquam sonis interiectis, moderata plurimorum sanè consensu, vt ita dicam concinat. Ad concordiam*

## D E D I C A T O R I A .

*am igitur, inter ciues alendam ius omnibus ex aquo  
 ac bono reddi, conuenit. Dicere verò ius quis potest  
 qui eius fuerit imperitus? S E D E T S I* legibus  
*omnes viuimus: multi tamen sunt qui, animi per-  
 turbationibus deuicti, multa proculdubio contra ius-  
 tissimas etiam leges, faciunt. & si potentia prae-  
 terint: vim quidem adferunt. neque se, rationis me-  
 tis includi: nimirum rigidi vel potius ferociter in-  
 humani patiuntur. Quò sit: vt, cum Rex vim, à suo-  
 rum ceruicibus, eorum praecipue, qui sunt innocen-  
 tes: repellere teneatur: est enim suorum, patriaeque  
 tutor: idque iure liceat: regnum certè, neque Res-  
 publica, sine armorum robore consistat. Latè verò,  
 patet, rei Militaris scientia. Neque sola ipsa: Regi,  
 Magistratuiue, sufficit. Summam cum ea, virtutem  
 ipse coniungat: virtus, ipsi auctoritatem, auctoritas  
 militem: miles, in conficiendo bello, fortunam: con-  
 ciliabit. Bella autem, si auerti queant, non sunt o-  
 ptanda. Nec omnia, sed iusta tantum, debent susci-  
 pi. quia: vix est quin magnas semper calamitates  
 inferant. Suscepta quoque cum primum deleri,  
 quà fieri queat, oportet praesertim paciscendo. Pax  
 etenim optimis prudentissimisque, viris, in primis Re-  
 gibus Christianis, potissimus scopus esse debet. Fœde-  
 ra cum alijs ferire, contra nimias hostis vires: per-  
 petuum, ni fallor, fuit. Itaque: administrandi, ge-  
 rendique belli consilia: & in Rege, & in Republica:  
 quo damna arceant: atque suos, ab aliorum iniu-  
 rijs, tueantur in confesso est requiri. Ergo: qui illi  
 quoque expediant, habendi sunt. Adhac pecunia in*



## EPISTOLA

primis necessaria. Duabus enim rebus, potentia, uti Iulius Cæsar censet, comparatur, conseruatur, & augetur pecunia videlicet, & milite sesequæ hæc eadem, mutuo consequuntur. Nam, exercitus commeatu retinetur: rursus, commeatus armis queritur. Sed aperte liquet: ad Rempublicam firmè fundandam: & Religionis, & Iustitiæ, & Rei Militaris sapientiam Regi in primis, cateroque Magistratui, longè profectò, necessariam & esse, & videri. Vnde: futilis eorum sententia, risuque planè digna est: qui, ea, Principes viros, Resque publicas, carere posse sentiunt. quasi peritorum ab ijs delectorum consilio ipsi, interim rerum omnium securi res melius administrarent. Quis enim fiat, ut num rectè, an malè, res ipsorum gubernentur: verè sciant: si, minimè præstant, earum rerum intelligentia? Et: in rebus consilia, quacumq; de re habeantur: siue de fœderibus, siue de pactis ineunda, pacis siue de fugandis hostibus, inferendoue bello de socijs, de pecunia, & reliquis huiuscemodi, suscipiuntur: primum omnium, ea proponantur oportet: proposita dein disceptantur: disceptata constituuntur: conclusa demum, exsequi ea necesse est. Quid in his verò Rex, vel Magistratus: qui rerum earum fuerit ignarus? Prudenter ergo faciunt: qui Reges atque Principes: cum primum per atatem licet administrandis rebus adhibent: quò statim, vel ex usu, rerum ciuilium cognitionem, atque scientiam, adsequantur. Oculis enim, palamque cernimus: eas Respublicas, ac Regna: quibus hæc ciuilis scientia defuit: imprudenter, in graues



## D E D I C A T O R I A .

ues incidisse calamitates vel penitus etiam concidisse. Aded, vt Sacra litera: Regno cuius Rex sit puer infauita: quod ea etas, non est prudentia, ad id gubernandum sapientiaque, capax, infeliciaque: veluti de Scotis, & Gallis, tot rerum suarum, hoc tempore, conuersionibus addidit: minentur. Q V O N I A M igitur ex superiore Platonis sententia, summis hisce tribus Religionis, Iustitiæ, ac Rei Militaris, capitibus illustrata & adcommodata: viri Reipublicæ regendæ præpositus: idem & bonus, & vnà prudens esse debet: probitas hæc autem, & sapientia, duabus illis Philosophiæ partibus: vna, quæ morum altera, quæ ciuilibus prudentiæ, scientiam habet comprehenditur: necesse est, fateri: ex puris Philosophiæ fontibus, Reipub. rectè constituendæ, ac regendæ, doctrinam, hauriri. Et cum hæc Philosophia, virtutes tantum, probet: in nullos probo præcipuè, prudentiæque viro, vitia ferat: consequi iure, ac merito, oportet, eam tantum Rempublicam felicem fore: in qua; vitijs sublatis, virtutes excolantur. Multi ergo libri, scripti sunt; à sapientissimis viris: qui, omnium virtutum; ad beatam vitam, officia, dignitatemque; atque, quàm illæ, ad felicitatem illam, vtilis, ac necessaria sint; explicarent. Sed, cum demum nos rerum vsus docuisset: tantam esse imbecillitatem generis humani: vt; ostendisse quid turpe, quid honestum sit: minimè quidem; quò turpia declinamus, & honesta sectemur; sufficiat: immo; præmijs, supplicijs; & externa quadam, quemadmodum supra de Iustitia significatum est, disciplina; homines, ad offi-

## EPISTOLA

ad officium esse cogendos, & ad suafaciendos: vt, amore virtutem, prosequantur: reliquum erat; alios scriptores oriri: qui talem Reip formam in disciplina, legibus, & Magistratibus firmatã, constituerent. cuius beneficio, nos id consequeremur quod natura, ac sponte, non prestamus. Satis autem à re ipsa, rationeque, liquet: hæc etiam legum præsidia fore ipsa certè inualida: nisi, summi Magistratus, qui illis præsent; ipsi, & suos ciues, ad eas leges obseruandas, cohortentur: & eosdem cessantes, aut alioqui negligentes quoque, coerceant, cogant, & puniant. Quod ad nos sanè Christianos, attinet: haud procul ab ea felicitate nos abesse, video. Nã: Sacra litera nobis, eam viam muniunt. quia perfectissimã Iustitiæ formam, præbent: & pulcherrimã insuper leges, tam Ecclesiastica, quàm ciuiles: eo etiã, nos non solum inuitant; & iuuant: sed &, quasi manu, ducit. Hoc igitur est; quod diuinitus Plato scripsit: nos; finem malorum, in Rep. spectare, vel sperare non posse: nisi, si, maxima bonitas, atque sapientia; simul, in Repub: coniungantur, summæ potestati. Quare: necessario post contigit: vt; qui ingenio; doctrina, prudentiaque, præstitere: ij; summos Magistratus, qui Reges ac Principes adpellantur; formandos, instituendos, erudiendosque; libris editis, susceperint. Itaq; de Regno, ac viri Principis officijs; multi in eam sententiam multa præclare, diligenterque, præceperunt. Quoniam; sibi persuaserant: si caput ipsi prestare sanum possent: reliqua etiam membra; vel magna ex parte; sana fore. vbi is

inquam

D E D I C A T Ō R Ī A.

inquam; in cuius est manu, ciuitatem reddere felicē,  
 atq; beatam, eo perduceretur: vt id hoc ipsum, quia  
 potest; prestare vellet. Et; cū Reges, ac Principes vi-  
 ros, ceteris animaduertent, vel consuetudine qua-  
 dam, vel iure, præponi: &, ob id, putari antecellere:  
 etiam; in ijs erudiendis; vtilitatis publicæ caussa du-  
 cti; multo plus quidem, quàm in reliquis operæ, ac  
 laboris, insumendum esse; duxerunt. Quoniam,  
 Principum virorum errores; maius ampliusq; quàm  
 vllorum priuatorum peccata, damnum inferunt: la-  
 tiusq; diffunduntur; & patent; in quorum vitam, et  
 actiones, oculos; vniuersi conijciant. Soli nimirum  
 Principes viri; multorum salutem secum, vel exiti-  
 um, ferunt. Itaque; si caput, vt repetam, Philoso-  
 phi sanare possent: proculdubio futurum esset: vt,  
 in ciuitate, beatus ille Reipublicæ status, aliquando  
 cerneretur. Vnde: eo olim, veteres; neque pauci, tum  
 Græci, tum Latini: & hoc etiam tempore; diuersis,  
 variarum gentium, prouinciarumq; linguis, pluri-  
 mi: in hanc doctrinam, toti incubuerunt. relictis, ea  
 de re, egregijs ingenij, laborisque sui, monumentis.  
 I A M V E R O: post illos, Hieronymus Osorius,  
 Lusitanus; excellentis ingenij, iudicijq; vir; eam  
 disciplinam postremo omnium, octo libris est comple-  
 xus. Quomodo; ad Reip gubernationem; & quibus  
 rebus, Rex instituendus sit: & quibus virtutibus or-  
 nari debeat: explicauit. Tota autem, Regiæ disci-  
 pline, ijs comprehensa disputatio; inter quattuor  
 personas, Dialogorum more mixtas, conficitur. cum;  
 suam quisque sententiam, habito vltro citroque ser-  
 mone.



## EPISTOLA

*mone, tueatur. In his tamen, primas partes agit Oserius. Quæ enim alij adferunt: quidnam, in ijs, vel probandum, vel improbandum esse, videatur, definit. Quæ definitio, paullo nonnumquam longius; etiam in consequentes libros; propter aduersarias, easque prolixas, illorum dissertationes; differtur. Etsi autem nihil, quod in hac disciplina dici queat, ab illis superioribus scriptoribus prætermisum videri potest: vnde; fortassis; vel nihil fere, Oserius noster in re, tractanda, nouum; vel pauca quidem; adferat: minimè tamen, vel frustra hanc operam sumpsisse, vel actum priorem egisse; credendus est. Nam: si quis plura; apud alios; huius Regiæ disciplinæ præcepta tradi contenderit: per me, hoc detur, sed; ex omnibus præstantissima delegit. addidit etiam, quod caput est; suis nonnumquam locis, quæ ipsum hæc ferox euentuum etas: quæ vsus recens aulæ multiplex, ac varius; & quæ aliquot præcipuarum nationum; in quibus, excolendi quoque ingenij causa, vixit; peregrinatio: tum, quæ ei denique, cum doctissimis, sapientissimisq; viris, perpetua fuit: & cum principibus etiam, vel intima, consuetudo: quibus rebus, iudicium verè perficitur, docuerunt. At: quia regibus in id, in quod incumbit, alia vis adhiberi, nequit: nisi, quàm ad persuadendum, vel lectorem mouendum, præstare potest oratio, suis omnibus numeris, & ornamentis, ac neruis, instructa: hanc ille, præ ceteris omnibus scriptoribus: in hisce libris, adferat. Quos scriptores: non aliquot: sed post Ciceronem, vel in multis ab hinc annis, ni fallor, omnes: in hoc argu-*

*mentis*

D E D I C A T O R I A .

menti genere versatos: ipse firmis eloquentia viri-  
 bus, & purissimi sermonis elegantia, longo quidem  
 interuallo post se relinquens; superat, vel primis sal-  
 tem, par est. De qua eius, & in ceteris, eloquentia:  
 nemo etiam; qui præclaris illius, de Nobilitate, & de  
 Gloria, ac Iustitia, libros perlegit: quidquam dubi-  
 tet. Et ego verò de hac, vnus inter multos; tum de e-  
 ius recondita doctrina, probitateq; summa; locuple-  
 tissimus testis esse, possum. Vnà enim Bononiæ; con-  
 iunctissimis studijs, & animis; integrum prope bien-  
 nium, viximus. Sunt ergo hi libri; non solum, tanta  
 illa orationis vbertate, ac splendore: verum etiam  
 sententiarum gravitate: tum etiam eruditione, à  
 rerum delectu præstanti: cum primis exculti. Nulla,  
 certè, ei desuere præsidia: quibus instructus hanc re-  
 giam disciplinam: cum dignitate, posteritati tradè-  
 ret. Quam ob rem: vbi denuo, hos libros euoluissẽ:  
 auctor Mylio ornatissimo eruditoq; viro, fui: vt  
 eos Germanus, Germanis ederet. Tum quod: Oso-  
 rium Antonio Augustino, Ilerdensi in Hispania Tar-  
 raconensi Episcopo: summa necessitudine coniun-  
 ctum esse, sciam. Et ego Augustinum propter ami-  
 citiam: qua me, domi, multis annis ob communia Bo-  
 noniæ ac Romæ studia, per quàm familiariter est  
 cõplexus: haud mediocriter amo, & obseruo: eiusq;  
 sæpe, vti debeo, recordor. Cur enim eum non obser-  
 uem: qui sibi omnium voluntates: ab ingenij magni-  
 tudine, iudicij dexteritate, doctrina, sapientia, pro-  
 bitateq; deuinxit? I T A Q V E: vt ego pauca  
 quedam: ex multis, quæ Osorij libri tradunt: indi-  
 cem:



cem: ille in ijs virtutes omnes : quibus Rex quo sibi  
 subiectos populos, ipse felices reddat elucere debet :  
 tamquam in aciem, exponit. Profert omnia quoque  
 praesidia : quibus regnum cum Rex, alijs etiam ad-  
 miniculis quo, quod cupit, efficiat indiget: munien-  
 dum est. Describit adultores: & alias Regum pe-  
 stes: quae Principum virorum animos, corrumpere,  
 labefactareque, consueuerunt. Cum vero: in hisce,  
 ceterisque omnibus, quae docet res omnes, propter  
 eloquentiam qua praestat, apertius oculis subiiciat: &  
 egregiam, vt dixi, exhibeat persuadendi vim: cur  
 non, obsecro vtilissimam operam in eo quoque quod  
 ab alijs prius fuit adlatum: posuisse videatur? Dicit  
 mea quidem sententia, vix potest: quanta perspicui-  
 tate, virtutum eminentiam: atque, quasi summa,  
 ex ijs rerum fastigia Regibus, Principibusque viris,  
 explicet. Nam Reges, Principesque viri ea fasti-  
 gia, tanquam magnanimi, consecrari debent: hu-  
 milibus, vel mediocribus: quae priuatis sufficiant non  
 adsurgunt. Ergo: Regiarum virtutum formam,  
 pulchritudinem, atque dignitatem: vt ad earum  
 amorem illos excitet, & inflammet: verborum co-  
 pia: tum maiestate ac sententiarum, rerumque pon-  
 dere: proposuit confirmat etiam & illustrat ac  
 tantis denique viribus, demonstrat eas esse ipsis, ma-  
 xime necessarias: vt Reges nedum alios conditio-  
 nis suae perire oporteat: immo se etiam miserr-  
 mos esse confiteri: nisi, tantas earum opes, atque  
 splendidissimum iubar quo, reliquis, atque populis  
 suis, prae luceant querere contentur. Enimvero: quis  
 Apelles

## D E D I C A T O R I A .

Apelles; p̄nicillo quippiam aptius, exprimat: quàm  
 ipse; omnes illas Adulatorum, & Aulicarum pesti-  
 um artes; depinxit? Adeo: vt si Reges, Principesue,  
 manu versent hosce libros: propemodum vrgeatur;  
 perfidos, fallaces, & exitiosos illos homines in ma-  
 lam crucem, agere. illi verò: cum hinc, detectas om-  
 nes malas suas artes, ac fraudes, esse perspiciant:  
 vltro sese: ante quàm, à Principibus, vel dimittan-  
 tur; vel expellantur: veluti nempè, criminis maxi-  
 mi rei: procul proripiant; & in fugam vertant.  
 quia; publicum omnium odium, & infamiam, ferre  
 non possint. & quod ipsos, à iudicibus metuere; sce-  
 lestissimorum hominum, qua ipsos manent, pœnas;  
 necesse sit. Sed &, eadem orationis tum copia, tum  
 eloquentiæ vi, & elegantiâ, de Regis præsidys, & de  
 ceteris rebus omnibus; agit. Quare: etiamsi, nihil;  
 præter eos, qui ipsum antecesserunt: id quod tamen,  
 secus est; Osorius noster, adferret: dignissimus tamen  
 est: qui post alios omnes, diligenter euoluatur. Ma-  
 iorem porrò laudem, huius operis confecti gratia;  
 promeretur: quod: cum libere omnia proponat, at-  
 que moneat: minimè quidem dubitauit: hosce, li-  
 bros in Regis sui, atque omnium Lusitaniæ Proce-  
 rum, manus: quo & ab omnibus perlegerentur: vel  
 etiam expenderentur: offerre. Vnde: copiosorem  
 quoque laboris sui fructum, in vniuersa Lusitania;  
 id quod vnum solum spectasse, certè credendus est;  
 merito sperare potuit. Nam: vix esse alium vllum;  
 ex omnibus quos in Lusitania virtus: probitas simul,  
 & eruditio: nobilitarunt: multi referant: alium in-

## EPISTOLA

quam, tam regi, quàm Proceribus, notior sit; aut  
charior: hos eius libros, ab ipsis proculdubio, lectum  
iri, pro certo habet. Eum & Siluensis Pontificalis  
muneris summa dignitas; & eloquentiæ facultas;  
doctrinæ celebritas; & prudens simplicitas; ac singu-  
laris humanitas; atque pietas, ita commendant: ut  
ipsum; plurimi, non solum ament, & colant; sed etiã  
reuerentur. Quæ res, effecit: ut; inuanda per Re-  
gem Reipublicæ, patriæquæ cupidissimus: suos hosce  
libros, ei primum exhibuerit: & per eos demum;  
qui apud illum, pietatis nomine, plurimum possunt;  
ij, quales essent; quidquæ illustre, Regiæquæ Maiesta-  
te, dignum, & utile, continerent; exponi curarit;  
Quare, verisimile quoque est: in Lusitanorum ma-  
nibus, adsiduos, frequentesq. fore proinde: pulcher-  
rima præcepta; quæ tanta orationis suauitate con-  
didit; maiori sanè vi, in animum Regis sensim instil-  
latum iri. Libros hos igitur, aliquam saltem utili-  
tatis partem, ipsi Regi; & per Regem, patriæ qui-  
dem quem ad modum optauit; adlaturos. Itaque:  
quia vnum sibi præcipuum scopum ijs præfixit: à re-  
ge scilicet suo, non oscitantes, ad publicam utilita-  
tem esse legēdos: ob eam quoque causam; magis na-  
tura sua indulsit: quæ; vberissimo hoc, & Asiatico di-  
cendi genere, delectatur. Sic fit: ut interdum; copio-  
sè magis, quàm subtiliter, de propositis quæstionibus,  
in animum induxerit disputare. Nusquam tamen  
ita differit; nusquam ita certat: quin, ex intimis Aca-  
demice Peripateticæquæ Philosophiæ penetrabili-  
bus eruditissima, præcepta petat. Postremo: non Re-  
ges



## D E D I C A T O R I A .

ges tātum, & Principes, Proceré sue; his ex libris vtilitatem capient: sed omnes etiam, præsertim bonarum artium studiosi; maximam; à præcipuarum, rei quæ traditur, quæstionum discussione; consequentur. Nam: omnium prope virtutum de moribus, naturam; atque dignitatem; quin &, vtilitatem; qua satis est, exposuit. Quamobrem; omnes hortor: eos præsertim; quibus otium non est; vniuersos, de hac Philosophiæ parte, qua, hæc Regia disciplina cõprehenditur, libros excutere: vt; in hisce Osorij potius, quàm reliquis, operam nauent. quia: ex omnibus; is, multo potiora, præstantissimaquæ delegit; quæ, ipsi argumento, ac rei, conuenire videantur. Eo etiam adcedit: vt hæc eadem; propter egregiam illius dicendi facultatem, & eloquentiæ robur: non modò, maiore cum voluptate, quàm cæterorū libri, legantur: verum etiam; ampliozem, in promouenda virtute fructū: quoniam; eo cum primis ingenij neruos intendit; quo, quemadmodum dixi; persuadeat: lectori comparent. C V M igitur, Amplissime Consul Liskirchi: hi de Regis institutione, disciplinaq. libri: sint ita verbis expoliti; & liberaliū artium atq. sapientiæ luminibus illustres: scriptor verò Osorius; virtute, pietate, doctrina, & auctoritate; clarissimus: merito, eos, omnibus vtilis fore cēsui: ac proinde, dignos, qui celebris nominis tui auspicijs hinc emissi, in omnis Germanicæ nobilitatis erudita manus veniant. ac ferrent etiā, omniū oculos in Germania; qui vtilis sanè Gallis, Italis, & Hispanis: imo si finis eorū expendatur, vniuersis; esse possint. Tibi quidē, præ cæ



## EPISTOLA

teris, à me debebantur: quòd à te, magnis beneficijs; quòd in hac vrbe vixi; & à nobili, eruditoq. viro, Ioanne filio tuo; semper fui cumulatus. Itaq. quia paternum tuum genus; Annales vestri, & còmunis ciuium vestrorum opinio; ad veteres Romanos illos, qui hanc urbem, Coloniam deduxerunt, atque fundarunt: recto vt aiunt stemmate, referunt: non queunt semina illa antiqua, verèq. nobilitatis, ita sterile scere; quin rediuiua, egregios humanitatis fructus, etiam in exteros homines, exerant. Innocentes enim & afflictos, contra quorundam audaciam & furorem. quod est præclaræ nobilitati proprium; defendisti. Regia ergo his libris explicata disciplina, nobilissimorum virum decuit. Multò magis: quod & tota disputatio, ijs comprehensa; ad Reipublicæ gubernandæ præcepta, pertinet. De quibus, tibi est integrum: propter maximarum rerum prudentiam; tum etiam, optimarum artium, quas didicisti, cognitionem: vti sincerè; ita etiam eruditè, verèq. iudicare. Quis enim nesciat; te, legationes perquam multas, & eas insignes; ad summos Principes, & Ordinum Imperij Comitia, obiuisse; neq. sine, vt liquet, magna tua laude; fructuq. Reip. Porro: atatem in rectè ea administranda gubernandaq. triuisti. Quo nomine; tibi tuisq. deuinctam esse omnes viri boni sentiunt: multi certè, prædicant. Quæ laus; omnibus opibus anteferenda est. Sed, hæc est insita virtus familiæ tuæ. Et nunc, eo quoque, vir præstans Ioannes filius; in Ciuitatis huius vestræ Senatū nuper cooptatus, & adscitus; vires suas omnes, confert. quæ  
vestigijs

DEDICATORIA.

vestigijs tuis inhaerens: sit & utilis, & honori; patria; ac tibi. tibi videlicet: quem ingenij dexteritate, & iudicij acrimonia; & humanitate atque virtute planè refert. Quanta autem sit in eo viro doctrina; quantamquè in literis operam, & in omnis generis scriptoribus perlegēdis diligentiam, posuerit: eius de Venatione libri; in quibus hac, ego, Ximeniusq. noster, admirati sumus; testabuntur.

KALENDIS SEPTEMBRIS.

CL. IJ. LXXXVII.

COLONIAE VBIORVM.

†† 3

INQVI-

INQUISITORIS LVSI-  
TANI, DE HIS OSORII  
LIBRIS IVDICIUM ET  
CENSURA.

**E**GO F. Bartholomeus Ferreira : Clarissimi Principis Henrici, Cardinalis, Lusitanię supremi Inquisitoris iussu, & Consilij generalis Sanctę Inquisitionis, summa animaduersione ac studio recognoui opus, R. D. Hieronymi Oforij Episcopi Syluensis, & nihil in eo offendi, quod fidei Catholicę, & pijs moribus aduerteretur: in quo quidem opere diligēs lector, pectus verē Christianum, singularemque eruditionem, admirabili orationis facultate exornatum, facile deprehēdet. Cęterum cū hęc omnis tam longa de Regis institutione disputatio, inter quatuor personas dialogorū more versetur: studiosum lectorem admonendū duxi, ne quibusuis sententijs eorum, qui loquuntur, fidē prorsus adhibeat: donec autor operis, quid in ijs, vel probandum vel improbandum sit, definierit. Quę definitio nonnūquā paulò longius dilata, consequentibus libris reseruetur. Hoc enim argumentum octo libris, qui hoc volumine continentur, absoluetur. Quocirca dignissimum censeo, vt hoc tam preclarum opus typis cōmittatur. In cuius rei fidem, iuxta X. reg. indicis sacri Consilij Tridētini, in fronte libri subscripsi. 29. Augusti. 1571.

*F. Bartholomeus Ferreira.*







SERENISSI-  
MVM ET INVICTIS-  
SIMVM PORTVGALLIAE  
REGEM SEBASTIANVM,  
E. N. I.

*De Regis institutione & disciplina,*

HIERONYMI OSO-  
RII EPISCOPI SIL-  
VENSIS,

LIBER PRIMVS.



VAM multa mala in res huma-  
nas inuexerit regnandi libido,  
Princeps inuictissime, Rerūp.  
conuersiones, Imperiorumque  
maximorum ruinæ, & summo-  
rum Regū clades funestissima  
declarant. Quæ enim gens rerum gestarū glo-  
ria præstans, non hoc morbo concidit? quod  
Regnum tantis opibus floruit; vt non hac tan-  
dem cupiditate funditus euersum, & extinctū  
sit? Plenæ historiæ sunt: ne scenæ quidem de  
hoc tanto malo silent: vita etiam communis,  
huius tam diræ pestis exempla propè quodia-  
na suppeditat; & quod est magis admirandum,  
cū omnibus proposita sit vita secura atque

DE REG. INSTIT. ET

tranquilla, & omnes videant, quàm multa pericula illis intendantur, qui multis imperant: & quantis curis impliciti sint omnes, qui in Regia sede locati sunt: ita tamen quidam per omnes flammæ, regnandi cupiditate incensi rapiuntur, ut nullus metus, nulla verecundia, nulla religio eos impediatur, quò minus omnia tetra facinora machinentur. Primum enim leges, in quibus salus patriæ sita est, odio nimis acerbò persequuntur: omnes magistratus extinctos, atque deletos cupiunt: principibus insidias parant: Remp. temeritate & amètia perturbant; ut sic tandem omnibus præsidijs publicæ libertatis per summum scelus ereptis, ipsi soli in Rep. dominantur. Quin etiam multi usque eò progressi sunt, ut non solum ciues, socios, cognatos, fratres, amicos: sed etiam liberos, atque parentes immanissimè trucidarent, & in res etiam sacrosanctas, omniq; religione munitas inuecti, sanctissimum Dei numen præ sua effrenata cupiditate contemnerent. Vnde colligitur, nihil esse tam sancto iure vallatum, aut tanta religione septum, quod non perrumpat, atque disturbet ambitio. Accedit quo magis id dolendum sit, quòd ij plerunque hoc oppressi morbo, in patriam teterrimi sunt, qui maximè benefici atque salutare esse potuissent. Fit enim plerumque, ut illi potissimum ambitione præcipites ad omne facinus stimulentur, qui animo maximo sunt, & ea de causa potuissent multò facilius patriæ salutem tueri, atque conseruare. Magnus enim animus si modo, atque ratione vacat, ita turbatur, &

ruit; vt quocūque impetum dat, horrendas strages efficiat. Adiuuat autē eorū, qui ad summos honores aspirant, insaniam, multitudinis error, atque demētia: quæ sæpenuerò nullū scelus detestabile iudicat, quod regnandi causa susceptū sit. Illa igitur Eteoclis sententia, quæ est apud Euripidē, qua scelus suū minimè purgat, sed ex scelere laudē quærit; eò quod per illud sibi ad regnum viam munierit, in multorū sermone atq; prædicatione versatur. Quamuis igitur is, qui ad regnum iter affectat, parentib<sup>9</sup> aut fratribus vitā eripiat, & in suorū sanguine atque cede bacchetur, vt ea ratione facilius imperio potiatur, tamen vt vir animi maximi, imperioq; dignissimi, à multis laudari solet. His autem sermonibus inflati quidam, nullam sibi iniquitatem, & iniuriam dedecori fore suspicantur, ex quā possint ad aliquem gradum imperij, & amplissimi honoris ascendere. Vnde concludi potest, nihil esse animo maximo, si non fuerit ratione temperatus, rebus humanis infestius. Vt autem illis, qui ita sunt affecti, omnia procedant vt volunt, & imperia, quæ nimis sitienter appetunt, faciliè consequantur; quos tandem fructus, ex imperio suo percipient? curas, sollicitudines, angores, vitam molestissimis negotijs implicatam, iniquissima postulata, districtum animum, & inter offensio- nis metum, & rei familiaris atque publicæ diligentiam; miserabiliter hæsitantem. Si omnia latronibus suis largiuntur, opes suas profundi sentiunt: si eis aliquid denegant, hostes in se concitant, illos ipsos, quorum se fide com-



## DE REG. INSTIT. ET

munierant : si Regni administrationem familiaribus suis permittunt, omnia Regni præsidia dilabuntur : si per se omnia curare volunt, inanem curam, & sine vlllo fructu percipiunt, horamque nullam habent metu, & sollicitudine liberam. sic autem fit, vt multi, qui Principes haberi volunt, nulla in re, neque domi neque foris conquiescant : nullam vitæ suauitatē gustent : nulla voluptate animo libero, atque soluto perfruantur. Adde nunc inuidiæ fraudes inexpiabiles : adde sceleratorum hominū proditiones : adde formidines, horrores atque pericula, quibus amplissimus ille locus obsesus est : adde postremò diros casus, quibus magnorum Principum vita sæpè concluditur. Quid nam igitur esse causæ putem, cur, cum omnes videant, nihil esse magis expetendum, quàm placidæ, quietæ, & tranquillæ vitæ constantiam : sint tamen ita multi, qui nullo modo quietem pati possint, eamque vitam modis omnibus expetant, quæ est pacis & tranquillitatis expers, & periculosis admodum tempestatibus, in diuersas partes iactata? Num eam pestem à natura datam hominibus, vt hac cupiditate cæci, deficient à mente, sponte atque voluntate sua præcipites, in miseriam sempiternam irruant? Nullo modo : nec enim est illius summi conditoris & Domini, qui naturam vniuersam finxit, pestem hominibus machinari : hominum tamen inconsiderata temeritate fit, vt naturæ principia, quæ ad salutem & honestatem data sunt, ad perniciem & ignominiam conferantur. Nec enim impetus animi, re-

gnum

gnum appetentis vituperandus est: sed mentis cæcitas, quæ illo impetu vti nescit: & dum Regnum sibi parare nititur, seruitutis miserrimè vinculis alligatur. Est namq; in animis nostris insitum quiddam generosum, excelsum atque magnificum, dignitatis appetens, imperandi studio incensum: nullos labores, dum modò gloriosi sint, nulla vitæ pericula honestatis gratia recusans. Non enim ad otium & ignauiam, nec ad futiles & inanes voluptates: sed ad officium & industriam, & animi contentionem: sed ad decus & honestatem, quæ labore & studio comparatur, nati, suscepti, ab ipsaq; natura imbuti & instituti sumus. Quò fit, vt cum nemo bene à natura informatus, otium & securitatem honestis laboribus anteponat: tum illi, qui maiore animo sunt, otium mortis instar esse putent, eaq; ratione imperare cupiant: vt virtutis & industriæ suæ fructum percipiant, & ita gloria immortali circumfluant. Sed multi non intelligunt, quid sit illud, ad quod eos natura vocet, dum regni cupiditatem inserit. Rex enim ille demum habendus est, qui longè, multumq; reliquis hominibus honestatis opibus, & ornamentis antecellit. Nam tunc omnis splendor honestatis elucet in nobis, cum mens, quæ est potissima pars animi nostri, principatum obtinet: & regnum sibi à natura datum sapienter administrat: quod facit, cum pro iure suo temeritatem coercet, & libidinem vinculis astringit, & omnes affectiones temperat, & moderatur, sibiq; obediens esse compellit. Itaq; qui honestatem expetit, regnū

DE REG. INSTIT. ET

expetit, duceq; natura in studium regiae maiestatis, & amplitudinis incitatur. Regia namq; maiestas ab honestate seiungi non potest: idcirco bruta animantia, eò, quòd decus & honestatem intueri nequeant, hominibus naturali iure subiecta sunt: & inter homines is est natura ad reliquos imperio continendos aptissimus, qui multum virtutis opibus excellit. Ergo qui regnare pulcherrimum arbitratur, tacite iudicat, nihil esse cum virtutis, & honestatis excellentia comparandum. Postremò, cùm homines ad diuinam naturam expressi & apti sint, & idcirco status diuini cupiditate flagrent; status autem diuini præstantia in imperio, quo naturam vniuersam continet, maximè cernatur: mirum non est, esse quosdam homines, qui ad imperij cupiditatem, morte etiam proposita, rapiantur. Ergo cùm natura laudis & dignitatis appetentes simus: & cùm dignitatis excellentiam, omnibus rebus expetendis, anteponendam esse iudicemus: & cum natura, studio & cupiditate diuinitatis incendamur: & omnis laus & diuinæ naturæ præcellentia, in legitimo imperio constituta videatur: mirandum non est, fuisse multos mortales tanto regnandi studio concitados, vt multis se periculis exponerent, nullumq; supplicium formidarent; dum id, quod maximè clarum & expetendum iudicabant, assequerentur. Cùm verò non ratione & disciplina, sed impetu cæco naturæ, in regni studium incumberent: eueniebat necessariò, vt rursus errore decepti, nunquam ad eum portum, quem petebant, appellerent; sed multis



tis tempestatibus agitati, pro dignitate ignominiam subirent, & perniciem non sibi tantum, sed omnibus vectoribus eorum gubernationi commissis, stultitia sua molirentur. Vnde perspicitur, nihil esse Principe furioso & amete funestius. Homines quidem, qui principem locum obtinere contendunt, præclara quidem cupiunt; sed errore mentis ab eo fine, quo intendunt, auersi, patrias suas euertunt, omniumque malorum auctores & architecti sunt: non enim vident, regnandi scientiam, non tantum in imperando, sed etiam in obediendo consistere. Est enim obedientia, qua rationi & imperio legitimo obtemperatur, moderationis, & ordinis, & obseruantia disciplina: quam qui non tenet, regnum rationis amittit, & fit libidinis effrænatae mancipium. Vbi verò animus fuerit oppressus libidinis impurissimæ dominatu; luce continuo priuatur, & tetra caligine circumfunditur. Qui autem modum non seruat, qua tandem ratione Rempublicam vniuersam moderabitur? & qui libidinum est seruus, quomodo suorum libertatem tueri poterit? & qui mentis cæcitate laborat, quomodo mala Reip. impendentia præcauebit? Reliquum igitur est, ut quò maior illius potentia fuerit, eò maiores ruinas edat. Vnde concluditur, cum omnibus sapientia necessaria sit, tum vel maximè Reges illius moderatione contineri. Rex enim temerarius & insanus, non Rex, sed tyrannus existimandus est: & idcirco nulla ratione potest à Republica pestem depellere, cum ipse sit dira quædam pestis, patriam

lue atque tæbe conficiens. Quantum verò inter Regem & Tyrannum interfit, satis exploratum est. Rex enim diuinæ menti paret, rectâ rationem sequitur, iuris æquabilitatem colit, fraudem & malitiam coërcet, modum & ordinem in omni officio conseruat, Rempub. vniuersam excellentibus meritis obstringit, nullum periculum adire pro salute patriæ recusat, ad gloriæ sempiternæ decus aspirat, & mortem denique contemnit, vt immortalitatem consequatur. Contra verò, Tyrannus Dei numen spernit, rationis imperium repudiat, libidini & impuritati seruit, iura diuina & humana violat, dolis & fraudibus innititur, verâ dignitatem abiicit, & falsam imaginē decoris & dignitatis amplexatur: & tunc se viri fortis officio egregiè functum putat, cum populum sibi commissum formidine perterret, & ex illius bonis prædatur, vt per vim & fraudem fortunas suas amplificet. Ergo, cum Rex diuino præsidio cinctus sit, & verissimè honestatis laudibus abundet, & hominum ad se voluntates vehementer alliciat: consequens est, vt sit in administrando regno sapiens, in repellendis hostibus acer, in constituenda repub. moderatus, in iuris æquabilitate tuenda constans, in rerum successibus & euentis felix, nec ipse solum beatus sit, sed patriam vniuersam felicem reddat, omnibusque bonis affluentem. Tyrannus autem contra, cum sit ope diuina orbatus, & turpitudinum maculis iniustus, & hominibus propter malitiam & fraudem iniustus, & omnium mortalium fide & benevolentia destitu-

stitutus; & ea de causa omnia, quæ gerit, partim rabidè atq; furenter, partim timidè atque diffidenter administret: eueniat necesse est, vt non solùm ipse corruat, sed etiam omnes, qui sese ad illius ductum & imperium adiungunt, in calamitatem conijciat. Vnde perspicitur, illa mala omnia, quæ sumus oratione persecuti, non in illum cadere, qui verè Rex est; sed in eum, qui falso regis nomen vsurpat, & ita se in omni officio gerit, vt magis immanis Tyranni speciem referat, quàm legitimi Regis naturâ, atq; mores imitetur. Hæc cum mecum sæpè recogito, Lusitaniam beatam existimo, cum Reges eos habuerit, quos nemo dubitare potest extitisse, hoc nomine tam sancto & augusto, dignissimos. Nec enim vel in religionis sanctimonia: vel in iustitiæ cultu: vel in decoris honestate: vel in virtutis robore: vel in mansuetudinis lenitate, quidquã fuit ab illis prætermissum, quod ad optimi atq; fortissimi Regis officium pertineret. Ita verò factum est, vt eorum nomen memoriæ sempiternæ consecratum sit, & ipsi in cœlo illis opibus, quæ sunt ijs Principibus, qui omnia vitæ consilia ad patriæ salutem contulere, Dei beneficio constitutæ, potiuntur. De te autem quid homines augurètur, libet dicere. Fore namq; suspicantur, vt illos sanctissimos Principes, quorum stirpe procreatus es, multum virtute superes. Vident enim multa signa, quibus admoniti credunt, te diuino consilio susceptum fuisse; vt omnes terras, quæ tua ditione & imperio continentur, magnis iustitiæ opibus, & inuictæ virtutis



DE REG. INSTIT. ET

ornamentis afficias . Cernunt præterea in te multos industriæ stimulos, qui animum tuum torpere otio, & ignavia non sinant: cùm verò singularis ingenij magnitudo, & animi excellentis altitudo, & regiae virtutis indoles, & reliqua munera tibi diuinitus attributa, te de officio tuo commoneant: tum maiorum tuorum exempla eiusmodi sunt, quæ te facilè possint studio immortalitatis inflammare. Accedit vt magis id liceat nobis de tua præstanti natura, & bonitate polliceri, quod omnes vno ore cõfentiunt, ortum tuum, ad præcipuum atq; singulare Dei beneficium referendum esse . Eo namque tempore natus es, in quo, propter Regis Aui tui sanctissimi Principis orbitatem timebatur, ne Regni patrimonium, ad externũ aliquem principem, cum totius Lusitaniæ que rimonialia, perueniret . Tu igitur ortu tuo patriæ, propter obitum patris tui (Principis omnibus carissimi) mœrore perditæ & afflictæ magnum solatium præbuisi. Tu tenebras, quibus omnes erant oppleti, diei tui natalis splendore dispulisti; tu spem salutis, libertatis, & dignitatis omnibus tuis attulisti . Cũ verò matris tuæ Principis clarissimæ partus appropinquaret, nescio, quo diuinæ mētis appulsu commoti sunt homines, vt antè ad omnes ædes excurrerent, vt Deo de te in lucem edito gratias agerent, quàm tu natus esses. Cùm autem hominibus adhuc in rebus diuinis ritè peragendis intentis repente verus nuncius allatus esset, matrem tuam, filium marem peperisse, tanta lætitia consecuta est: vt multi præ gaudio vim lachry-

chrymarum profunderent, & incredibiliter exultarent, teq; non vt infantem feliciter exortum, faustis ominibus: sed vt Regem iam spectatum, lætis acclamationib<sup>9</sup> prosequerentur. Itaq; omnes tunc diuinum beneficiũ agnouerunt, & spem magnã conceperunt: fore, vt cum ad maturã ætatem peruenires, maiorum tuorũ virtutes, & egregia facta, ingenio, industria, pietate & animi magnitudine, & contentione superares. quæ opinio quotidie magis confirmatur ab eis, qui signa pudoris & honestatis tuę, cum altæ mentis significatione coniuncta, perspiciunt. Accedit etiam regia disciplina & magistri probitas, & pædagogi sapientia, & reliquorũ hominum nobiliũ, quibus vteris, virtus, & integritas, quorũ monitis & exemplis, crede te mirandũ in modum, studio immortalis nominis incitari. His argumentis inductus quilibet homo, qui non fuerit mentis expertus, poterit conijcere futurũ; vt non sis illis regib<sup>9</sup> annumerandus, quorũ exitiales exitus extiterunt: sed illis potius, qui diuina virtute nixi, ad summam felicitatẽ peruenere. Hac equidẽ spe impulsus sum, vt opus magnũ suscipere, quod tibi minimẽ iniucundum fore arbitror. cum enim tibi iam in ista ætate propositum esse videam, vt in omni genere regię, atq; propemodum diuinæ virtutis excellas; & omnia consilia, studia, curæ & cogitationes tuæ, ad sempiternam gloriam conferendæ sint: quid tibi gratius esse poterit eorum studio & voluntate, qui tibi in re tanta operam & studium nauare cupiunt? Venit igitur in mentẽ mihi mandare

literis

literis ea, quæ non multis ab hinc annis, cum hominibus amicissimis, de regis institutione, officio & dignitate, disputata sunt. Nam cum me in Bethlehemiticum templum, Regis Emanuelis omnis memoriæ facilè Principis, proavi tui sumptibus ædificatum, rei diuinæ gratia contuliffem: in hortos eiusdem templi discessi, vt illorum amœnitate, animum à negotiorum contentione relaxarem. Erat enim id anni tempus, quo propter odorum, qui è floribus afflabatur, suauitatem, & propter auium concentus, & aquarum deriuationes, nihil amœnius esse poterat. Ibi verò incidi in Laurentiũ Petreium Tauoram, qui non ita pridem Roma venerat, & in Franciscum Salam Menesium, homines artibus illa nobilitate dignis, in primis eruditos: qui quidem me satis amanter amplexi sunt, & ego item illos, vt mos est amicorum, salutavi. Postquam verò affedimus, Franciscus Portugallensis interuenit; homo qui claritatẽ generis multis artium maximarum disciplinis ornauit, quem post mutuam salutationem in medium recepimus. Is igitur eò, quòd multos iam dies in villa, sacris illis ædibus coniuncta, commoratus esset, & in regiam se minimè cõtulisset, Menesium de tua valetudine, de lufibus, de studijs percontatus est. Ibi cum Menesius ad omnia respondisset, quædam à te acutissimè dicta narravit, quæ nobis non modò risum, sed etiam admirationem commouere. In eum deinde sermonem venimus, vt nihil ex illis signis, quæ paulò antè à me commemorata sunt, omiffum fuerit: quæ tantam tui expectatio-



stationem concitarunt, vt videatur illi respondere difficillimum. Tunc ego eiusmodi sermonem institui, qui materiam longioris sermonis dedit, quam fore ad initio suspicabar: quem velim, Princeps amplissime, pro tua singulari humanitate attentè audias: multa enim cognosces de Rerumpub. vulneribus, de remedijs, quibus vulnera curanda sunt, de malis, quæ prauam & corruptam Principum educationem consequuntur, de felicitate, quæ recta Principum disciplina & institutione comparatur, de imperij prudenter, & fortiter, & foeliciter administrandi ratione: de Regno ornando & amplificando, de gloria & nominis immortalitate paranda, & de præsijs & ornamentis, quibus summus ille Imperator & Dominus, qui naturam vniuersam regit, eos Reges afficit, qui sese totos ad illius studiũ, & imitationem contulere. Sic igitur sum exorsus. Sunt quidem ista, ea namq; signa antegressa & consecuta sunt Sebastiani Regis ortum, vt omnes existimarint, illum esse nobis diuinitus oblatum, atque donatum, qui rem Lusitanam non conseruaret tantũ: sed etiam augeret, imperiumq; latissimè propagaret. Auget autem hanc spem nostram, & illius species; & animi alacritas; & acumen ingenij, & virtutis indoles; quæ si fuerit exulta disciplinis, dubium non est, quin sit ad summam laudem & gloriam peruentura: in qua tamen re, non mediocris diligentia adhibenda est. Si enim illius instituendi & monendi studiũ fuerit aliqua ex parte remissum, isq; minimè ingeniũ ad ar-

DE REG. INSTIT. ET

res præclaras adiunxerit; auresq; dare cœperit  
 perditis & profligatis adolescentibus; & homi-  
 nibus omni flagitio & scelere contaminatis;  
 quò est clarior illius indoles, eò maioribus vi-  
 tijs inquinari poterit, & ita (quod Christ<sup>o</sup> pro-  
 hibeat) grauiora detrimenta rebus communi-  
 bus importabit. Vt enim ager neglectus & in-  
 cultus, quò fertilior est, eò magis spinis & ve-  
 pribus, & agrestium plantarum asperitate va-  
 statur: ita cùm animus minimè colitur libera-  
 li disciplina, quò clarior est illius indoles, eò  
 pluribus & tetrrioribus vitijs obruitur. Quò e-  
 nim vis animi præstantior est, eò, in quamcun-  
 que partem impellitur, se gerit vehementius.  
 Sic autem fit, vt quemadmodum cùm virtutem  
 cõlit, inter omnes, qui non tantum ingenio &  
 industria valent, excellit: ita cùm se ad nequi-  
 tiam applicat, oēs improbos flagitio & impro-  
 bitate superat. In reliquis quidem hominibus,  
 non ita multum interest, qualibus quisque di-  
 sciplinis imbutus sit; sibi enim tantum & pau-  
 cis præterea nocebit, qui malè fuerit institu-  
 tus. At Rex, quem omnes intuentur: ad cuius  
 exemplum se fingunt: cuius imperium sequuntur;  
 si fuerit nequam & improbus, totum reg-  
 num exemplo nequitiae corrumpet, omnesque  
 opes Reip. iniquitate & intemperatia sua dis-  
 sipabit. Nihil igitur tanto studio prouidendũ  
 est, quàm vt Regis animus ita astrictus discipli-  
 na teneatur, vt nunquam ad flagitium & dede-  
 cus labi possit. Ergo dum animus illius tener,  
 dum regi potest, dum se docilem præbet; ca-  
 uendum est, ne quidquam audiat, quod sit offi-  
 cio

cio illius contrarium: opera quædanda, ut ludetiam, quibus ætas illius ducitur, ad Regiam disciplinam conferantur. Sapienter enim faciunt ij, qui cupiunt filios suos aliquo artificio præcellere: cum eos ita à primis annis erudiunt ut id ludibundi contentur. Sic autem ijs, qui pictores egregij futuri sunt, ludus in prima ætate laudabilis est, volucrem aut quadrupedem pingere: similiter & fictorum filij, per ludum aliquid è cera fingunt, quod parentes laudant: & eadem ratione in reliquis artibus, eo ludo oblectandus est puer, qui non multum ab eo artificio, cui pater illum præficere valdè cupit, abhorreat. Facile namque cuius est, artis illius perfectionem assequi, quam puer per ludum assidue est imitari conatus. Nam cum multum in quolibet artificio valeat ingenium, tum assiduus vsus atque disciplina tantam vim habet: ut nihil omnino sit tantis difficultatibus obstrusum, quod non is, qui ad eam natus, & aptus est, facillimè studio atque meditatione consequatur. Si igitur in artibus Principe parum dignis, tantum momentum habet illa puerilis institutio, atque meditatio, ut absque ea sit viris difficillimum, in aliqua commodè versari: quid tandem est de illa omnium maxima, atque præstantissima iudicandum? Quid enim maius est, quam continere imperio populos; deuincire multitudinem disciplina: coercere flagitiorum licentiam; excitare virtutis studia: & eum denique statum Reipubl. collocare, qui præsidij firmus sit, & opibus multis abundet? Omnibus igitur,  
qu



DE REG. INSTIT. ET

quibus est hoc onus impositum, vt Regum filios erudiant, in eo vigilandum & laborandum est, vt illi nō modò cū magistris operā dant; sed etiam cū ludunt, de officio suo commonefiant, ijsq; ludis maximè teneantur, qui eos paulatim studio laudis atque regiæ dignitatis incendunt. Vt enim ædes amplæ non possunt esse firmæ, nisi fundamenta earum alta, atq; firmâ iaciantur: ita neq; Rex magnus esse poterit, qui non fuerit admodum diligenter, regia disciplina, ab incunabulis institutus. Verū id quidem est (inquit) Portugallensis. Sed velim scire, quæ nam disciplina Regi futuro conueniat, aut quibus artibus animum Sebastiani colendum existimes. id quidem, inquam, intelligi poterit, si viderimus, quid sit omnibus regibus, qui sunt hoc nomine digni, propositum: & quibus in rebus eorum officium versetur. Hoc enim constituto, haud difficile erit animaduertere, quomodo Rex alendus & nutriendus sit; & quo disciplinæ genere ad regiæ dignitatis, & decoris amplitudinem perducendus. Vt autem id breuissimè dicam, Rex est perpetuus Reip. rector atq; moderator, vniuersum populum iuris æquabilitate deuinciens, virtutisq; præsidio conseruans. Regere autem, est in rectum finem dirigere. Rector igitur & moderator populi id agit atq; molitur; vt populū in finem, in quem omnes intueri debent, modo, & ordine, atq; disciplina perducatur. Est autem finis, florens & beatus Reip. status. Beatus verò Reip. status malorum omnium depulsione, & bonorum complexione perficitur. Mala  
autem

autem non ea solum numeranda sunt, quæ homines vulgò pertimescunt, nempe morbus, inopia, seruitus, dolor, calamitas, ignominia, & reliqua generis eiusdem: sed multò etiam magis flagitium, scelus, ignavia, effrænateque libidines, & reliquæ animorum labe, quæ vitam miseram, & ærumnosam efficiunt. Similiter etiam bona, non tã in abundantia pecuniæ, aut in valetudinis firmitate, & integritate, & in rebus eiusmodi, quæ vel in corpore sitæ sunt, vel ad corporis cultum & oblectationem conferuntur: quàm in animi decore atque dignitate, & in virtutis constantia & gravitate consistunt. Regis igitur officium est, non solum cõmodis patriæ atq; salutis consulere, & hostium impetum à finibus regni, magna belli contentione, reprimere: sed multò etiam magis refecare libidines; coërcere petulantiam; iniquitatis & iniuriæ fibras euellere; vniuersamq; rempub. honestatis ornamenti afficere, virtutumq; omnium præsidij firmare. Aliter enim, neque Respub. beata esse, neque Rex officio suo satisfacere vllò modo poterit. Hoc fundamento posito, non erit difficile considerare, quàm multis difficultatibus implicatum sit Regis officium, & munus. Si enim cui libet homini bene à natura informato, & ingenuis disciplinis erudito, non facile negotium est, cupiditatem ratione comprimere, virtutisque præsidia & ornamenta comparare: quantum tandem munus erit illius, cui hoc commissum est, vt non se tantum, ab omni cupiditate flagitiosa contineat, & virtutis amplitudine inter omnes excellat:

## DE REG. INSTIT. ET

sed vt omnem Remp. ab omni turpitudinis cōtagione tutam, & incolumem præset, omnib<sup>9</sup> virtutibus honestam efficiat? summa igitur sapientia; summa prudentia; summa totius animi alacritate; & vigilantia; inuictōque virtutis & constantiæ robore opus est; ad tantū munus feliciter obeundum. Sic igitur de pueri regis institutione cogitate, quasi de illo, in cuius consilio, virtute, diligentia, probitate, postquam is ad maturam ætatem peruenerit, omnis Reip. vita, salus & dignitas, omnisque beati status ratio collocanda sit: vt intelligatis qualibus opinionibus sit iam à primis annis imbuendus: & qualibus deinde moribus, atq; disciplinis instituendus: vt possit tantū onus subire atque sustinere. Neque solū animi, sed corporis etiam ratio habenda est. Corpus enim imbecillum, animi virtutē plerumque debilitat, & à rebus acriter, & animosè gerendis abducit. Vtrūque igitur curandum est, vt & corpus sit valetudine firmum, & animus rectè morib<sup>9</sup> & vita constitutus. sanitatem atque vires efficit in corpore victus moderatio, & exercitatio, virtutes autem excitant in animo philosophiæ studium; qua nihil vtilius ad Reges erudiendos & cohonestandos cogitari facilè potest. Est igitur cursu, palæstra, telorum iaculatione, & ludicra inter æquales armorum contentione diligenter exercendus: vt non modò corpus illius robustum fiat, verum etiam animus alacrior & ad res strenuè gerendas promptior euadat. Vt enim corpus infirmum, animi industriam frangit: ita benè valens atq; robustum



sum animum reddit, alacrem, & in omni rerū  
 discrimine cōfidentē. Ingenium verò est literis  
 admodum diligenter excolendum, artiumque  
 maximarum disciplinis acuendū: vt scientiā  
 regio muneri maximè necessariam, eo studio  
 consequatur. Hæc enim studia pudorem & mo-  
 destiam ingenerant: animum cupiditate dig-  
 nitatis incendunt: & ad Remp. salutaribus insti-  
 tutis temperandam erudiunt. Illud tamen in  
 primis summo studio prouidendum est omni-  
 bus, qui Regis instituendi curā suscipiunt: vt  
 animū illius à primis statim annis, summo stu-  
 dio religionis imbuant: sine qua nullū studiū  
 verè dignitatis extare potest. Oēs enim virtu-  
 tes à Deo manant, illiusque beneficio & numine  
 cōtinentur. numen autē illius, est pietate atque  
 religione placandum. Itaque tribus his studijs,  
 quantum puerilis ætas ferre potest, Regem Se-  
 bastian. institui cupio, nēpè palestra, & literis,  
 & religione. Si enim corpus exercitatione fir-  
 mauerit: & animū artibus præclaris excolue-  
 rit: omniaque vitæ consilia ad religionē direxe-  
 rit: augurari poterimus fore tandem, vt hostes  
 illius congressi in armis exhorreant: ciues au-  
 tem illū miro amore diligāt: Deus verò (quod  
 omnium bonorum caput est) eum præsidio suo  
 fulciat, atque præsentī numine tueatur. Hæc qui-  
 dem ego, non eo animo perstrinxi, vt longio-  
 ris sermonis materiam præberem: imò si suspi-  
 catus fuisset id fore, quod euenit, fortasse ta-  
 cuisset: neque tanto cū periculo, scientiæ fa-  
 mam mihi colligendam existimasset. Na pri-  
 mū quidē Taurora ridens, me amicè monuit,

DE REG. INSTIT. ET

vt inuidiam vitarem. Se namque vereri, si sermo hic meus in vulgus emanaret, ne in me impetus omnium fieret: Philosophiam namq; ab omnibus existimari, nobilitate prorsus indignam, & ne illius cōtagio regibus aliqua ex parte noceret, in vltimas terras ablegandam. De corporis quidem exercitatione, atque de religionis studio, se mihi libenter assentiri; Regē sine illis, non posse in officio suo satis commodè versari. Nec enim, inquit, animus acer, atq; vehemens esse potest, corpori molli, & effœminato deuinctus: nequē sine ope diuina quisi- quam tantum pondus, vlla ratione sustinebit. Quod verò ad Philosophiã attinet, valdè metuo, ne in te multi satis petulanter inuehantur; quòd velis hoc studio Principis animum à virtute & industria, ad languorem atque desidiã auocare. Exponam igitur tibi, non meam quidem sententiam; ea namque fortassè à tua non valdè discrepat: sed multorū opinionem, qui non Philosophiam modò, sed ita omnes literas oderunt, vt eas ab omni Rep. præcipuè verò ab aula Regia, vt malum auspicium, detestentur. Non mediocrem enim ab illis pestem, atque perniciem, regibus comparari censent. Dicam igitur, quæ multi dictitant, & quæ contra Philosophiam ab acutioribus etiam disputari possunt: vt cùm ea infirmaueris, atque sustuleris, armis tandem instructus tuis, queam illis resistere, qui magno quodam odio & impetu in Philosophiam, & in omnes præclaras artes inuadunt. Primū quidem igitur hoc negare nō possumus, eos homines, qui sapientiæ student,

lucem

lucem fugere:celebritatem vitare:otium modis omnibus amplexari:& sic tandem torpore desidiaq; languescere,vt neque prompti, nec experientes esse queant:sed sint semper ad omnia negotia siue publica, siue domestica prorsus inutiles.Otiū enim illos corrūpit.Vt enim ferrum vsu & exercitatione splendet;diurno autem situ squalet,& rubigine paulatim exeditur atque conficitur:similiter humana mēs officijs viro dignis acuitur,otio autem isto,quod homines Philosophiæ studiosi confectantur,hebescit,& quasi squalore obducto corrumpitur:Pugnant enim hæc inter se,nec in vno homine simul habitare possunt,otium videlicet,atque negotium.Et otium quidem animis neque maximis, neque maximarum rerum cupidis,videtur accommodatum:negotium verò animum acrem & vigilantem,& studio dignitatis incensum requirit.Otium deinde homines etiam naturā industrios,& vehementes indies mollit,& inertes atque desidiosos efficit:negotium verò hominem naturā desidiosum de somno suscitāt,& ad res strenuè gerendas impellit.Cū Rex igitur ad tanta negotia,singulis diebus transigenda,& ad tā multa pericula,quæ semper impendent,propulsanda natus sit;quid minus conuenit,quàm pati mentem illius otio eneruari?at Philosophia sine summo otio constare non potest:reliquum igitur est,vt ea à Regibus attingi nō debeat.An non satis nos admonet,quorundā Philosophorum stupor & ignauiā,quanta vitæ pestis futura sit,si studium hoc animum Regis oc



DE REG. INSTIT. ET

cupauerit?quoties enim domo pedem efferūt,  
 ita propter insolentiam hominum atq; lucis  
 ingrediuntur:vt ne vestigium quidem firmè  
 ponere, aut quò tendunt, satis explorare que-  
 ant. Cùm autem in multitudinè incidunt, ad-  
 eò titubant, & hæsitant, & notos perinde atque  
 ignotos prætereunt:vt satis appareat, eos neq;  
 mores hominum, neque vitæ consuetudinem,  
 neque vrbs, in qua sunt nati & educati, regio-  
 nes, neque postremò viam, quæ fert in forum,  
 nosse. Neque facile est, aliam causam huius stu-  
 poris assignare, nisi literas, in quas se penitus  
 abdiderunt. quò enim magis sese ad illas appli-  
 cant, eò magis ab omni humanitatis sensu de-  
 feruntur. Thales, aut quis alius (non enim re-  
 ctè memini, neque sanè multum refert scire,  
 quod illi nomen fuerit) is igitur cùm inambu-  
 lans cælum suspiceret, in puteum incidit: tum  
 seruula ridens, ait, egregium hominis sapien-  
 tis acumen, dum cæli plagas intueri conatur,  
 puteum ob oculos positum non videt: lepidè  
 atque festiuè dictum, & quod in omnes, istis ar-  
 tibus deditos egregiè quadrat. Dum enim res  
 summo studio & ab humana cogitatione re-  
 motissimas peruestigant: nec eà quidem, quæ  
 versantur in communi vita cernunt, neq; peri-  
 cula, quæ sunt intenta reb<sup>9</sup> suis aspiciunt. Quid  
 igitur absurdius, quàm cū nobis opus sit Rege  
 acutissimo, acerrimisq; sensib<sup>9</sup> instructissimo:  
 regem artibus illis institui, quæ sensus omnes  
 eripiunt? cuius quidem rei nullum testimoniū  
 grauius esse potest, eo, quod à philosophis ip-  
 sis perhibetur. Exponā enim vobis, quod ab ho-  
 minibus

minibus Philosophiæ deditis accepi. Dicunt igitur homines, Philosophi vitam esse vitæ cōmuni valdè contrariā. Nec enim (vt aiunt) voluptates exquirunt; neq; dolores extimescunt; nec honores ambit; neque gloriam desiderat: nec odio, aut amore, aut alio deniq; eiusmodi sensu commouetur. In eo enim statuunt esse positum hominis sapientis officium; vt animum quoad fieri poterit, à corporis coniunctione diuellat, humanosq; sensus repudiet, vt ita tandem liberè, & solutè res cœlestes atque diuinas inspiciat. Quandiu enim animus est nimis alligatus corpori, negant fas esse verum cernere: sed rerum tantùm vmbra & inanes imagines consuetari. Cùm igitur sensus aspernentur, & eos, qui sensus consulunt, arbitrentur in summa veritatis ignoratione versari: omnis eorum sententia illi iudicio, quod oritur à sensibus, aduersatur. Inde fit, vt quemadmodum nec opes, nec honores, neq; vitæ cultū; neque bonam valetudinem; nec vllam deniq; voluptatem in veris bonis numerant: ita neque inopiam; nec obscuritatem: nec aduersam valetudinem, neque dolorem in malis. Hoc igitur ex eorum decretis efficitur, opus esse illi, qui sapientiæ studet, vt omnibus sensibus orbetur, vt sic tandem ad sapientiam, sine cunctatione perueniat: sic autem fiet, vt qui valdè sensu communi caret, valdè sapiens sit: & cuius vita proximè ad conditionem mortis accedit, is demum beatæ vitæ compos existat. Sit igitur ita sanè: demus hoc illis, esse stupore isto, ad sapientiam præclarè munitam viam, &

## DE REG. INSTIT. ET

eum, qui nullam dulcedinem vite sit expertus,  
 vita beata frui. qualis tandem erit ista sapien-  
 tia? aut quod adiumentum rebus communibus  
 importabit? num in scelus seuerè vindicabit,  
 qui nescit irasci? num hominis afflictì miseriã  
 subleuabit, qui misericordia flecti nequit? nũ  
 hostis ferociam armis atq; virtute comprimet,  
 qui belli pericula pro nihilo habenda putat?  
 quid enim illum excitabit, vt bellum animo  
 acri, & vehementi suscipiat? num laudis atque  
 dignitatis studiũ? At in eo valdè se iactat, quòd  
 popularem famam, & nominis celebritatem  
 despiciat. An, ne opibus spoliatur, acerrimè  
 decertabit? at omnes opes in animi grauitate,  
 & constantia sitas esse decernit: & eandem cõ-  
 stantiam tum vel maximè se retenturum con-  
 fidit, cùm fuerit omnibus fortunis expoliatus.  
 Non, inquires, sua causa laborabit, sed vt ab il-  
 lis, qui in illius tutela sunt, pestè auertat. Quã  
 pestem narras: eam ne, quam ille ne tantulum  
 quidem curandam arbitratur; nempe inopiã,  
 dedecus, & seruitutem, & patriã totius interi-  
 tum? Restat igitur vt sapiens ille quamuis om-  
 nes cœli regiones mente definiat: & syderum  
 omnium cursus cognitione comprehendat: om-  
 nesque naturæ obscuritates perscrutetur &  
 inspiciat: nulla tamen ratione possit lucem a-  
 liquam ciuibus suis afferre. Tantum verò ab-  
 est, vt philosophia Regibus vtilitatem afferat;  
 vt potius videatur omnes Regni opes euerfu-  
 ra, si Reges sese ad studium illius adiunxerint.  
 nec enim solùm inutilis est, sed nescio quomo-  
 do illius studiosos irretitos detinet, ne queat  
 vlla



vlla ratione rei suæ familiari consulere. Vt enim quisque maximè proficit in literis, & in Philosophiæ disciplinis; ita difficillimè ab earum studio, & commentatione diuellitur. Sic igitur euenire necesse est, si Reip. Princeps se literis, & isti eruditioni dediderit: vt vel exiguum fructū ex illis ferat, vel magnum detrimentum ciuibus suis inferat, si enim parum tēporis in illis posuerit, non magnum sanè fructum ex illis colliget; si verò multum temporis in eo studio consumpserit, Remp. curare nō poterit. Sic enim erit affixus libris, vt nec hominū querimonias quotidianas exaudiat: neq; potentium iniurijs obstat: neque supplicibus opem ferat vllam, neque legum sanctiones obseruare cogat: neque iuuentutem in armis contineat: neque hostium ferocitatem acri belli contentione retundat: neque denique munus vllum boni Regis & principis administret. Nā cum omnes mortales officia vite, magna ex parte voluptate metiantur, & in ea quisque studia maximè propensus sit, ex quibus maximam voluptatē capit: tum id in Regibus multò magis apparet. Nec enim quidquam mediocriter appetunt, & quidquid volunt, valdè volunt. Si igitur literis oblectari cœperint, quis eos ab illarum studijs abducat? quo circa statim à principio cauendum est, ne capiātur ea voluptate, quæ illos abstrahat à cupiditate alterius voluptatis, quæ maximè Regem decet. Quæ nam tãdem ea est? inquis. euidelicet, quæ ex laude, & fama percipitur. quod si ex literis etiam dignitatem petendam existimauerint, periculū est,

## DE REG. INSTIT. ET

ne in illis ita defigant animum, vt aliò traduci non possint.

Fieri enim nequit, vt mens humana multis simul muneribus intenta sit. Cùm enim vis illius sit exiguis terminis definita, fieri necesse est, vt quò se vehementius ad studium vnius applicat, eò magis de studio alterius remittat. Si igitur Rex animum ad studia literarum libenter & studiosè contulerit: valdè metuendum est, ne segnis ad imperandum sit, & Remp. valdè negligèter administret. Hoc quidem in primis optandũ est, ne Rex alia voluptate teneatur: nisi ea tantùm: quæ tota est in fructu nominis immortalis, & verissimæ gloriæ constituta. Quòd si aliquando (vt est hominũ natura ad remissionem animi, & corporis suauitatem procliuis) alijs sese voluptatibus dederit, videte, quantum periculum ex literarũ studio, regibus impendere putent homines. tolerabilius arbitrantur multi, vt in adolescentia Rex eas voluptates appetat, quæ satietate abijciuntur: & rationis iudicio contemnũtur: & gloriæ studio repelluntur: quàm eas à quibus propter nescio quem splendorem, & honestum oblectamentum, sit abduci & auerti difficillimum. Itaq; facilius ferendum existimant, Principẽ in ea ætate, quæ est naturæ blandimentis obnoxia, libidinis visitata labe contaminari, quàm literis diligenter incumbere: illud enim flagitiosæ voluptatis dedecus, & admissæ turpitudinis offensio, facilè potest claram indolem, ad odiũ turpitudinis ipsius adducere, & ad honestatem & officiũ renocare:

at voluptas, quę percipitur ex disciplinis, neq; fastidio affinis est, nec ætate contemnitur, neq; glorię studio repudiatur: imò specie quadam glorię, quam ostentat, homines magno ingenio præditos sempiternis sibi vinculis astringit. Euenit igitur, vt qui his studijs oblectatur, nihil aliud agat, nihil velit, nihil amet, nihil cupiat: eoq; tantum cogitationes suas conferat, vt summum gradum eruditionis obtineat. homines igitur fugiet: domi se quasi carcere & tenebris inclusum continebit: omnem ætatem in otio consumet: & languore desidiaque paulatim intabescet. Si igitur Rex in studia istarum disciplinarum incubuerit, habebit tunc misera Resp. Principem Philosophum, hoc est, hominem torpore languidum: otio fractum et debilitatum, fori atque lucis insolentem: & quasi quodam veterno vehementer oppressum. Vt autem in patrisfamilias negligentis, atque dissoluti domo cernimus alios seruos ludere, alios ebrios iacere, alios tumultum commouere, & inter se rixari, & interim omnem rem familiarem dissipari & auerti, & in nequitia consumi: sic in toto regno, simulatq; Rex otium fuerit amplexus, necesse continuo erit alios in omni libidine impunè volutari: alios turbas atque dissidia concitare: innocentium fortunas diripi: opes Regias paulatim consumi atq; funditus exhauriri. Otij enim comites sunt, languor, inertia, lentitudo, timiditas, ignauiam: quę vitia si in animo Regis insederint, nihil aliud restat, quã vt occupet animos omnium summa rerum desperatio, & appropinquet communis



DE REG. INSTIT. ET

munis salutis exitiū. Cernitis iam animo quātum malum, & quā̄m dira calamitas vniuersae Reipub. ex nimio otio rectoris impendat: at istius sapientiā̄ studium, sine summo otio constare non potest. Accedet etiam ille stupor, aut immanitas, cuius fecimus ante mēt̄ionem. studia enim ista plerumq; sensibus hominem spoliant, & cogitationem à magnitudine cladis abducunt. Memoriae proditum est, cū̄ M. Marcellus caperet Syracusas, vnū̄ fuisse ciuem, Archimedes nomine summum Mathematicum, quem nec horrifonus armorum strepitus: nec acrium militum furor: neque fœda suorum ciuium cædes: neq; mulierum plangor & eiulatus: nec omnium clamores in cœlum sublati potuerint ad aliquem sensum publicæ calamitatis & exitij perducere. A deo namq; erat formis, quas fortè tūc radio in terra describebat, intentus; vt priusquam ciuitatem captam esse sentiret, fuerit à milite, qui in illū̄ incidere, interfectus. Hinc satis apparet, quam vim habeant istæ disciplinæ ad sensus opprimendos, & mentem stupore defigendam. Fingamus igitur animo regem, qui non solū̄ mathematicus sit, vt Archimedes: verū̄ etiam physicus, & si placet, etiam theolog⁹. Si aliquis ergo rex esset his omnibus studijs addictus, quis non videret quanta ex ea tam multiplici doctrinā̄ reip. calamitas immineret? quamuis enim Respub. rueret, id certè neque sentiret; neque animaduertere; nec ad se pertinere putaret: nec enim esset quidquam, quod illum tantarum rerum suauissima cōsideratione remouere posset. Si  
igitur,

igitur, vt salui simus, opus est nobis summa regis industria, celeritate, vigilantia, sensibus acutissimis, & in omnes regni partes intentis: quomodo nō erit indignum, & absurdum, Regem illis artibus infici, quæ desidiam ingenerant, & sensibus omninō priuant? Deinde non venit vobis in mētem, quanta futura sit, si hoc vsu aliquando venerit, vitæ communis offensio? Sunt enim omnes, qui reliquos homines antecedunt sapientia, vulgō suspecti, & inuisi. Existimant enim plerique sese ab ijs, qui sapiētiae opinione præcellunt, irrideri: simplicitatemque suam, illorum cauillationibus nimis obiectam esse molestissimè ferunt, neque audent cum illis contrahere, nempè à quibus infidias sibi fieri suspicantur. Regis autem statū esse oportet, suorum fide, & beneuolentia, nō absurdæ, & inuisæ eruditionis ostentatione munitum. Vt enim linguæ communio, vitæ consensio, morum similitudo coniungit animos: ita sermonis ignoti sonus, dispar vitæ cultus, moresque dissimiles omnem coniunctionem animorum dirimunt. Quare fieri non potest, vt sit eis, qui sibi sapientiam arrogant, aliqua cum reliquis hominibus fidelis, atq; firma conuentio. illi namque sapientes genere orationis vtuntur, acuto illo quidem, nobis tamen incognito, ad animosque nostros minimè permanente: nos verò vulgare, & vsitatum genus orationis sequimur, & receptis opinionibus accommodatum. Deinde illorum sententia à communi hominum more, & consuetudine vehementer abhorret: nos contra ab illis,

vt stul-

DE REG. INSTIT. ET

vt stulti & infani contemnimur, & perpetuo  
 disputationum conuitio laceramur. Illi vt plu-  
 rimum vitam horridam, & incultam agunt, &  
 cum illorum supercilio mirificè congruentè:  
 nos autè splendida vitæ cultu, & elegantia de-  
 lectamur. Cùm igitur communis hominum vi-  
 ta, cum illorum vita pugnet, & lingua linguæ  
 dissimilis sit, & opiniones opinionibus aduer-  
 sentur: efficitur planè, nullam posse nos cum  
 illis firmam societatem inire, & stabilem amo-  
 ris consensionem conseruare. nos enim (vt ni-  
 hil aliud dicam) homines sumus: illi iam pri-  
 dem homines esse desierunt. Idcirco fit, vt nec  
 illos aliquis nostrorum malorum sensus attingat:  
 neq; nos valdè illorum sapientiã amemus.  
 Cùm igitur ista sapientia magis multitudinè  
 offendat, quàm voluntates alliciat; omneque  
 Regis studium in suorum beneuolentia con-  
 cilianda ponendum sit: quid minus conuenit,  
 quàm Reges illius sapientiæ disciplinis insti-  
 tui, quibus à se suorum voluntates abalienent,  
 & suspiciosas atque parū fideles efficiant? quid  
 enim quæso populos in imperio alienigenæ re-  
 gis offendit? Quoties enim accidit, vt in ali-  
 qua regione; vel hæreditario iure, vel matri-  
 monio, vel quauis alia ratione, Princeps ali-  
 quis ex exteris gentibus ad regnandū vocetur:  
 id populi sibi perniciosum fore suspicantur.  
 Quid igitur eos in eam opinionem adducit, vt  
 existiment secum pessimè agi (quamuis id non  
 semper eueniat) cùm externi Principis impe-  
 rium subire compelluntur? Dissimilis cul-  
 tus, dissona vox, inusitata orationis stridor,  
 horro-



horrorem quendam imperitis incutiens. Sic enim natura fert, ut quilibet non modò usitato patriæ cultu & vestitu: sed etiam nativo sermone, aut saltem sibi comperto & cognito delectetur, externo autem, & aduentitio non mediocriter offendatur. Nescio enim quomodo sonus ille sermonis nobis ignoti, iniucundus ad aures nostras accedit, & vocis illius genus vastum (ut videtur) & absorum, densi cuiusdã spiritus absurditate, sensum audiendi vulnerat. Inde adeò fit, ut vix sit vlla natio, quantumvis agrestis & barbara, quæ non sibi tam in vestitu, quàm in oratione valdè placeat, & reliquas nationes, ut barbaras & incultas aspernetur. Quamuis igitur externus ille Princeps sit in omni genere virtutis excellens, non facile poterit subditorum voluntates allicere; nisi corporis cultum & ornatum mutet, & orationem etiam gentis illius, in quam est imperium affectus, assuescat imitari, ne semper alienus existimetur. Si igitur tantum valet ad animos coniungendos, idem cultus, & eadem loquendi consuetudo, quid tandem similes mores & instituta perficient? & si tantum momenti est, in leuissimarum rerum dissimilitudine, ad animos alienandos: quid erit de rerum earum, quæ vitam omnem continent, varietate, & dissimilitudine iudicandum? At Philosophi non modò lingua loquuntur aliena: nemo enim eos intelligit, nisi qui est eadem disciplina penitus imbutus: neque solum alieno & obsoleto cultu vestiuntur; sed etiam sensu, sententia, moribus, institutis, totiusque disciplinæ decretis, vitæ

## DE REG. INSTIT. ET

communi repugnant: & longè aliter de iure & iniuria, de rebus honestis & turpibus, de bonis denique & malis existimant, quàm reliqui homines opinantur. Nihilq; verius esse statuunt, quàm id, quod est longissimè à communi sensu disiunctum. Ergo si nihil est magis optandù Principi, quàm esse charum atque iucundum suis: & benevolentia vitæ similitudine continetur, & dispari viuendi ratione dissoluitur: & si cõstat nihil esse magis à populi totius moribus alienum, quàm Philosophorum vultum, incessum, non modò disciplinam; nihil certè absurdius esse videtur, quàm tradi Regem Philosophis erudiendum. Deinde quem fructum ex illis feret, quo tantum damnum compensare queat? aut enim nimiam (vt diximus) operam in Philosophia ponet, aut eam leuiter attinget; si nimiam operam in ea consumpserit, quando Rempub. administrabit? quomodo enim poterit in illo exiguo tempore, quod ei à studio vacauerit, tantum munus mente, consilio, virtute, industria sustinere? fieri profectò non potest, vt simul & studio sapientiæ vigilanter incumbat; & muneri, quod illi assignatù est, pro dignitate satisfaciat. Quòd si tanto Philosophiæ studio tenetur, vt in illo sibi ætatem conterendam statuatur; negligat opes; regni reijciat honestatem; discedat à dignitate: fateaturque se non tantum animi atque mentis habere, vt intelligat omnem iucunditatem, & artium liberalium cognitionem esse præ Regij decoris amplitudine contemnendam. si verò Philosophiam leuiter attingere vult, minimum certè

ex illa fructum percipiet. nec enim fuit vnquam, qui mediocrem gradum eruditionis esset sine multo labore consecutus. Quid ergo amentius, quàm Regē artibus illis imbui, quarum si valdè studiosus fuerit, sit ei Regis officium deferendum: si verò negligenter eas coluerit, minimam ex illis vtilitatem percepturus sit? Sed dices, det operam his studijs saltem in adolescentia, postquam verò ad Remp. tractandam accesserit, ea, si placet, omittat. stultū & miserum, adolescentiæ florem in illis artibus conteri, quæ sunt statim obliuione prorsus obliterandæ. Omnes enim istæ disciplinæ si non sunt assiduè cultæ, indefessoq; studio retentæ, aut saltem ex interuallo reuocatæ, elabuntur & excidunt. Non ita est inquires, nec enim vnquam sic elabuntur, vt non aliquæ reliquiæ ad vitam rectè constituendam valdè salutares, animis infixæ remaneant. Id quidem incredibile non est, vt tenues istius eruditionis reliquiæ, non tenuem, sed magnam vtilitatem constituent. Illud igitur doceri sanè velim, quæ tanta ex artib<sup>9</sup> illis vtilitas comparari potest, vt illarum parvæ reliquiæ Remp. conseruent? nam si disciplinarum istarum leuiter impressum vestigium tantam vim habet, ad totius regni statum salutari, atq; firmo præsidio muniendum: necesse profectò est, vt earum principes sint opibus diuinis egregiè culti, summisque virtutibus ornatissimi. Illorum igitur opes facillimè poterunt omnes Respu. in quibus illi floruerint, rectissimè constitui, & omnibus præsidijs & ornamentis mirificè redun-



## DE REG. INSTIT. ET

dare. Cur igitur non omnes ab illis, ut nobis propitij sint, supplici prece contendimus? cur illorum opem in rebus aduersis non imploramus? nam si tantum utilitatis allatura est particula quædam istius sapientiæ ad Reges deriuata, ut sine illa salui esse nequeamus: quanta tandem erit ea utilitas, quam ipsa doctorum hominum singularis, atque summa sapientia, Rebusp. importabit? præstans sanè, & eximia, multisque modis admiranda. Quid si nullam omnino opem Rebusp. attulêre? quid si vsu cõpertum est, eos publico luctu minimè commoueri? quid si etiam interdum ciuium suorum cladibus insultant? Tamen dicere licebit, istius etiam sapientiæ particula Reip. salutem cõtineri? Ut ista sint, inquires, in virtute tamen, quam illi tradunt, omnis benè beateque viuendi ratio collocanda est. Agè, periculum virtutis istius faciamus. Virtutis enim est, opem afferre, pestẽ auertere, propulsare pericula, prodesse quamplurimis, aut saltem esse de cõmuni omniũ salute, & totius ciuitatis incolumitate sollicitam. At isti nec opem vllam afferunt: neq; pericula depellunt: nec vllam Reip. curã pro sua virili parte suscipiunt: nec illius incõmoda ad se pertinere putant. Magnum tamen (inquis) est, habere semper ante oculos exempla grauitatis & continentia, ad quorum imitationem mores effingas tuos. Quorsum? Ut similiter atque illi simus omnes Reip. inutiles? nec vlla illius nos, in magno aliquo discrimine cura sollicitet? nec enim vlla virtus homini politico imitanda est, nisi quæ ad publicã utilitatem

litatem conferri potest. Quid, quòd non semper philosophi ita benè morati sunt, vt illorù virtus, etiam si nullas vtilitates afferat, magnà nobis admirationem commouere debeat? nec enim semper illa tristis seueritas in vultu: illa frontis contractio: ille neglectus cultus: illa moderationis & continentia signa, verum loquuntur. Multe namq; sunt in animis tenebrae; multi recessus, quibus libidines inclusae latet, quae tadem erupant foras necesse est, & in multo maius odium multitudinis incurrant: quòd sceleratius est, in magnis flagitijs continentiae laudem aucupari, quàm in mediocribus vitijs simpliciter, & aperte suscepta flagitia cõfiteri. Nihil est enim magis odiosum, & inuisum, aut magis Reip. perniciosum, quàm virtutis species assimulata. Cùm verò constet, sapientes istos maxima ex parte virtutem ementiri, & ambitione interim, & avaritia, & alijs eiusmodi sceleribus implicari: quãuis aliqui verè & ex animo virtuti studeant, & sint in omni vita moderati: nõ tanta tamen vtilitas, ex bonorum exẽplo percipitur; quantùm ex improborum flagitio, & improbitate detrimentum. Nam cùm maiorẽ plerunq; vim habeat improbitas ad perniciẽ, quàm bonitas ad salutem: tum illi, qui vitia virtutis simulatione contegunt, sunt innumerabiles: qui aut verè virtutẽ colunt, si cum eorum, qui simulant, multitudine conferantur, sunt paucissimi. Accedit, quòd cùm eruditi hominis occultum, & intestinum scelus sub virtutis ficta specie latens manifesto deprehenditur: similiter vocantur in suspitione assimulate virtutis

DE REG. INSTIT. ET

reliqui sapientes, qui virtutis studio flagrant. Sic autem fit, ut ex bonorum exemplo, tenues admodum fructus excipiantur: ex malorum autem improbitate, damna quamplurima rebus communibus afferantur. Sed non laboro, quam verè, aut fictè sese in studio virtutis exerceant, sint omnes per me honestatis & continentiae laude præstantes, dummodo id, quod nobis utile futurum est, nempe virtutis exemplum publicè constituent: quod verò nocere potest, aut saltem non est multum utilitatis allaturum: illam videlicet admirandam naturæ peruestigationem, homines à rebus gerendis auocantem, ab hominū coetu remoueat. Non dico multis in locis religionem esse disputationibus eorum violatam, generosæ mētis indolem repressam: virtutis neruos incisos, id tamen dico, ut nullum sceleris, aut libidinis vestigium, in illorum scriptis appareat: & multa, eaque præclarè de virtutis amplitudine, & grauitate disputent: non tamen tantum utilitatis importabunt, virtutem summis laudibus exaggerando: quantum Reip. nocebunt, Principes ab administratione Reip. ea disciplinæ suauitate deducendo. Prætereà quod ad virtutem attinet, ea, quæ docere possunt, in promptu sunt omnibus: & quamuis non tam subtiliter & acutè, non minus tamen commodè à parentibus, & pædagogis, & à viris prudentibus, qui cum Regibus assidui sunt, facillimè tradi possunt. Nec enim indigemus Rege, qui virtutem acutè definiat: sed qui virtutis officio strenuè fungatur. Reliqua autem, quæ docti homi-



nes inculcant, multum quidem obscuritatis, & admirationis habent, vtilitatis autem parum. Vt enim nihil sit in omni rerum natura, tantis inuolutum difficultatibus, quod non penitus videant; quid poterit ex illa naturæ cognitione ad vsum Reip. transferri? nū Princeps quidquam ex eorum disciplina percipiet, quo vel Rempu. commodius gubernet, vel hostibus acrius in bello resistat? Nō profectò. Parum ne, inquis, hæc studia pulchra sunt? Sint sanè, si velis, etiam pulcherrima, & iucundissima, dum modò constet, ea nullum adiuuētum communibus rebus allatura. imò quò magis iucunda sunt, eò magis metuendum est, ne princeps illorum iucunditate perfusus, sibi permisi muneris obliuiscatur. Quod si hæc vera sunt, quæ contra Philosophos differuntur, eos censeo procul amandemus, ne sese in gratiam nostri Regis insinuent. Alibi igitur ludum aperiant; alibi ingenij sui acumen ostentent; alibi doceant; & non vbi tantum periculum eorum opera conuari perspiciamus. Quod quidem illi, si non mentiuntur, non admodum indignè patientur. Id enim præ se ferunt, & in eo maxime gloriantur, quòd cum omnia humana despiciant, tum gratias Regum, atque Principum pro nihilo habèdas arbitrentur. Si id igitur ita est, libenter ex aulicorum hominum turba, & colluione semigrabunt, & Regis familiaritatem deserent; ne quidquam sit illis impedimento, quo minus omnia cœli spatia mente peragrēt. Si verò mentiuntur, & simulant se illas opes cōtemnere, quarum insatiabili cupiditate in-

## DE REG. INSTIT. ET

censi sunt, non modò ne doctrina sua nocent; sed etiam vt impudentissimi mēdacijs pœnam luant, in oras longinquas exilij causa cōpellendi sunt. Quoquo igitur modo, siue velint, siue nolint, à regis familiaritate discedāt. Quod si fecerint, & ab hominum nobiliū turba segregati, vitam omnem in sapientiæ studio consumpserint, inopia & egestate conflictabuntur. Nā cum is, qui vt sapientiæ vacare possit, omnia contemnat; nec agrum colat; neq; mercaturam faciat, neque negotiū gerat vllum, neq; artem teneat vllam, qua sibi victum comparet; & id tantum vnum curet, vt simpliciter & candidè philosophetur; quid aliud ei restat, quàm vt extrema quadam inopia & egestate prematur? quid igitur ineptius, quàm cum Regis officium sit, opibus suis multorum inopiam subleuare, & ea de causa sit ei summa diligentia laborandum, vt opes ingentes habeat; eas illi artes tradere, quarum doctores inopes & egētes sunt? an non tandem id eueniet, vt omnes opes suas imminui & dissipari sinat, & summa interdum inopia dstringatur? Ex his, quæ dicta sunt, colligi certè potest, omnes, qui philosophiæ operam dant, aut inutiles esse, aut valdè perniciosos. Si enim sine fuco atq; fallacijs genus illud vitæ colunt, & Philosophiæ penitus addicti sunt; quomodo laborabunt in rebus illis, aut parandis, aut augendis, atque tuendis, quas minimi faciunt? si verò simulant se eas deſpicere, cum tamen earum infinita cupiditate teneantur; quid poterit illis perniciosius excogitari? cum enim ad summā improbitatem, in-

genij acumen, & disciplina non vulgaris adiūgitur, tanta vis mali est, vt sustineri non possit. Quid enim excogitari potest, malitia præclaris artibus instructa & armata valentius, ad reipub. euertendam? Homo enim nequam & improbus, si fuerit disertus & eruditus, Remp. dicendo conturbat; & ad quoduis flagitium impellit; & maiore quodam artificio scelus occultat; & ita vulnus multò grauius imponit. manifestum enim scelus facilè aditu prohibetur: at quod in probitatis ficta specie latet, priusquam animaduerti possit, incautos interimit. Sic igitur fit, vt Philosophi simplices & aperti nemini profint, & sibi noceant: malitiosi verò atq; fraudulentum Reip. plurimū noceant, vt sibi tantum profint. Qualis est igitur hæc sapientia, aut ad quem vsum comparanda, quæ quidē est vel in bonitate inutilis, vel in probitate pestifera? si enim totius antiquitatis memoriam replicare voluerimus, reperiemus ea mala, quibus maxima imperia corruerunt, fuisse magna ex parte per homines eruditos importata. Pericles enim, qui fuit auctor belli illius, quod Atheniensium imperium afflixit; Anaxagoræ fuit auditor. Alcibiades patriæ pestis extitit: Critias ciues suos tyrannide vehementer oppressit, & vterque eorum operam dedit Socrati. Demosthenem similiter accusabant inimici, quod causam funesti belli ciuibus suis attulisset, qui quidem Platonis (vt aiunt) discipulus fuit. Magnum argumentum est non esse Reipubl. salutare Principes eruditos habere: quod videmus, quantam multis in locis cladē



ciuibus suis attulerint Principes eruditi. Cùm enim homo omni doctrina perpolitus, ad summos honores obrepit, alterutrum frequenter accidit: vt vel quæstus & compendij gratia Rēpub. in fraudem conijciatur; aut sapientiæ opinionone subnixus, temerè de communibus rebus statuatur; & ita patriæ firmamenta conuellat. Nihil enim est magis summæ temeritati finitimū, illa confidentia, quæ ferè semper est cum summa eruditione coniuncta. Quid cùm accedit eloquentia? quis tunc poterit magnitudinem tantæ calamitatis arcere, quanta Rebuspubl. impendet? facillimè namque eloquentes homines, in quamcunque partem volunt, multitudinem imperitam vi & impetu orationis impellunt, & in exitium, quoties illis lubet, furibundè præcipitant. Quid illud? Num leue argumentum est existimandum, ad eruditionem hanc à Repu. repellendam, quòd omnes fermè ciuitates, quæ rerum potitæ sunt, eo tempore conciderint, quo liberalis eruditio, & Philosophia, & eloquentia, & omnium artium eiusmodi disciplina, à paruis initijs excitatæ ad summum peruenerant? Reputate quo tempore Atheniensium ciuitas imperij naufragium fecit: quo Thebæ, Argi, Carthago, Rhodus, alijque quamplurimi imperiosi populi funditus euersi sunt: quo Roma libertatem amisit: Eo certè, quo Philosophia maximè florebat, & summa eloquentia dominatum sibi in Rep. comparabat. Non igitur immeritò cùm Carneades, Critolaus, & Diogenes summi Philosophi, & eloquentiæ laude præstantes, legati ab Atheniensibus

fibus Romam missi fuissent; Cato eos statim  
 dimittendos & ablegandos censuit; ne nouo  
 illo & insolito doctrinæ politioris genere, &  
 orationis vbertate, & elegantia, indolem Ro-  
 manæ virtutis infringeret. Metuebat enim vir  
 prudentissimus, ne inuentus omnem impetû  
 animi ab armis, ad eruditionem traduceret: &  
 quanto vehementius sese ad eloquentiæ studii-  
 um adiungeret; tantum de bellicæ gloriæ stu-  
 dio, & triumphorum cupiditate detraheret.  
 Quod si accidisset, non dubitabat fore, vt im-  
 perium Romanum interiret. Sapienter enim  
 iudicabat id, quod armis, non literis quæsitum  
 fuerat; armis, non literis esse retinendum. Vt  
 autem externa linquamus, nostrorum annaliû  
 memoriam repetamus; vt videamus quibus ar-  
 tibus olim Regnum Lusitaniæ creuerit. Num  
 literis? num philosophiæ decretis? nû eloquen-  
 tia? Non certè. Omnes enim tunc erant istarum  
 artium rudes, & ignari. quinetiam multi viri  
 nobiles, ne legere quidem sciebant. Attamen  
 illa rudis & inculta iuuentus, duces nō erudi-  
 tos: sed magnanimos, animo forti, & confiden-  
 ti secuta, in omnibus bellorum tempestatibus  
 inuicta permanfit: victoricia signa in Maurita-  
 niam intulit: multas Solis orientis regiones ar-  
 mis peragrauit: immortaliaque multis in lo-  
 cis virtutis monimenta constituit. At his tem-  
 poribus, quibus multi Lusitani sunt ita culti  
 disciplinis, vt ad eorum laudem, qui magnum  
 ex illis nomen & gloriam consecuti sunt, aspi-  
 rare non dubitent: vix ea, quæ sunt maiorum  
 virtute parta, retinemus. Vnde planè liquet, a-

DE REG. INSTIT. ET

grestem vitæ cultum, & infantiam esse militaris affinem: & munditiam, & elaborati sermonis elegantiam, esse cum ignavia & timiditate coniunctam. Ergo quemadmodum duris, incultis, horridis moribus imperia comparantur: ita vitæ molli cultu, & immodico literarū studio, imperij virtute parti opes euertuntur. Quare nescio, quomodo possim eorū sententię repugnare, qui censent principes literis excolendos non esse: sed antiquitatis rudis, & impolite moribus imbuendos. Aliter enim minime dubitant, quin omnia ruitura sint. Est enim nobis opus impigro & audaci Principe, laboris patientissimo, ad pericula belli fortissimo, qui possit intestinum scelus ferro feueritatis excindere; & hostium immanitatē armis & virtute profligare. At literarum studijs, aiunt, animos desides & ignauos effici, multumq; de vitæ periculo cogitantes. Vt autem orationi nostræ iā finem imponā, dicam breui, quid mihi in Principe desiderandum esse videatur. Primum quidem opus est, vt sit acer, vehemens & incitatus; ita vt otium ferre non queat, tantoque studio laudis incensus, vt mortem verissimæ gloriæ causa vltro appeterēdam arbitretur. Deinde illum clementia & bonitate præditū esse conuenit; vt suorum sibi beneuolentiam conciliet, statumque suum amore multorū atque fidelitate communiat. Deinde is homo sit, qui odio & amore acriter incitetur; vt & scelus vlciscatur, & virtutem pro dignitate remuneret. Illum denique (ne latius, quàm par est, vage-tur oratio) Regem volumus, quem, cum opus  
ita



ita fuerit, ira commoueat; cura sollicitet; misericordia flectat: & à nimia interdum seueritate, ad lenitatem traducat: qui Gazam minimè compressam domi contineat, sed eam instrumentum benignitatis existimet: nec ad coaceruandam pecuniam hominum operis abutatur: sed vt hominum saluti prospicere possit, pecuniam sibi quærendam putet. Qui denique non sibi se, sed patriæ natum censeat: omneque imperij decus & ornamentum, in virtutis amplitudine collocandum statuatur. Hæ virtutes omnes, si literis atque Philosophia comparantur, aut saltem adiuuantur, & augètur, nihil prius faciendum puto: quàm vt Regem Philosophis erudiendum tradamus, atq; committamus: illosque, è quorū videlicet disciplina, tota salus Reip. pendet, patriæ parentes appellemus. Si verò (vt multi dicunt) philosophiæ studiū animos otio corrumpit: si humanitatis sensu spoliatur: si virtutem etiam debilitat: si vel ex arrogantia inuidiā colligit, vel ex immanitate in se odium concitat: si postremò, cum verè ingenuè colitur, inutilis est, cum autem ostentationis & quæstus gratia suscipitur, perniciofa: ita vt meritò vel contemptui sit, vel summi sceleris flagret infamia: nihil certè videtur esse à Regis institutione magis detestandum. Vt igitur omnis legum atque morum nouitas, meritò semper inuisa fuit: vix enim vnquam sine pernicie Reipub. totius inducitur: ita hæc noua ratio Principis instituendi respuitur. Alijs igitur doctoribus illū Principem erudiendum tradamus; quem magnū, Regioque  
nomi-

## DE REG. INSTIT. ET

nomine satis dignum videre cupimus; qui illū non argumentis obtundant: sed clarorum hominum exemplis incendant, & ad fidem, ad iustitiam, ad liberalitatem, ad omnes lenitatis & clementiæ laudes erudiant; in eoque nervos omnes intendant, vt regem non modò fortem & strenuum; sed in omni genere religionis atque pietatis excellentem nobis efficiant. Hæc autem doctrina magis ex Lusitaniæ monumentis, quàm ex philosophorum scriptis, & institutis petenda esse videtur. Nec enim Lusitani reges literis, quibus se nunquam dediderunt; sed armis atque virtute, quam summo studio coluerūt, victorias innumerabiles adepti sunt; nec Philosophorum argutijs, sed optimis legibus & institutis rempub. temperarunt: nec eloquentiæ ornamentis, sed factis egregijs illustrati sunt. Si igitur volumus, vt Sebastianus noster maiorum suorum similis euadat, opera danda est, vt à primis annis equitare, venari, iaculari condiscat, & assiduè se in armis exercent: vt sit valetudine firmus, & exercitatione robustus, ad res animosè gerendas alacer; ne vnquam laborem vllum honestum fugiat, aut vitæ discrimen adire, dignitatis gratia, reformidet. perficiendum enim est, vt dedecus magis, quàm mortē & cruciatū exhorreat. Quod verò ad literas attinet, legere & scribere sciat, & aliqua ex parte latinos poëtas, & Romanam historiam attingat; ne omnino rerum earum, quæ sunt omnib<sup>9</sup> peruulgatæ, rudis existimetur. Illā verò disciplinā summo studio colat, quæ iustitiā continet, qua vna salus patriæ nititur.

titur. Teneat igitur patriæ leges & instituta ci-  
uilia, eaque sibi perpetuò conseruanda putet:  
nullam Remp. consistere posse vllò modò sta-  
tuat, in qua à legum diuinarum, & humanarū  
æquitate disceditur: auaritiā odio persequa-  
tur: sit acer vindex scelerum: turpitudinem ig-  
nominia plectat: dignitatem & honestatē de-  
bitis ornamentis afficiat. Illa tamen ei præci-  
pua cura sit, vt Deum timeat, & tota mente in  
studium pietatis & religionis incitetur. sit præ-  
tereà maximus veritatis cultor, doli atq; frau-  
dis inimicus, & omnibus, qui mendacijs inni-  
tuntur, infensus. Hæ sunt artes, quibus Dei nu-  
men placatur: & hominum beneuolentia con-  
ciliatur: hostes metu abijciuntur: vniuersaque  
Resp. firmissimo præsidio munitur: & florentē  
atque beatum statum consequitur. Hæc igitur  
omnia qui præstiterit, minimè doctorum ho-  
minum scriptis indigebit. Hæc quidem mihi  
in præsentia occurrunt, quæ disputari à multis  
possunt, qui censent Philosophiæ studium nō  
solūm Principibus parum prodesse: sed multū  
etiam obesse. Si hæc igitur tu (me autem nomi-  
nabat) dilueris, magno me beneficio obliga-  
bis: tuis enim argumētis instructus, ijs, quibus  
Philosophia est odiosa & inuisa, repugnabo.  
Hic Portugallensis ridens, quid hoc inquit est?  
Tanta vis eloquentiæ, & tanta copia latitabat  
inter nos, vt quasi ex insidijs homines impar-  
tos opprimeret? Sed vnde quæso tam multa di-  
cendi ornamenta comparasti? scio quidem te  
multum ingenio valere, & istis etiam studijs,  
quæ multi (vt inquis) vituperāt, deditum esse:  
sed



DE REG. INSTIT. ET

sed suspicari non poteram; ut tam diu atque tam ornate differeres. Quod si legatio ista recens, qua Romae perfunctus es, te oratorem reddidit, legationem aliquam eiusmodi expugnare conabor, ut tecum aliquando certare possim: Vnum tamen in primis admirabar, quod eloquentiam parum ornasti: cum ipse tantis illius opibus, ut ex ista oratione iudicare licet, instructus esses. Est verum, inquit Tauora ridens: nam & ego idem me ipsum intuens admirabar, & maior quodammodo, & altior fiebam; & gaudio etiam efferebar, quod existimarem vos admiratione quadam defixos esse. Possune, inquam, Tauora abs te beneficium aliquod impetrare? Poteris, inquit ille, omnia, quae velis, quae quidem praestare valeam. Peto igitur, ne ea quae a te contra Philosophiam disputata sunt, peruulgare velis. Si enim barbaros, & incultos homines sine literis, sine mente, sine ratione, sine disciplina, qui non solum Philosophiam: sed omnes bonas artes pessime oderunt, sustinere non possumus: quid facient, si haec dicendi instrumenta ad eos detuleris? sic enim cum nullo argumento uti possint, sola tamen procacitate, & petulantia satis molesti nobis sint: quid eueniet, si argumentis istis tuis confidere coeperint? Certum nec ego, neque quisquam alius, qui Philosophiam laudauerit, consistere in loco poterit. Quid ais? inquit ille ridens: Ego ne ullam meae dignitatis imminutionem fieri patiar? & cum vobis in dicendo admirabilis visus fuerim, me continebo, quin omnibus exponam orationem meam, ut sciant, quantus

orator

orator sim? quiduis aliud à me postulare & expectare potes, hoc verò nullo modo faciam. Nec mihi quidquam longius est, quàm vt omnes amicos meos participes huius meæ laudis efficiam. Sed expecto, quid ad hæc respondurus sis. Hic ego cùm me ad respondendum pararem, Menesius anteuertit, inquiens. Non patiar vllò modo Tauora, te solum eloquentiæ laudem aucupari. Certum est igitur mihi, experiri quid efficere dicendo possim: maxime verò, cùm multa, quæ à te dicta sunt, minime mihi probaueris. Primum quidem in eo tibi minime assentior, quod vniuersam Philosophiam vituperas: multa enim (vt te credo nosse) genera Philosophorum sunt. Antiquissimi enim toti erant in naturæ peruestigatione, & in inquirendis rerum principijs occupati: quibus successit Socrates, qui primus (vt aiunt) Philosophiam è coelo auocauit, & ad considerationem rationis, atque mentis humanæ traduxit. Hic igitur de recta morum & vitæ constitutione: de familiæ disciplina, de iustitiæ sanctitate: de Reipub. moderatione rectè atque sapienter administranda quæsiuit. Omnis igitur illius doctrina, minime ad ostentationem ingenij: sed ad beatæ vitæ rationem pertinebat. Ab illo autem fluxerunt multæ Philosophorum sectæ, inter se plurimum & verbis, & sententiâ dissidentes: quæ tamen, quod attinet ad vitæ disciplinam, bifariam distingui atque distribui possunt. Alteri namq; sensus eripiebant, & humanitatē hominib<sup>9</sup> detrahebant, qui nò immeritò à multis explosi & eiecti sūt:  
alte-

DE REG. INSTIT. ET

alteri verò ad rectum vsum ipsarum affectionum, quæ sunt nobis à natura tribute, discipulos suos instruebant: & illi quidem, vt opinor Stoici: hi verò partim Academici, partim Peripatetici erant appellati. Erat autem hæc Academicorum & Peripateticorum disciplina sapiens & verecunda, & multis ingenij opib' instructa, & satis ad humanam vitam accommodata: Non enim erant ij Philosophi, qui orbarent hominem sensibus: sed quemadmodum sensibus vti conueniret, sapienter & commodè differerent: non extrahebant radicitus opinioniones natura insitas; sed in quem finem essent omnes affectiones animi referendæ, disputabant: nec erant auctores stuporis, & immanitatis; sed clementiæ, & lenitatis, & moderationis, in qua vna, omnem vitæ dignitatem, & constantiam sitam esse statuebāt: nec aliena (vt inquis) lingua utebantur, sed vulgari & vsitata: nec neglecto & obsoleto cultu vestiebantur, sed eo, quo ciues suos ornatos esse videbāt. Cumq; ingenio & disciplina præcellerent, se tamen in oratione, & vestitu sui temporis moribus accommodabant, & ita se in eorum sensibus insinuabant, vt facilè homines ad se amandos allicerent. Non pauci igitur ab ea disciplina principes extiterunt, qui & bellicis artibus, & pacis ornamentis summam laudem, & gloriam consecuti sunt. Vt igitur fatear eam Philosophiam, quæ hominē humanitate spoliât, esse principibus indignam: ita censeo illâ, quæ est magistra pudoris, & honestatis, & ciuilis societatis, & bellicæ etiâ virtutis, esse principibus



bus instituendis aptissimam. Non enim lucem & celebritatem fugit, non famam negligit, non solitudinem & tenebras sequitur: sed totum se dat ad erudiendos homines, & omnes ciues inter se legibus & institutis, & foedere societatis astringit. Illud tamen Neoptolemi valdè probo, Philosophari placet, sed paucis; nihil est enim in omni principum vita, moderatione præstantius. Te igitur, cum eas artes enumerares, quibus Reges à pueritia sunt instituendi, valdè admiratus sum; quod id omiseris, in quo tota boni Regis laus collocanda est. Quid illud est? inquires, Modus, & temperatio quædam, quæ si non fuerit adhibita, nullû studium, quamuis honestum & laudabile natura sit, laudari iure poterit: omne id namq; quod modum transit, est in vitio ponendum. Rectè quidem tu atq; sapienter metuebas ne rex nimis studio literarum deditus, ita earum voluptate teneretur, vt à libris auelli non posset. Quid si aliquo alio studio nimis etiã teneatur? nõ idem omninò incommodum eueniet? imò multò grauius, quò magis multa ex illis studijs, quæ recensuisti, sunt ab humanitate distincta: hoc enim negare non possumus, studia literarum homines etiam natura feros & truces; ab agresti quadam immanitate traducere: vnde id euenire cernimus, vt quò quisque magis se ad bonas literas applicat, eò magis clemens atq; benignus euadat. Si igitur studium illud, quod ad omnem humanitatem excolit, cum immoderatè suscipitur, vituperandum est: quid erit de illo existimandum, quod non ad huma-

nitatem erudit; sed potius natura sua in animis feritatem quandam ingenerat? De palestra quidem fileamus; nam tam indigna regia maiestate est, ut verbis explicari non possit. Omne autem, quod maiestatis, & dignitatis non est, nullo modo censeo in Regum educatione permittendum: nisi tu fortassè pulchrum censes, Regem suorum manibus vexari, & corporis etiam totius nixu premi, & impelli, & contorqueri, atq; postremò in terrâ proijci. Quod quidem non solùm indignum est; sed etiã assuefacit quemuis hominem nobilem, regem continere, quem prostravit; vel saltem cum quo sine verecundia luctatus est. Vis præterea ut Rex equitare, venari, iaculari condiscat, & se frequenter in armis exerceat. Quod corpus Regis his studijs exercendum putas, laudo: quod nullum illis modum præfinis, vitupero. Si enim rex, ut primùm de venatione loquar, sylvas atque nemora assidue peragrauerit, ut bestias vestigijs omnibus persequatur, summamque laudem in illarum strage constituerit: eueniet tandem, ut Regem ferum & agrestem habeamus, ad omnemque Regiam disciplinam prorsus indocilem. Tales enim plerumque euadimus, quales sunt ij, cum quibus viuimus, usque adeò, ut si feras etiam multum sectati fuerimus, sit etiam necesse mores nostros paulatim efferari. Si Rex igitur assiduus in venatione fuerit, & multum de nemoribus, & lustris, & de ferarum latibulis, & de canibus atque venabulis cogitauerit; humanitatem tandem exuet, & pro clementi atq; benigno Principe, ferum & inhumanum

se præbebit. Deinde qui venationibus assuecunt, difficillimè ab ea voluptate retrahuntur: cum verò Reges vt plurimum, sint magis voluptatibus suis obsequentes, quàm reliqui homines: eueniet, si fuerint nimis dediti venationibus, vt nemo possit illos à syluis abstrahere, vt negotia transigant, & Regium munus administrent. Adde postremò falsam illam virtutis opinionem, qua sibi Principes assentantur, cum fugientem bestiam persequuntur, eamque venabulo coniecto transfuerberant: nihil enim existimant esse sibi reliquum ad summam laudem, eamque virtutis indolem, quæ erat studijs militaribus incitanda, in ingentis apri cæde, aut in magni cerui lethali vulnere consumunt, & quasi sit iam ab illis egregiæ virtutis signum datum, neque hostes, neque bella cogitant, nec vllum sibi trophæum proponunt, nec vllâ ad laudè imperatoriæ laudis aspirant. Quod etiam de ludicra armorum exercitatione dicendum est. Princeps enim, qui nimis diu in eo ludo versatur, præter modum durus & agrestis efficitur; & præterea laude gladiatoria contentus, optimi Regis laudem minimè querendam existimat. Id igitur in primis Regi præscribendum est, ne nimis se vel in venatione, vel in armis exerceat; in omnibusque rebus modum illum seruet, in quo tota virtutis atque laudis præstantia consistit. Literarum verò studium, ita cum corporis exercitatione coniunctum esse cupio, vt neque nimum studium literarum, sine corporis exercitatione, corpus ipsū frangat atque debilitet: neque corporis exercitatio



DE REG. INSTIT. ET

sine literis animum omni humanitate spoliet. In eo verò, quod dixisti omnem curam eorum, qui Reges instituunt, in eo collocandam esse: ut eos summo studio religionis imbuât, te reprehendere non possum: constat enim omnes virtutes religionis gremio, atque sinu cõtineri. Sed vide, quid illis respondendũ existimes, qui statuunt esse quendam religionis etiã modum, sicut rerum aliarum; quem qui transgreditur, periculum est (vt aiunt) ne omnia officia conturbet. Vtar autem illorum rationibus. Qui enim nimiam operam in religione procuranda consumunt, & sic numen exhorrent, ut nihil agere, nihil moliri, nihil decernere audeant, quomodo poterunt Remp. administrare? partim enim, quia nullum eis tempus à religionis cultu vacat; partim quia dies atque noctes attoniti, Dei metu distinentur, nullum neque publicum, neque domesticum munus obire possunt; nec vllam vitæ tranquillæ partem suscipere. nec enim acer in bello, nec in insidijs explorandis industrius; nec in augenda re familiari diligens, nec in gerendo negotio callidus is esse potest, qui nimis est vinculis religionis impeditus; semper enim horret, & tremmit, & si pedem extra numerum mouerit, ne in grauem Dei offensionẽ incidat, extimescit. Quare nimiam istam religionem illis relinquendam esse dictitant, qui se totos ab hominum turba, & à negotiorum molestia remouerunt: ut omni cura soluti, liberius possent Deum pro omnium salute venerari, quorum quidem ego pietatem admiror, non tamen ita,

vt ea Reges nostros implicari pulchrum arbitrer. Non enim omnes omnia decent. Quod enim vni generi hominum decus & dignitatem adiungit: alteri insignem labem dedecoris aspergit. Si enim cantor publicè clarissima atq; suauissima voce cecinerit; aut si gladiator in publico spectaculo strenuè decertauerit; aut pictor penicillo quam volet formam expresse-rit, laudem certè quilibet eorum arti suæ consentaneam assequitur: at Rex si simile quidquã designare voluerit, non mediocri ignominia deformabitur; nec enim fieri potest, vbi muneris alieni dignitatem consequi studet, vt suam retineat: ad hunc autem modum necesse est, vt quod certum genus hominum Religionis sanctissimæ sacris alligatum exornat, multum de Regis honestate diminuat. Videte aut̃ quo nomine laudemus eos, qui religionis gratia cœtus hominum reliquerunt: quòd omnes opes, & voluptates aspernati sint, quòd oïa humana contempserint, quòd ad rerũ cœlestium cupiditatẽ exarserint, quòd in vita manẽtes ex hac tamẽ vita quodãmodo excefferint, vt tota mente in cœlo versarentur. Quid igitur? Feretis ne vos Regem, qui lucẽ hominum atq; celebritatem vitet? qui opes omnes aspernetur? qui sensus humanos repudiet? qui neque negotium vllum ita gerat, vt appareat eum animo præsentem esse, neque casus humanos ad se pertinere arbitretur? Nullo modo. Qui enim cunctas opes humanas despiciunt, quo tandem modo atque ratione res humanas moderabuntur? Et qui homines fugiunt, quo pacto hominibus

## DE REG. INSTIT. ET

imperabunt? Quapropter non modò erit hæc nimia religio parum decora Regibus, sed etiã periculosa & infesta. Quoties enim ei religio oblata fuerit, quòd sæpenumerò illis euenire necesse est, qui valdè superstitiosi sunt, hærebit, & titubabit, & implicabitur, nullumque exitum inueniet. Si verò belli motus increpuerit: quo animo se ad bellũ comparabit is, qui omnia, propter quæ homines inter se bella gerunt, despicit atque contēnit? Nec enim vt gloriam quærat, quam valdè negligit: nec vt vectigalia tueatur, quæ minimi pendit: nec vt iniuriã persequatur, in cuius obliuione pietatis summam ponit, bellum animosè suscipiet: neque is erit postremò, qui cùm omnia agi, atque ferri viderit, id admodum molestè patiatur, cùm nulla grauis cura animũ illius perturbet, qui supera tantũ atque diuina spectat, neq; est magnoperè de commodis huius vitę sollicitus. In omni igitur negotio, siue ad iuris administrationem, siue ad belligerãdĩ rationem pertineat, ita superstitione conflictatus hærebit, vt nihil expedire possit; sic autè dum iniectis animo scrupulis nihil explicat, & recens aliquod negotium, negotijs vetustis adiungitur; & aliæ res expediendæ, alijs vel neglectis, vel impeditis accumulatur: tanta multitudinẽ negotiorum obruitur, vt omnem curã reip. cõstituenti, desperatione fractus abijciat. Et reuera quidquid pigritiã regibus affert, in summis est malis numerandũ. Id enim est, quod vires animi frangit: corporis valetudinem atque robur debilitat: maiestatiẽ regis imminuit: veterem



terem disciplinam corrūpit: iuuentutē luxuria atq; delitijs effoeminat: hostes feroces & infestos efficit: omniaq; tandē firmamenta Reip. labefactat. Cū verò nimia religio causam huius inertię atq; pigritiæ afferre videatur, minime mirandū est, si homines cū principes suos nimia religione teneri & impediri perspiciūt, id molestissimè ferunt, & de illorū superstitione assiduè conquerūtur. Quid igitur? inquires, tu regiū esse putas religionē negligere? Minime verò. Christianus enim sum, nullumq; tā immane facinus esse puto, q̄ sit aliqua ex parte cum religionis negligētia cōparandum. Illud tamen dico, quemadmodum rerum aliarum, ita & Religionis esse modum; quem qui transgreditur, similiter est in vitio, atque si nimis timeret, vel nimis auderet, vel nimis amaret, vel odio nimis duceretur, vel ad rem nimis attentus esset, vel nimis in re familiari dissolutus, vel deniq; (ne omnia persequar) in aliqua re alia medium illud minimè teneret, in quo est tota virtutis ratio constituta. Placet enim in primis Horatianam illud:

*Est modus in rebus, sunt certi deniq; fines:*

*Quos ultra citraq; nequit consistere rectum.*

Vt igitur facinus est infandum, Religionem spernere: ita non leue flagitium principis esse multi iudicant, immodica religione distineri. Illi quidem, quibus hoc vnum munus assignatum est, qui ne quid aliud facerent, sese ab hominum multitudine segregarunt; eò conatus omnes comparent, vt summo studio res diuinas peragant, totoq; animo in religionē in-

DE REG. INSTIT. ET

nimum sibi negotium datum sit, alienis negotijs, atque muneribus implicari? Quod si negotium aliquod est, nimis ab officio regis alienū: id videtur multis esse, quod ad religionum curam atq; moderationem pertinet. Si igitur rex nimio studio religionis negotia tractare coeperit, Rempub. pro dignitate tractare non poterit: religionis igitur negotia, religiosis hominibus administranda relinquat: ipseq; munus sibi cōmissum vigilanter administret: intelligatq; regis religionem præcipuè in hominibus benignè audiendis; in negotijs strenuè conficiendis, in bellis fortiter administrādis; in beneficijs largè atq; munificè (si consisterint merita) cōferendis, collocandam esse. Illa nāque sanctissima religio habēda est, quæ in proprij cuiuslibet muneris & officij perfuntione cōsistit. Rex igitur, qui officio suo egregiè functus fuerit, non multum certè hominibus religioni consecratis, de sanctitate concedet. Seus autem, si se nimium eorū rebus immiscuerit, & ad eorum instituta penitus cognoscendā mentem & intelligentiam cōuerterit; propriam Regis sanctitatem conseruare nō poterit. Hæc quidem sunt, quæ à multis hominibus prudentia, & auctoritate præstantibus disputari solent, qui de immodica principū nostrorum religione assiduè conqueruntur. In eo vero, quod dixisti, ad regis officium pertinere, leges & instituta ciuilia nosse: velim intelligere quæ sit tibi mens & sententia. Num putas Rempub. Principem esse disciplina iuris ciuilis imbuendum, vt quasi quidam leguleius veterator

& cal-

& callidus, formulas actionum componat, & cum ijs, qui iuris prudentes haberi volunt, acutè disceptet? Quid est autè quæso, quod magis dignitatem illius diminueret, aut benignitatem deprauare possit illa scientia? quam qui profitentur, in rerum minimarum studio versantur; & lites acri contentione persequuntur; & summam disciplinæ suæ laudem in malitia & fraude constituunt. Is enim summus iuris consultus habetur, qui facilimè potest acumine suo leges ad libidinè suam interpretari. Cùm igitur abeant studia in mores (vt inquit ille) si Rex fuerit eorum disciplinis eruditus, necesse erit, vt illorum argutijs & subtilitate delectetur, vt studia belli, & ornamenta pacis omittat; vt quo iure, quæue iniuria lites subditis suis intendat; vt ita in iudicijs prauissima ratione dominetur. Regem igitur habebimus animo minuto & angusto, rem suam litibus atque calumnijs augentem: omnem mentem suam in iudiciorum fraudes & insidias conferentem: neque quomodo de hostibus victoriã consequatur: sed qua ratione ciues bonis euertat, callidè & argutè cogitantem. Nihil igitur minus conuenit, quàm Regem istis artibus infici, quæ vel regium illius animum ab amplissimarum rerû cogitatione, ad minimarum studium traducant: vel naturam illius simplicem atque benignam, malitiosam, & sordibus avaritiæ contaminatam reddant. Quare si fieri potest, istis Iureconsultis aditum ad Regem præcludamus: ne illius bonitatem aliqua contagione insitè prauitatis inficiant. Nec etiã pertinet  
ad Re-



DE REG. INSTIT. ET

ad Regis officium ius dicere, sed eos iudices dare, qui verè & incorruptè iudicent: nec in ingenij acumen in explicatione dubij & cōtrouersi iuris ostentare: sed in eos, qui leges à vero sensu detorquent animaduertere, quod quidem non tam iuris disciplina, quàm recto mētis iudicio, & diligenti rerum examine confici potest. Quidquid enim simplex & rectum est, & diuino & humano iure sancitum, facile in mente cuiusuis hominis benigni atque prudentis infidet: quod autem est callidum & fraudulentum, natura respuitur, neque potest vllō modo stabilem sedem in sensu bonæ mentis habere. Quod si tamen existimatis non ita commodè posse Regem in improbos vindicare, nisi fuerit aliquo modo & ratione disciplina iuris ciuilis institutus, non valdè repugnabo: dū modo illa moderatio conseruetur, quam in omnibus studijs regibus maximè retinendā censeo, in hac arte præsertim, in qua plerumque cernimus, nimium illius studium esse pestiferum. Qui enim mediocriter eruditi sunt, non tantum habent artificij, vt legum simplicitatē variè flectant, & hūc & illūc ad libidinem suā contorqueant. At qui magnos in hac disciplina progressus habent, hoc sunt artificio summo consecuti, vt quidquid velint, legibus omnibus decretum esse disputent, & in quamcunque partem se conferunt, pro se iura omnia facere defendāt. Vnde colligitur nimium iuris ciuilis studiū esse fallax, & litigiosum, & infestum, & ipsius iuris & æquabilitatis inimicū. & reuera iuris & æquitatis ratio, sic est communibus

munibus sensibus infixæ, vt nemo sit (dum modò aliquid valeat ingenio, & mentem cupiditate cæcatam non habeat) qui non mediocri disciplina adiutus, facillimè possit, quid iustū & æquum sit, mente & cogitatione percipere. Qui igitur totā ætatē in iuris studio cōterunt, non tātā operam in eo posuissent, si bonum & æquum tantū in iuris ciuilibus explicatione spectarent: quod quidem in promptu est, & facillè cognitione comprehenditur: sed id agunt & moliuntur, vt rebus clarissimis tenebras ofundant, vt ipsi in maiore honore sint, si visi fuerint in arte difficillima versari: & facilius possint ostentatione disciplinæ subnixi, hominibus imperitis illudere, & ad emolumentum & quæstum omnia iura reuocare. Itaq; ea, quæ posita, & firmè constituta erant, cū lubet, reuellunt; quæ verò erant sublata, reponunt; quæ contexerant, retexunt, & vim rebus optimè cogitatis & sancitis intendunt, inuertunt, & immutant, fraudes & insidias concinnant, atque nimia plerumq; subtilitate perficiunt, vt quod iustum & pium est, iniustum & nefarium esse videatur, & quod nefarium & impium est, debitum & pium officium existimetur. Vnde cōcludi potest, quidquid est in studio iuris ciuilibus acutum, & subtile nimis, varijsq; difficultatibus implicitum, esse fraudulentum, & pernitiosum, & ad hominum vitam peruertendā, improborum acumine comparatum: & ea de causa à Regum disciplina & institutione maximè detestandum. Illa autem mediocris iuris cognitio, quæ Regibus utilis est, facillè ex negotio-

gotiorum incidentium multitudine, & ex doctorum hominū vsu atque fermocinatione cōparatur. Non est igitur opus, vt Rex disciplinā istam ex libris hauriat, sed eorum mētem, qui in illa sunt cū laude versati, diligenter inquirat: eamque sententiā magis comprobet, quæ non tam subtilis est, quàm æquitate nixa, & legi sempiternæ, quam animis incisam gerimus, accommodata; nec enim Regis officium est, iudicijs præesse, sed iudicibus, qui leges venales habent, pœnas, quas merētur, imponere: quod quidem non magnam iuris cognitionem, sed magnum animum, & vigilantem, & studio publicæ utilitatis incensum requirit. Nec illud quidem prætereundum esse videtur, quod dixisti, Regem esse debere veritatis obseruantissimum. Fateor equidem facinus esse, plerumque mentiri, fidem datam fallere, & in conditione atque pacto non manere, sed incidunt sæpè tempora, in quibus non possis stare promissis, sine magno Reipub. detrimento: tunc igitur, Rex aut Reipub. curam abijciat, opus est; aut multa subdolè atque versutè moliatur. Scitum est enim illud Lyfandri dictum, cum illi quidam exprobraret nimiam in gerenda Reipub. calliditatem, diceretque minimè conuenire illis, qui essent Herculis satu procreati, mentiri: imò sanè, inquit ille ridens, nam Hercules ipse hoc primus excogitauit, vt quoniā leonis pelletotum corpus tegere nō poterat, vulpis pellem assueret. Hoc autem ille non modò dixit, sed etiā præ se tulit: neque quidquam genere suo indignum existimauit, quod ad augendam



Rempublicam pertineret . Et profectò tanta est caritas patriæ, vt omnis etiã interdum turpitudò, gratia illius subeunda videatur. Quamquam multi Reges id non tam patriæ amore, quam suæ dominationis augendæ causa faciunt: & tamen mentiendo , non solùm nullam infamiam suscipiunt: verùm etiam simul cum virtutis & industriæ fama , ingenij atque prudentiæ laudem consequuntur. Illi verò, qui ne fidem fallant, imperium augere nolunt, vt stulti, & nimis simplices irridentur. Infinitum esset, si vellem recensere Principes, hominum eruditorum monumentis celebratos; qui multò plures nationes dolis & fraudibus, quam aperto Marte sub imperium subiunxerunt . Vt enim quisq; eorum maximè ingenium ad malitiam acuebat; & sine vllò respectu ad fidem, id tantum, quod sibi vtile futurum esset, acutissimè prouidebat; ita maximas opes sibi, cum amplitudine nominis & gloriæ comparabat. Sed quid est opus nimis antiqua referre? Reperat animo, qui volet, quot bella nostra memoria inter Christianos Principes mota sint; quoties inducię factæ, aut pacis fœdera sancita. At quandiu fœdera valuerunt? tantisper certè, dùm fœderis religionem vtilitatis ratio confirmauit, at vbi primùm aliqua ratio vtilitatis , cui pax impedimento fuisset, obuersabatur: omnè repente coniunctionem species vtilitatis oblata dirimebat . Non loquor de fide Punica, non de Turcarum perfidia, non de Tyrannorum immanitate: quorum imperium est fundatum scelere, nixum mendacio , fraude atque periurio

DE REG. INSTIT. ET

periurio stabilitum: de Principibus Christianis loquor, & de ijs Principibus, quorum nomē haud est aliqua impietatis infamia maculatū. Si enim videritis, quo iure multi ex illis in alienas vrbes inuaserint; qua mente foedera violauerint; quo impetu contra interpositam fidē armis in alienas opes inuecti sint; intelligetis planē Regem, omnem fidei religionem, vna utilitate metiri. & tamē in ore hominum sunt, & eorum nōmen per omnes regiones cum omnium admiratione peruagatur: quod tamē minimē probo, neque mens mea cum multitudinis amentis opinione consentit. Illud tamen dico, eos Principes, qui, cū Reip. salus postulauerit, fidem datam neglexerint, summis esse laudibus efferendos. Si enim propriæ utilitatis ratio facit, vt fides sine dedecore à Regibus violetur; quid eueniet, cū patriæ salus atque dignitas eos ad fidem frangendam impulerit? Quanquam ij, qui ea gratia fidem nō seruant, vt patriæ suæ consulant, non fidē produnt, sed inuiolatam conseruant: magis enim fidem patriæ obligatam habent, quàm illis ipsis, cū quibus foedera percusserunt. Is igitur qui cum patriæ peste, atque pernicie fidem seruandam putat, multò maius in se perfidiæ crimen admittit, quàm si fidem omnibus foederibus obligatam violaret. Perfidus namque is maximē putandus est, qui Reip. sibi commissæ salutem negligit; negligit porrò salutem Reip. qui fidem tuetur, cum illam fidei constantiā patriæ perniciosam fore videt. Vt igitur medici, quibus nihil est aliud propositum, quàm egroti salus;

sæpè mentiuntur, vt leuent ægritudine eos, quos sanare cupiunt: sic etiam principes, quibus patriæ salus incumbit, mentiri interdum debent, vt patriæ saluti prospiciant. Quemadmodum igitur de religione diximus, ita censeo de veritatis, atque fidei studio dicendum, esse modum illum principibus in studio veritatis adhibendum, ne, dum fidei gloriam quærunt, nomen prudentiæ atque sanitatis amittant. Illud igitur (Nihil nimis) quod vitam omnem continet, est etiam in fidei conseruatione retinendum: ne videlicet, dum fidem alienis seruamus, fidem datam ijs, qui in nostra tutela atque præsidio latent, nefariè violemus. Vt autem omnia breui comprehendam, ita regem venationibus oblectari volo, vt nõ ferus & agrestis euadat, ita armorũ studio teneri, vt non proximè ad naturam gladiatoris accedat: ita literis operam dare, vt non otio atque desidia languescat: ita religionè colere, vt superstitione minimè conflictetur: ita iuris ciuilis cognitionem capere, vt à iuris consultorum fraudibus vehementer abhorreat: ita fidem conseruare, vt, id cum cõmunis vtilitas flagitauerit, fidem violare non dubitet: & in omni deniq; vitæ officio, illam mediocritatem tenere, in qua quidem omnem regni sapienter administrandi rationem collocandam arbitror. Itaq; is, meo quidè iudicio, erit princeps omni laude cumulatus: qui in omnib<sup>9</sup> studijs, & cogitationibus suis, & in omnibus officijs, in omnibus deniq; Reip. partibus administrandis, modum & ordinem tuetur, nec vnquam à rationis mo-



deratione recedit. Cùm igitur multa Tauora  
noster, de Regis institutione præclara dixerit,  
id sanè sum admiratus illum omisisse, quo om-  
nis regia disciplina continetur. Hæc cùm Me-  
nesius perorasset, sum sanè conturbatus, quòd  
erat mihi simul & Tauora refellendus, & Me-  
nesij etiam tam diligens, & tam accurata ora-  
tio disputatione refutanda. Sed cùm Solis ar-  
dor nos iam, vt inde abiremus, admoneret, &  
Georgius Bethlehemiticus vir, & literis, & re-  
ligione insigni præditus, & mecum amore  
non mediocri coniunctus, ad prandium vo-  
caret; factum est, vt Tauora atque Menesius  
in villam Emanuelis Portugallensis, cum  
Francisco Portugallensi discederent: ego ve-  
rò in religiosorum triclinium cum Georgio  
me conferrem: ab illis tamè postulauì, vt post  
meridiem in eundem locum conueniremus,  
vt possem, refrigerato iam Solis ardore,  
liberius ad omnia, quibus in  
me fuerant inuecti, re-  
spondere.

REGIS IN-  
STITVTIONE ET  
DISCIPLINA, LL.  
BER SECVNDVS.

**E**odem igitur die post meridi-  
em, vt fuerat inter nos consti-  
tutum, in eundem locum veni-  
mus, atque postquam confedi-  
mus, ego sic sermonē, ad quem  
iam paratus veniebā, institui.

Non possum satis statuere, an maiore ex orati-  
onis vestræ elegancia voluptatem acceperim;  
an ex necessitate, quæ mihi imposita est, respon-  
dendi, molestiā. Elegancia enim & copia tanta  
fuit, quantā in hominib<sup>9</sup> nostris inesse nunquā  
susplicari potuissē; necessitas autem, q̄ me præ-  
mit, ea est, vt nisi vestræ expectacioni satisfacere,  
sit mihi infantiæ dedecus subeundum: in ta-  
li præsertim causa, in qua non sit mihi solū pro  
mea existimatione dimicandum, sed patrocini-  
um etiam philosophiæ suscipiendum, ne vl-  
lo modo à Regis familiaritate repellatur, & à  
regni finibus exterminetur. Et quoniam non  
omnia, quæ dixistis, mihi refutanda puto: mul-  
ta namque sanè prudenter attulistis, quæ mul-  
ta regiæ virtutis ornamenta continent: ijs tan-  
tū, quæ regiæ amplitudini obstare videntur,  
repugnare cōtendam. Sed vt id cōmodius fieri  
possit, principio altius repetito, sermonē exor-  
diar:

## DE REG. INSTIT. ET

diar. Primùm igitur quærendum est, sit ne aliqua disciplina, qua institui, & informari debeat is, ad quem omnis Reip. moderandæ potestas deferenda est; an nulla omninò sit. Si nullâ esse dixeritis, vehementer admirabor. Quid enim magis absurdum est, quàm, cùm ne faber quidem ullus esse possit, nisi prius multam operam det artifici, qui artificio illo præcellat: existimare, solum Regis officium, sine vlla ratione atque disciplina cõstare? Num Regis munus est ludus quidam, ad quem sunt Principes sine vlla doctrina perducendi? an illud potius, quo nullum, aut grauius, aut amplius excogitari potest? quid, quod ne in ludo quidem poterit aliquis concinnè, & eleganter sine aliqua disciplinæ ratione versari? nec enim pila ludere, neque choros ducere, neque personam agere, neque ludicrum aliquod munus exercere quisquam venustè potest, nisi id multò antè didicerit, atque meditatus sit. Itane verò? ludos spectare non possumus, nisi fiant ab hominibus ludendi artificio peritissimis: Reipubl. verò totius tuendæ curam, homini totius artis ignaro, & imperito cõmitteremus? Et eum, qui sine musicæ disciplina psallere studet, vt hominem insanum explodendum & eijciendum censemus: eum autem, qui sine aliqua doctrina id sibi sumit, vt populos imperio cõtineat, & Rempub. ab omni calamitate tutam conseruet, tolerandum existimabimus? Et cùm ne regi quidem in aula regia inter familiares, atque domesticos diebus festis, vt sit, saltandi gratia è folio surgere liceat, nisi ad illud saltationis genus,



genus, multis antè diebus fuerit eruditus: imperium administrandum, & vniuersæ Reipub. pondus sustinendum, illi sine vllò metu permittimus, qui non diu fuerit in hac tâta, atque tam difficili arte versatus? Quid tandem quaeso periculi est, si Rex saltat parum decorè? Risum certè faciet. Rectè sanè, id ne accidat, præcauetur: nihil est enim in Rege ferendum, ne ludo quidem, quod non aptum atque decorum sit: at si Rempubl. parum aptè atque decenter administrauerit, hostibus quidem risum mouebit: suis verò vniuersæque Reipub. perniciem, & interitum cum multis lachrymis importabit. Quid igitur minus conuenit, quàm in re ludicra, quam certè ignorare minimo cū periculo licet, cauere diligentissimè, ne Rex extra numerum pedem moueat: in re autè maxima & amplissima, in qua sine totius Reipub. periculo peccare non licet, non maximam diligentiam adhibere, ne quid Rex contra præscriptionem rectè rationis efficiat? Cùm enim omnis stultitia periculosa sit, tum Regis amentia non vni tantum homini, neque paucis, sed toto regno periculum extremi dedecoris, & euerfionis intendit. Et quamuis nullum aliud periculum impenderet, nisi illud, quod est in imperij contemptu, atque negligentia constitutum: id tantum est, vt totam Rempubl. evertat. Nulla enim Respub. nulla multitudo, neque domus quidem vlla, siue imperio constare potest, vbi igitur imperium negligitur, necesse profectò est, vt omnes opes Reip. dilabantur. At sic est in more positum, vt quemadmodum

## DE REG. INSTIT. ET

in morbo medicis peritis libentissimè paremus, imperitorum autem iussa contemnimus: sic in Rep. illius moderatoris imperio, quem, quid nobis expediat, acutè perspicere iudicamus, libèter obtemperemus, Principis autem stulti præcepta negligamus. Nec enim quidquā minus ferendum arbitramur, quàm eorum, qui rerum potiuntur, insaniam: metu igitur interdicitum coacti, non iudicio rationis impulsimperata conficimus: nihil autem, quod metu atque minis expressum est, poterit esse diuturnum. Cùm igitur id euenerit, vt neque Rex, quid optimum factu sit, propter amentiam explicare possit: neque subditi id, quod ille decernit, Reip. expedire putent: consequens est, vt imperium illius contemnatur, & omnis respub. perturbetur: nihil est omnib<sup>9</sup> Rebusp. magis infestum, quàm regis amètia. Nunquam ne legistis apud poëtas, quantam inflammationè terris attulerit Phaëthon, Solis filius, cùm à patre impetrauit, vt vice illius vno saltem die lucem terris diffunderet? non igitur solù, vt perhibent, omnes terras, & flumina, & fontes flammis exussit; sed ipse tandem fulminis incèdio conflagrauit. Non autem existimetis fuisse hanc fabulam ab hominibus summo ingenio & eruditione præditis temerè confictam: hoc enim significare voluerunt, rerum omnium interitù fore, cùm potestas regendi atque moderandi immoderatis hominibus, & huius tam præclaræ artis ignaris concessa fuerit. Qui enim se ipsum regere nescit, quomodo populum vniuersum reget? qui nullum modum in vita seruat,

uat, quo tandem modo multitudinem continebit? qui ius atq; leges ignorat, quo iure remp. vniuersam deuinciet? qui denique tenebris oppletus est, quo pacto lucem ciuibus suis afferet? Reliquum igitur est, vt cùm in regiam sedem, tanquam in currum Solis ascenderit, vt remp. vniuersam regio lumine collustret, non solum tenebras minimè dispellat: sed etiã sibi & reip. tenebras offundat, & pestẽ & exitium machinetur. Et quam nã aliã esse causam putatis, cur in tam multis ætatib<sup>9</sup> tam pauci Reges extiterint regis nomine digni; nisi quia difficilimum est, regem sapientem inuenire? Cùm id autem diuinitus alicui nationi concessum fuerit, vt regem sapientem habeat: & ipse rex amplissimum, ex moderatione sua virtutis & sapientiæ suæ fructum percipiet, & populus vniuersus omnibus bonis, illius opera atq; benignitate, circumfluet. Secus autem, cùm rex insipiens est, multa temerè statuit: multa negligenter atq; dissolutè gerit, multa furenter administrat, multis in locis vel Remp. sine causa in extremũ crimen salutis inducit: vel immemor laudis & dignitatis, dum nimis otio consulit, cum interitu dignitatis & otium, & omnes opes amittit. Nec enim tenet vllam rationẽ vel pacis seruandæ, vel belligerẽdi: sed quocunq; eum furor impellit, eò se confert, & quorsum ea, quæ molitur & efficit, euasura sunt, minimè reformidat. Sed multa fortasse verba in hac parte cõfirmãda feci, nec em̄ negari potest, esse disciplinam aliquam, qua futuri reges instrui debeant, antequã ad remp. tractandã accedãt.



DE REG. INSTIT. ET

Restat igitur, ut videamus, quæ nam tandè illa disciplina sit. Eane, quæ in Regum filijs educandis increbuit? Si eam probatis, aliam nõ requiramus. Vultis igitur inspiciamus à capite, quo modo Regum filij nutriantur, aut quibus disciplinis informentur, ut tandem ad summam amplitudinem Regiæ maiestatis aspirent? Tuo id quidem arbitrato, inquit T. nec enim tibi præfinimus, quo minus oratio tua liberè vage-  
 tur. Rectè, inquã, facitis; hærebit enim oratio, si certis legibus fuerit astricta: repetamus igitur animis, quomodo Principes educentur, ut ex ea educatione diligenter notata & animadu-  
 uersa, scientiam, si possumus, institutionis Regiæ faciamus, sed antequam in eam orationem ingrediamur, pauca quædam de hominum natura atque vita communi dicenda sunt. Omnis homo in vita instituenda aut rationem sequitur, aut cupiditatem. Ratio est naturæ lex animis incisa, à turpitudine & exitio deterrens, & honesta atque salutaria præscribens. Cupiditas est appetitus vehemens, ratione vacuus, ad flagitium atque perniciem furibundè sollicitans. Hæc autem cum sit multiplex, & varia, & sibi dissimilis, & infinita: omnes tamen illi  
 us motus, ad duo capita reuocari possunt, quorum vnum est Ira, alterum autem Libido. Ira quidem est acris animi vis, specie dedecoris & contumeliæ vehementius ad vindictam cõcitata. Libido verò est cupiditas immoderata corporeæ voluptatis, & earum rerum, quæ ad eam voluptatem conferuntur. In irâ igitur nõ solum vlciscendi libido, verum etiam, quod  
 est con-

est consequens, immoderata laudis appetitio continetur. Qui enim contumelia offenditur, necesse profectò est, ut cupiditate laudis teneatur. Libido autem continet in se fraudis, & avaritiæ principium, flagitiorumque omnium seminarium. Vtraque autem vis, tam ea, quæ studio honoris & dignitatis animum sollicitat, quam quæ cupiditate voluptatis inflamat, rationi subiecta est, secundum naturam: & tamè contra naturam in animo sæpè dominatur. Rationi enim, quæ natura principatù tenet, hoc munus assignatum est: ut iram atque libidinè, & omnes motus, qui ex illis oriuntur, in potestate contineat. Contra verò, cupiditates vehementius incitatae se inferunt, & intrudunt, rationemque ad se omnibus modis pellicere contendunt, illique tandem persuadent, non posse eam officio suo fungi, beatæque vitæ statù adipisci, nisi illis fuerit obsecuta. Hinc colligi potest, quod sit adulationis initium, atque fundamentum. Dum enim hinc honoris ambitio animum stimulat, & inde voluptatis effrenata libido eundem inflamat, & utraq; pars in eo pugnat, ut rationi aduletur operamque suam ostendat: atque pollicetur se effecturam, ut animus affluat bonis omnibus, quæ necessaria sunt ad vitam in summa iucunditate traducendam: fit tandem, ut ratio dum ancillis nequissimis auscultat, de statu suo concidat, & illarum dominatu turpiter opprimatur. Sed de adulandi ratione & artificio postea differemus: nunc verò institutum persequamur. Cùm igitur ratio non refrenat cupiditatem, neque motus

tus animi regit, sed cupiditatis immoderationi succumbit: fit, ut omnes homines, in quibus cupiditas omni vinculo soluto dominatur, omni se flagitio contaminent; ita tamen, ut alij alijs vitijs magis affines sint. Quidam enim, qui clariori indole præditi sunt, honoris & dignitatis ambitione vehementius efferuntur, illius gratia scelera infinita plerunq; suscipiunt. Quidam verò, qui magis ad quadrupedum naturam accedunt, voluptatis, aut pecuniæ cupiditate furentius incitantur: & illius causa similiter fraudes, & insidias, & innumerabilia flagitia moliuntur. Ex his, quæ dicta sunt, concludi potest, triplex genus hominum in vita reperiri, alij namq; homines, qui quidem sunt paucissimi, omnia officia vitæ ad rectam rationem dirigunt: alij deinde ambitione præcipites, ad inanis gloriæ studium rapiuntur: alij postremò in omni genere sordium impurissimè voluntantur. Hæc cum ita sint, quæro à vobis, quem Regem habere velitis: eumne, qui totus sit in libidinis impurissimæ dominatu? qui die solè non aspiciat? qui noctes in nequitia consumat? qui opes & honores, virtuti & industriæ debitos, ad libidinum ministros deferat, qui ut omnia hominibus improbissimis condonare possit, subditos spoliet, domos exhauriat, provincias nudas & inanes relinquat? qui deniq; Sardana pali vice laudem & gloriâ contemnat, omnemq; beatæ vitæ rationem in luxuria immensa constituat? Deus, inquit, Portugal. auertat. Quem nam igitur, inquam: Illum, qui infinita dominandi cupiditate flagrans insaniat? qui nullam

foederis



foederis religionem, quam suæ ambitioni ob-  
stare perspexerit, obseruandam putet? qui  
bella iniusta, & sibi atque suis plerumque per-  
niciosa suscipiat? qui populos sibi subditos,  
partim intolerabilia tributa imperando; par-  
tim omnes immodico labore fatigando confi-  
ciat? qui postremò popularis gloriæ causa, quo-  
ties illi in mentem venerit, Rempub. vniuer-  
sam in extremum discrimen salutis adducat?  
Ne illum quidem, inquit M. Restat igitur (in-  
quam) vt illum Regem optetis, qui non solum  
libidinem coerceat, & voluptates noxias asper-  
netur: verùm etiã studium gloriæ ratione tem-  
peret, & irã singulari moderatione cohibeat,  
neque animũ suum vlllo motu de statu conuel-  
li, aut mentem tenebris obscurari patiatur. Is  
enim solus est, qui non temeritatem & amenti-  
am, sed optimam viuendi rationem sequetur,  
& pacis atque belli tempora moderabitur; &  
remp. præclare constituit. Si suffragijs, inquit,  
M. res agitur, dubium non est, quin hunc potis-  
simũ Regem creaturi simus. Non igitur (in-  
quam) eos, qui vel ira sine ratione commouen-  
tur, nec eos, qui libidini penitus addicuntur:  
sed illos, qui omnia ratione moderantur, dig-  
nos existimatis, qui Reip. præ sint. Nos verò, in-  
quit T. Rursus inquam, à vobis interrogo, in  
qua tandem re alia sapientiam sitam arbitremi-  
ni? Quod vt rectius statuatis, fingite nunc ani-  
mis duos homines, quorum vnus omnibus ar-  
tium maximarum disciplinis instructissimus  
sit, & in dicendo admirabilis: isque tamen nul-  
lam sani hominis officium sequatur, sed rem  
suam

DE REG. INSTIT. ET

suam familiarem dissipari sinat, omnibusque suis infestus sit, & manus etiam sibi afferat: aliter verò, qui ne legere quidem sciat, & si placeat, sit etiam infantissimus, & tamen rem suam bene gerat, familiæque suæ vigilanter prospiciat, neque quidquam in vita contra officium & rationem faciat: vter istorum vobis videatur esse sapientior? Adhuc tu multorum causam agis, inquit T. is certè, qui suum officium facit, quamuis nullas literas attigerit. Esto sanè inquam, nec enim id nunc ago, vt ostendam in literis sapientiam cōsistere: sed vt demonstrẽm omnem sapientiæ vim esse in optima ratione collocandam. Itaq; omnes, qui literis student, & vitijs cooperti sunt, non sapientes; sed insani sunt. Furiosi enim, & insani hominis est, sibi nocere quamplurimum; nemo autem sibi peius nocet, quàm is, qui potissimam sui partem lædit, & vulnerat, sed omnes intemperantes, & flagitiosi mentem (quæ est potissima hominis pars) maximè lædunt, grauissimumque animis suis vulnus inurunt: omnes igitur intemperantes sunt amentes & furiosi, quamuis sine omni doctrina perpoliti. Si igitur sine literis, sine doctrina, sine aliquo eiusmodi adiumento potestis efficere, vt Rex secundum optimam rationem viam instituat, nihil moror literas satis enim sapiens erit, qui optimè rationi, hoc est, legi naturæ paruerit. Nec enim id laboro, vt is ingenium ostentet, & argumenta vibret, & arcana naturæ patefaciat, & dicendi etiam rationem summo studio confectetur: sed vt prudens atque bene moratus sit, rationemque habeat,

beat, nullis tenebris infuscatam, sed puram, acrem, & vigentem, omnibusque virtutum opibus egregie cultam. Sic igitur se comparet, ut nunquam cedat libidini, nunquam amore flagitioso capiatur, nunquam odio, aut invidia, aut aliqua eiusmodi perturbatione ita concitetur, ut à recta ratione discedat, & omnes curas, & cogitationes in publicam salutem conferat, & fatebor illum literis non indigere. In eo enim statu summi Philosophi sapietiam sitam esse decernunt, in quo voluntas cum mente consentit, nec vlllo pacto imperium & ductum rationis aspernatur: ad illudque tantum bonum parandum atque fruendum enititur, quod mens ipsa nullis tenebris impedita expetendum esse iudicat. Efficite igitur, si potestis, ne vnquam Regis animus à recta ratione (quæ lex diuina putanda est) vlllo modo dissentiat: & ita facile concedam illum sine literarum adminiculis, & sine vlllo adiumento doctrinæ, sapientiam consequi posse. sed non ita facile negotium est, compressam tenere libidinem, voluptates aspernari, dolorem contemnere, aurem popularem despicerem: ut non multa ad animi statum faciendum præsidia requirenda sint. Tanta enim est cupiditatis violentia, tantisque dolis & machinis rationem oppugnat, ut paucissimi sint, qui immanitati atque fraudibus illius obstant. Multis igitur opibus fulciendus est animus, ne ruat; & ratio contra omnes cupiditatis impetus, firmis præsidijs munienda: & quod magis homines florent opibus, magisque legibus omnibus, propter potentiam soluti sunt;

eò plu-



eò plura, atque firmiora subsidia adhibenda  
 sunt. Alios enim homines primùm cōtinet in  
 officio rei familiaris angustia: deinde parentū  
 diligentia, verberumq; formido: deinde, post-  
 quam sunt adulti, legum atque iudiciorū me-  
 tus. Et tamen neque tā multis vinculis alligata  
 cupiditas, impediri potest, quo min⁹ illis per-  
 fractis erumpat, & tetra facinora moliatur. si  
 igitur tantas vires habet cupiditas, vt neq; tan-  
 tis vinculis impedita cōtineri valeat, quid exi-  
 stimatis futurum, cū nihil omninò illā con-  
 strinxerit? Sit igitur puer aliquis claro loco na-  
 tus, in magnis opibus educatus, in summis de-  
 licijs enutritus, ad eò carus atq; periucūduſ pa-  
 rentibus, vt nullam ei molestiam exhiberi pa-  
 tiantur. sileant minæ, remoueantur virgæ, pel-  
 lantur formidines, nihil denique audeat bel-  
 lus ille, & affluens omni venustate puer, nisi fe-  
 stiuitates, atque blanditias. In quotidiano au-  
 tem victu caueatur diligentissimè, ne alatur  
 illis cibis, quibus reliqui pueri, qui non sunt i-  
 ta beati, nutriuntur: sed dapes illi exquisitissi-  
 mæ atque dulcissimæ comparentur; vestiū au-  
 tem nitor, & omnis corporis cultus ita excel-  
 lat, vt efferat illius animum, & superbum, &  
 arrogantem efficiat. sic autem sit institutus; vt  
 neq; corpus labore vlllo firmetur, nec animus  
 disciplina vlla colatur: sed in rebus omnibus  
 pater illi indulgeat, mater blandiatur: familia  
 res adulentur, & oēs denique, qui eum iure ali-  
 quo necessitudinis attigerint, sint adiutores in  
 sanie, inferatq; in illius animo falsas opinio-  
 nes, veritati cōtrarias. In puero, qui ad hūc mō-  
 dum

dum fuerit enutritus, fieri in potest, ut vestigium aliquod bonæ indolis appareat? Credibile non est. Quid cum ad pubertatem peruenerit, multosq; sibi æquales aggregauerit, & ad studium suum complures adultores adiūxerit? quid cum adultam illam cupiditatem, quæ satiari nulla ratione potest, explere & satiare concupierit? quid cum omnes patris opes in eum usum domi reconditas existimauerit, ut eas ipse per summum flagitium effundat? Nullum enim tantum malum cogitari potest, quod non ab immoderata libidine illius oriatur. bonorum enim consilia respuet, monitoribus erit infestus, leges & patria instituta contemnet, erit illi semper nomen virtutis inuisum, patrem denique extinctum cupiet: ut multo liberius possit, postquam fuerit in patrimonij possessione constitutus, per omnia libidinum genera vagari. Quidquid enim cupiditatibus suis obstare perspiciet, acerbo odio prosequetur. Cernitis iam animo, quantis periculis vita florens exposita sit, si non fuerit rectis disciplinis astricta? Difficilimum enim est, animum nobilitate tumentem, otio lasciuientem, iuuenta & temeritate precipitem, adulatorum sermonibus inflatum, & flagitiorum licentiam consequutum, ab insolentia, ad modestiam reuocare, & a vitiorum colluione, ad virtutis studium traducere. Quod autem opes maiores sunt, eò maius periculum animis comparatur: & idcirco plura & firmiter præsidia, contra libidinis immanitatem, constituenda sunt. Quid igitur est de regum filijs existimandum? Nec enim genus vllum

cla-

clarius est; nec opes vllæ maiores sunt, nec alibi maior adulatorum copia reperitur, nec vquam insidiæ capitaliores intenduntur, nec alij hominum generi maior flagitiorum licentia, & impunitas omnium ferme consensu tribuitur, nec ab aliquo alio cum maiore Reipublice perniciæ peccatur. Multò igitur maioribus praefidijs fulciendi sunt, ne sibi, & suis pestem, & exitium cupiditatis intemperantia moliantur. quò enim locus, in quo versantur, est magis in altum propositus: eò erit eorum casus & ruina calamitosior, multoque plures erunt illis euersis oppressi. Multò igitur diligentius instituendi sunt, & multò clarioribus disciplinis erudiendi, firmiteribusque opibus fulcendi, ne de statu conuellantur. Opera etiam danda est, vt cum lacte nutricis, si fieri potest, regie virtutis disciplinam hauriant. In primis autè prouidendum est, vt corpus sanum atque bene valens sit, & animo simul, & valetudine integer, & robore firmus existat. Sanitatem in corpore, vt iam antè dixi, efficit victus moderatio, & exercitatio: animi verò sanitas & robur, virtutis institutione, & honestatis disciplina continetur. Illud etiam est animaduertendù, quod quemadmodum temperantia in victu, & corporis exercitatio non solùm sanitatē tuetur, atque vires auget: sed etiam pulchritudini conseruandæ utilis est, nec enim patitur corpus aut macie confici, aut crassitie deformari, aut desidiam pallefcere: ita virtutis disciplina non solùm sanitate atque robore confirmat animum: verùm etiam illum splendidò



cultu decoris atq; dignitatis illustrat. Præterea, nemo prudens rerum æstimator, dubitare potest, quin omnibus, qui viri magni futuri sunt, duæ virtutes sint à primis annis, quantum illa prima ætas ferre potest, summo studio comparandæ; ita vt ludi etiam pueriles ad eas conferendi sint. Quæ nam inquires, illæ sunt? Animi magnitudo, atq; moderatio. Qui enim molli & imbecillo animo est, nullum vnquam in vita viro dignum opus efficiet; qui rursus in omnibus rebus immoderatè se gerit, nullam sanitatis partem in vita retinebit. Et harum quidem duarum virtutum eiusmodi ratio est, vt alterutra, sine alterius ope imbecilla sit. Magnitudo enim animi sine modestia, immanitas quædam est potius, quàm virtus appellanda: rursus modestia, si non fuerit cum animi quodam robore & magnitudine consociata, ignauia potius & segnities, quàm temperantia nominari debet. Deinde cum hostes sint acri animo repellendi, ciues verò humanissimè complectendi, atque conseruandi; & omnes bellicæ atque pacis artes eò conferantur, vt hostes metu se contineant, ciues verò inter se mutua benevolentia deuincti sint; vtrumque necessarium est, vt ciues & acres & moderati sint. Acres quidem, vt in bello hostes virtute compriment: moderati verò, vt in pace humanitatem retineant; & animi turgentis elationem in sito pudore coerceant. Ad has autem duas virtutes acquirendas, nihil est vtilius corporis exercitatione, & assidua optimarum artium commutatione. Exercitatio enim non solum reddit

F

corpus

DE REG. INSTIT. ET

corpus firmum atque robustum : sed animum etiam impigrum & audacem, & ad studiū bellicæ gloriæ concitatum; bonarum verò artium disciplinæ pudorem ingenerant, & ad omnia officia modestiæ & humanitatis erudiunt. Hoc autem impulit Solonem, vt cogeret legibus Athenienses, vt filios suos palæstra, & literis, & musica diligenter instituendos curarent. Vidit enim vir Græciæ sapientissimus, esse ciuibus suis & vires corporis, & animi comparandas, & humanitatem atque moderationem cōseruandam : aliter enim fieri non posse, vt libertatem, & reliquas opes diu tuerentur. Omnia siquidem bona, vel ignauia & mollitia deseruntur; vel temeritate & audacia peruertuntur. Vt igitur ciues suos fortes efficeret, palæstram instituit : vt autem ad humanitatem instrueret, literis & musica mitigandos existimauit. Hoc autem Lycurgus Lacedæmone, nō admodum dissimili ratione consecutus est. Nam cū nusquam alibi maius studium in corporibus, & animis corroborandis extiterit : tum in nulla vnquam Repub. magis laus mirifici cuiusdam pudoris enituit. Mira sunt, quæ Xenophon de Spartana iuuentutis modestia, & honestate commemorat. Sic enim, ait, adulescentes institutos fuisse, vt nullus inambulans oculos attolleret, aut faciem versaret, vt hūc & illūc intueretur, aut aliquod signum inconstantiæ præberet : sed ea tantū, quæ ante pedes erant posita, modestè cōspiceret. Ne manus quidem, quas inducta veste contegebant, apertas ostendere licebat. Omnibus autem senibus lo-

eo cedebant, & eos quasi parentes verebantur. nullum autem verbum petulans, & obscœnũ illis excidebat, nec in choreis, & cantibus aliquid lasciuum, & molle carmen vsurpabant. Sic erant denique Lycurgi legibus instituti, vt insignem pudorem & verecundiam, cum insigni virtute coniungerent. Quid hic iuuentutis Romanæ pudorem, & modestiam oratione cõmemorem? Ex qua quidem colligi potest, non magis fuisse Romanos olim omnia vincendi cupiditate incensos, quàm legibus, atque moribus in studium modestiæ atque moderatio- nis incitatos. Nec hi solùm, sed omnes, qui sapienter Resp. condiderunt, ad has duas virtutes, tanquã ad firmissima Reip. fundamenta, leges & instituta omnia conferebant. Intelligebant enim nullam Remp. saluam & ornatam esse posse; sine animi magnitudine, & sine pudoris, & modestiæ concinnitate. Quod si hæ duæ virtutes, ita necessariæ sunt omnibus ingenuis hominibus, vt sine illis nulla laus nobilitatis extare possit: multò certè magis Regibus necessariæ sunt, quo status eorum est altior, & illustrior, & ad plures eorum calamitas (quæ tam ex animi imbecillitate & igna- nia, quàm ex temeritate & arrogantia redundat) necessariò peruadit. Est igitur necesse, vt sic educentur regum filij, vt fortissimi simul atque modestissimi disciplina fiant: aliter enim omnia corruet, atq; funditus interibunt. Hæcũ ita sint, vt eo tandẽ lógo interuallo reuertamur, vnde deflexit oratio; cõsequens est, vt videamus nũ ex ea disciplina, qua regũ filij



DE REG. INSTIT. ET

aliquot in locis erudiuntur, possint hæc duæ virtutes efflorescere. Ad eam igitur animum referamus, & tentemus, an ex ea possimus aliquid præclarum discere. Vos igitur hortor & admoneo, ut me de tantis rebus dicere instituentem attentè atq; benignè audiatis. Idem enim mihi censeo faciendum, quod magni olim oratores factitabant, cum in media oratione occurrebat aliquid cõsideratiõe dignissimum. Atque haud scio an sit mihi poëtarum more Musarum auxilium implorandum: institutio enim tam excellens, atq; præclara, non potest vlllo modo sine afflatu quodam illarum explicari. Hic postquam arrisere, sic institutũ sermonem contexui. Ut igitur hic ordiamur, cum in his virtutibus duabus, nempe fortitudine atque modestia, totum dignitatis regie fundamentum positum sit: multi ex ijs, qui regum filios instituunt, primũ quidem dant enixè operam, ut illorũ corpora tenera, & imbecilla fiant, assiduisque morbis obnoxia, & animi desidia languescant: deinde verò, ut inaniter efferantur, omnemque Reipub. moderandæ rationem temeritate & amentia perturbent. Quam ingeniosè verò id assequantur, est operæpretium animaduvertere. Corpus enim tradunt mulieribus effœminandum, animum verò adulatoribus corrupendum. Primũ igitur cauent, ne Regius ille puer solem aspiciat, neue aura paulò vehementiore pulsetur, neue aliquo labore duretur: sed parietum umbris occulatur, ut corporis illius teneri, & delicati mollitiem diutissimè conseruent. in ci-  
bis

bis autem, non in eo solum omnis earum industria consumitur, ut dapes sint egregia quadam arte conditæ; verum etiam, ut nimia ciborum copia Princeps iam in illa tenera ætate saginetur, & quasi pullus anserinus auariorum inclusus assidue comedendo pinguescat. manè igitur instant & urgent, ut comedat, & singulis propè horis aliquid exquisitissimi cibi in os illius congerunt, & quasi id tantum muneris, & operis habeant, ut regem immodicis epulis fatum impediunt, ne se loco commouere possit, ita conatum omnem in hoc vnum studium conferunt, ut quoties minus aliquanto cibi sumit, quam ipsæ volunt, id indignissime patientur. Adde nunc aromatum varietatem, odorum omnium suauitatem, unguentorum fragrantiam, gemmarum splendorem, totius ornatus & cultus molliem, & reliqua naturæ lenocinia, quibus robusti etiam animi falsa illa dulcedine liquefacti, facillimè possint eneruari, & à mentis statu cupiditatis impetu detorqueri. Modis igitur omnibus non solum mulieres, sed omnes, quibus nutriendi Regis munus assignatum est, id efficiunt, ut corpus illius torpore & desidia frangatur, & morbis innumerabilibus expositum sit, & vita illius breui temporis spacio terminetur. Nec enim corporis firmitas, neque bona valetudo, neque vitæ longitudo potest in ciborum redundantia, & in mollissimo victu, & in omnium laborum fuga consistere. neque solum ea mala, ex ea educatione oriuntur: sed somnus, inertia, lentitudo, quæ quidem tu Tauora literarum studijs, at-

DE REG. INSTIT. ET

que Philosophiæ tribui disputabas, quod quæ  
 falsum sit, postea magis apparebit. Hæc enim  
 vitia non artes præclaræ, sed corrupti pessima  
 disciplina mores efficiunt. ad virtutis enim  
 munus alacriter obeundum, agili & expedito  
 corpore opus est, non cibus onusto, nō desidia  
 languido, non delicijs emollito; quibus vitijs  
 non solùm corpus impeditur, sed acies etiam  
 mentis hebescit, omnesque nerui virtutis eli-  
 duntur. Videtis ne, quantam industriam laute  
 mulieres, & lepidi quidam homines, non mul-  
 tum à muliebri victu, & ratione distātes, in eo  
 ponant, vt Regem nobis efficiāt vmbatilem,  
 & delicatū, & imbecillū, valetudine infirma  
 præditū, & frequenter in morbos molestissi-  
 mos incidentē? & cū nobis opus sit Rege sa-  
 no, atq; benè valente, qui possit facillimè per-  
 missum sibi munus corporis, & animi viribus  
 sustinere: illi in eo laborent, vt Regem nō mo-  
 dō ægrum & imbecillum reddant, verū etiā  
 timidum & ignaum, oīa regia munera fasti-  
 diosè recusantem, & belli pericula fugientē.  
 Sic autem parasitis, & scurris patet aditus ad il-  
 lius adolescentiam, qui est bonis, & fortibus  
 hominibus interclusus. Nec enim vllius ora-  
 tionem ad aures admittere potest, qui ita nu-  
 tritus fuit; nisi tantum illius, qui auocet à labo-  
 rib⁹ & risus captet, & ad futiles, & inanes volu-  
 ptates impellat. Regum igitur corpora ad hūc  
 modum curantur: nunc animorum cultum in-  
 spiciamus. Christe sancte, quæ mōstra prospici-  
 o? quæ portenta complector animo? quæ pes-  
 stis & immanitas in cōmuni vita versatur? Hic



Tridens agè inquit, Muse, quas inuocandas esse dicebas, aduentant: ita enim exurgis, ut facile appareat, te illarum spiritu vehementer inflari; non enim usitato more loqueris, sed tragicè, atque admiratione quadam commotus inclamas. Meritò inquam, nec enim Tygres aut Pantheræ, aut Leones rabidè concitati, tantum mihi terroris iniicerent, quantum hoc belluarum genus, quo nullum unquam in terris extitit immanius atque truculentius. Nunquamne legistis apud poetas belluam illam, quam Chymeram appellant, ex leone, & capra, & serpente conflata, flammam euomentem, & omnia circumquaque incendio vastantem, ad quam interimendam opus fuit Bellerophonte armis diuinis armato? Cogitate vel Chymeram, vel aliud quantumuis dirum & infestum monstrum venenum exhalans, & omnes, in quos aspectum iniecerit, tabifica lue conficiens, quod vel in terris aliquando visum, vel poetarum ingenijs confictum fuerit, illa omnia monstra longe multumque superat hæc belluarum immanitas, quam animo cogitans perhorresco. Ut autem ad illarum similitudinem propius accedam, fingite animis Harpyam dapes alijs appositas ore foedantem, & in oculos hominum furenter inuolantem, & ad uncis unguibus omnia rapientem. Sit deinde tam pestifero veneno armata, ut non solum dente necem afferat: sed afflatu etiam multos interimat. Habeat præterea hanc vim, ut in quamcumque partem setulerit, lucem solis impediatur: segetes lætas inficiat, fruges & pabula corrumpat, &

DE REG. INSTIT. ET

omnia, quæ vel tactu impuro, vel spiritu contaminato polluerit, immutet, & pro salutari-  
 bus noxia reddat. Sit præterea monstrum hoc  
 non ratione vacuum; sed callidum, acutum, &  
 malitiosum, ad fraudes & insidias solertissime  
 machinandas. Accedat etiam ad maiorem ho-  
 minum perniciem, quod non solum virginis  
 faciem habeat, quemadmodum poetæ Harpy-  
 as habuisse fingunt, verum etiam orationis le-  
 nitatem, & totius corporis habitum, pudorem  
 virgineum fallaci specie referentem: neq; vias  
 tantum obsideat, quemadmodum Sphinx, quæ  
 Thebas infestas habebat, sed intra muros ver-  
 setur, ne sit aliquod propugnaculum interie-  
 ctum, quod hanc tantam pestem à ciuibus auer-  
 tere aliqua ratione possit. Si fuisset igitur ali-  
 quod eiusmodi prodigium, quod inter nos ita  
 versaretur, vt multos partim occulto vene-  
 no tabescentes interimeret; partim impetu  
 furente trucidaret, quibus precibus & sacrifi-  
 cijs sanctissimum CHRISTI numen placan-  
 dum existimaretis, ad tantum intestinum &  
 domesticum malum extinguendum, atque  
 delendum? Sanctissimis, inquit T. & singulari  
 quadam Religione procuratis. Sed non dices,  
 quorsum hæc abste conficta monstra pertine-  
 ant? quæ malum sunt istæ belluæ? quæ Harpyæ?  
 quæ Sphinges? Illi inquam, quibus sæpenu-  
 ro Regum filij erudiendi, aut, vt rectius dicam,  
 inficiendi, & contaminandi committuntur.  
 Adulatores intelligo, quo monstro nullū im-  
 manius excogitari potest. Nam primū tanta  
 auaritia & rapacitate sunt, vt nihil videant,  
 quod

quod non rabidè atque furenter appetant. Vt autem infinitam cupiditatem expleant, in Regum fortunas inuolant, vt quidquid arripere potuerint, immensa gula deuorent, reliqua verò proculcent, & sordidata relinquunt. Illorum enim opera fit, vt Regis Gaza non sit virtutis, sed libidinis instrumentum: & opes, quæ erant cum bonis viris & de Repub. benè meritis comunicandæ, ad homines impuros deferantur. Quantas verò tenebras rebus offundant, explicari non potest. Non enim lucem Solis eripiunt: sed, quod est multò dirius atq; funestius, quantum in illis est, lumen veritatis extinguunt, Regibusque persuadent, vt veris bonis cõtemptis & abiectis, falsa & inania consectentur. Neque solùm sunt singulis hominibus infesti, sed vniuersam Rempub. euertunt. Illorum enim opera fit, vt decus pudoris intereat, vt honestatis studium restinguatur, vt turpitudine victrix exultet, vt innocentia miserè vexetur, vt iniquitas alacris & erecta volitet, & quæ velit, impunè diripiat: omnia postremò sic euertunt, vt quæ erant ad salutem Reipub. constituta, ad perniciem Reipub. conferantur. Et vt hæc facilius efficiant, non solùm adhibent ingenium multiplex & acutum: sed etiam orationis lenitatem, atque virginis (vt ita dicam) speciem & cultum, vt cum se ea bonitatis & verecundiæ simulatione Regibus insinuauerint, tum demum occultum virus euomant, ipsosq; Reges inficiant. Quo satis digno supplicio vindicandum putaretis eorum scelus, qui in fontem, vnde omnis ciuitas aquam ad bibendum hauriret,



## DE REG. INSTIT. ET

riret, venenum spargeret? at Rex est quasi quidam fons, vnde omnis vitæ disciplina haurienda est. inde namq; leges accipiendæ, iudicia postulanda, virtutis exempla petenda sunt: ab illo est auxilium contra perditos homines implorandum, & virtutis præmium flagitandû. In illo denique debet esse perfugium miseris, solatium afflictis, alleuamentû oppressis, præsidium innocentibus, contra improborum hominum fraudem, & potentiam firmissimè cõstitutum. Qui igitur illum ita corruperit, vt ab æquitatis & clementiæ studio, ad iniuriam & immanitatem traducat: & pro salutari, atq; benefico Principe, maleficum & importunum Tyrannum reddat, quibus tandem supplicijs dignus est? Summis profectò, atque sempiternis. Sed vt illorum insidiæ præcaueri possint, non erit inutile eorû naturam depingere. Non quidem omnium: sunt enim quidam minuti adultores, quasi quidam Gnathones Teretiani, qui quamuis in genere suo flagitiosi sint, & infames: non tamen tantû ingenio valent, aut tantis opibus instructi sunt, vt plurimum nocere possint. de illis igitur tantum loquamur, qui capitales habendi sunt. Primùm igitur cõstat eos esse immani auaritia: nullis enim opibus eorum cupiditas satiari potest. Ambitio deinde sic eos exagitat, vt consistere non sinat. Deinde opus est, vt sint miro ingenio & acumine præditi, summaq; solertia, & calliditate subnixi; aliter enim neq; poterunt insidias tegere, neq; mendacia cõcinnare, neque in varias facies verti, neque aliorum fraudes eludere.

Postre-

Postremò opus est, vt humilem atq; demissum animum gerant, minimeq; in principio de vlla decoris atq; dignitatis præstantia cogitantē. necesse namq; est, vt in principio sese ad potētium pedes abijciant, summaq; sedulitate omnes, quos esse Regi charos intelligunt, affectentur. Hęc igitur duo scelera atq; flagitia, nempe auaritiam & ambitionem, cum alijs duobus flagitijs, malitia videlicet, & humilitate succinxerint: nihil erit tam firmo præsidio vallatum, quod à se non expugnatum iri confidant. Nec enim laborem vllum fugiunt, nec vllam indignitatem subire reformidāt, nec vllis difficultatib; impediri possunt, quo minus, quantum malitia valeant & impudentia, periclitentur. Quod si tam felices sunt, vt sine vlla circuitione ad Regem aditum habeant: cōtinuò copias suas instruunt, & in insidijs collocant, vt simul atq; occasionem nacti fuerint, Regis imbecillitatem occupent, & de improviso in opes illius inuadant. Si verò eam facultatem consequi non facile possunt; tūm occultè cuniculos agere instituunt, quibus tandem in arcem penetrent. Solertissimè enim perspicunt, qui sint Regi valdè familiares, & maximum apud illum locum obtineant; ad eos igitur se confestim applicant, artificijq; sui periculum faciunt: illorū enim ingenium laudāt, virtutem efferunt, vrbانيتatem extollunt. Quàm humiles autem esse meditentur, explicari non potest: totum enim diem ad cubiculi fores assidunt, adeundi difficultatem patientissimè tolerant, familiaribus atq; domesticis

## DE REG. INSTIT. ET

affurgunt, seruos etiam blandè atque benignè  
 alloquuntur, eoq̄ue tandem se demittunt, vt  
 nihil contemptius esse possit. Sic igitur non  
 muneribus tantùm, sed assentatione, & offici-  
 orum omnium simulatione quilibet eorum  
 illi, quem patronum adoptauit, facilè persua-  
 det, se dignum esse, qui Regi notus sit, & in do-  
 mesticis illius numeretur. Sed occurrit illa co-  
 gitatio, metuendum est, ne hic tantum seduli-  
 tate atque vigilantia valeat, vt mihi molestus  
 sit: quid igitur faciam? denegabo hoc illi? mi-  
 nimè: est enim sanè probus, & mihi valdè ami-  
 cus. & ideò periculum non est, ne mihi parùm  
 gratus sit. Præterea nec arrogans, nec ambitio-  
 sus est, sed modestus & humilis, & ideò fieri  
 nequit, vt se nimis extollat, & meis rationibus  
 aduersetur. Hic igitur, quem semper in mea  
 potestate fore credo, potius meo beneficio re-  
 gi operam det, quàm alius, qui summis virtu-  
 tibus ornatus sit: quem tamen mihi minimè  
 obnoxium fore confidam, stat sententia. Ope-  
 ra igitur illius ad cuius se clientelã applicuit  
 homo nefarius, ad Regem introducitur; atque  
 in principio insignem modestiam vultu atque  
 verbis ostendit, patronumq̄ue suum diligen-  
 ter obseruat, & ita se illi submittit, vt existi-  
 mes illum perpetuò in eadem fide perman-  
 surum. Post, vbi magis atque magis sese artib'  
 suis, in gratiam Regis insinuat, statumq̄; suum  
 valido præsidio seipit, & opes suas confirmat,  
 tum, Deus bone, quam teter incedit? quàm ci-  
 tò pristinæ fortunæ memoriam deponit? quan-  
 to fastidio homines multò se meliores despi-  
 cit?



cit? quanta perfidia illū ipsum, per quem fuit ad principem intronissus, oppugnat? Hoc denique clarè videri potest, vt in principio nihil est humilius adulate: ita postquam opes suas firmissimè constitutas opinatur, nihil esse superbius & insolentius. Illud tamen est intelligendum, eum, qui sibi hoc sumit, vt principē quæstus sui gratia in omnem fraudem impellat, quamuis sit veterator & callidus, nullas tamen vires habere posse, nisi alterius adulatoris potentissimi gratia & opibus innitatur. Quis ille inquires, est? Amor ille cuique ingentus, quo se quisque amat, sibi indulget, & assentatur. Quotus enim quisque est, qui non sibi valdè placeat? qui non se temerè multis anteponat? qui non meritis suis ingentia præmia deberi arbitretur? In hoc igitur amore quo se quisque amplectitur, est initium totius temeritatis & insolentiæ constitutum: qui cum sit in quouis homine valdè magnus, tum in regibus tantus, atque tam vehemens est, vt illis se penumerò totam mentem atque sensus eripiat. Animaduertunt enim, quoties per urbem vehuntur, se maximo peditū & equitū numero constipari: plebem vndiq; certatim confluere, vt illos venerabunda conspiciat: omnem populum religione quadam attonitum illorum faciem contueri. Quid referam quanta cæremonia dapes illis apponantur? quam solenni ritu pocula ministrentur? quam sæpè & quam elaborata concinnitate ministri genua flectant? denique ne minutias omnes persequar, ea superstitio coluntur, vt videant sibi planè nō huma-

DE REG. INSTIT. ET

humanos, sed diuinos honores institutos. Quæ quidem omnia non vitupero; sed quantum periculum ex illis impendat, ostendo. Si enim opes ingentes, si honores immodici animos effecerunt, & amori, quo se quisque amplexatur, faces admouent, & homines insanire cogunt: quid quæso in regum animis, si sapientes non fuerint, euenturum suspicamini, cum viderint se in tantis opibus, & imperio, non humano more coli, sed in cœlitum numero collocari? Cùm igitur plerumque sibi summè placeant, sibi assententur, sibique ipsi adulatorem maximi sint, facillè ad suam familiaritatè aduentitios adulatorem admittunt. Hoc igitur is, qui sibi ex adulandi artificio opes ingentes pollicetur, acutè prospiciens; foedus cùm adulatorem illo primario, hoc est, cum regis immensa cupiditate percutit, totumque se ad illius nutum fingit & accommodat. Ut canis igitur venaticus, quam sagacissimè potest, odoratur; quibus rebus rex aut princeps ille, cui seruit, maximè delectetur; id autè ubi penitus exploratum habet, naturam suam ad tempus deserit, totumque se immutat. in hoc autè maximè, huius artis præclarissimæ laus, & perfectio summa consistit. Quis enim tantum ingenio atque solertia valet, ut naturam suam facillè verset, & quam velit personam induat, & quidquid illi libuerit, summa calliditate simulet, totumque se ad libidinè principis, cuius gratiam aucupari conatur, effingat, ut illi similis appareat: hic omnia, quæ volet, de artificio suo facillè consequetur. Si videt igitur Regem venatoribus delectari, canes

alitur

alit, equos ad sylvas atque nemora Iustranda comparat, telorum vim maximam domum cōportari facit: in eoque nervos omnes intendit, vt egregius venator habeatur: si leuitatibus amatorijs deditum cernit, se amore perditum esse profitetur, & querimonijs omnia cōplet. Ne autem omnia recenseam, quocumque modo Regem affectum, aut studio captum, aut morbo oppressum, aut flagitio corruptum cernit: vt in eodem studio versetur, & ijsdem vitijs sit affinis, vehementer elaborat; ita enim versipellis est, vt in quamcunque faciem velit, se facile conuertat. Suum igitur iudicium deserit, vt Regis sui libidinem sequatur: neque quidquam loqui audet, quamuis patriæ totius salus agatur, quod auribus illius iniucundum accidat: sed in omnibus rebus se illi ministrū impurissimæ cupiditatis exhibet. Porro autē quamuis multi Reges partim vi insiti illius amoris impulsī, partim assiduis perditorū hominum sermonibus instincti, se flagitio omni contaminent: rectē tamen iudicant nec esse quidquam honestate præclarius, neque Regis amplitudine magnificentius; itaque statuunt virtutem atque grauitatem esse regibus summo studio retinendā. Hunc igitur naturæ sensum, quo reges potuissent è flagitijs emergere, & ad studium honestatis & grauitatis applicari, non extinguunt quidem adulatores, nec enim possunt: sed illo ad multò maius flagitium atque leuitatis dedecus abutuntur; id enim perficiunt, vt quamuis Reges sint omnib<sup>9</sup> sceleribus astricti, & propter animi leuitatem



## DE REG. INSTIT. ET

contempti & abiecti: nihil tamen sibi deesse putent, nec ad honestatis elegantiam, nec ad auctoritatis magnitudinem. Quantum enim ad honestatis opinionem attinet, flagitijs, quibus homines scelerati, Principes deditos esse vident, virtutum nomina imponunt. Temeritatem enim appellant fortitudinem: ignauiam & timiditatem Prudentiam nominant: & si Rex crudelis extiterit, eam crudelitatem seueritatem salutarem esse dicunt: si verò fuerit in animaduertendo dissolutus, eam negligentiam & timiditatem, clementiam esse prædicant, immortali laude celebradam: si regni opes temere profundit, magnificum: si pecuniam magno studio congerit, sapientem vocant: sic etiam, si bibit liberalius, hilarem atque festiuum: si ludit intemperantius, vrbatum: si se abijcit, moderatum: si effertur insolentius, magnanimum esse confirmant. Hac igitur ratione dum hæc, & alia flagitia virtutum nominibus ornant, id assequuntur; vt quamuis Reges sint omni flagitio corrupti, sibi tamen summam honestatem arrogant, & in magnitudine falsi decoris inlescant. In grauitate verò constituenda, quibus rationibus vtuntur: non illi certè sunt, qui grauitatem & auctoritatem ex prudentiam magnitudine, & ex virtutis constantia, & ex iustitiæ splendore: sed ex superbia & inhumanitate petendam existiment. Summo igitur studio cauent, ne Rex omnibus sui conueniendi potestatem faciat, ne benignè homines appellet, ne cum populo loquatur, ne uè quidquam populare habeat: sed vultum sibi seuerum, grauem;

&amp; mu-

& mutum denique fingat, seque quasi signum dedicatum domi contineat, quod certis tantum diebus sit in aperto, ac pro patulo collocandum. Ad illam verò superstitionem, cum qua Reges adiri solent, cupiunt semper aliquid addi, quò Regis nomen diuinius esse videatur: vt cū homines Regem aspexerint, nō se populi moderatorem, atque patriæ parentē: sed numen cælo delapsum intueri putent, ad cuius aspectū commoueantur animo, & toto corpore contremiscant. Hac igitur superstitione plerique homines imbuti, non laborant, vt Reges debito amore & pietate prosequantur: sed vt aptè & concinnè sese ad illorum pedes abijciant, & illorum manus, quoties illis verbum solito benignius excidit, osculentur, & vt sibi sint propitij, tam suppliciter atque demissè postulent: vt non cum principibus, sed cū ipso Deo loqui videantur. Quæ quidem res, eò prouexit multorum regum amentiam, vt se deos existimarent. Quid enim aliud impulit Alexandrum, vt suæ virtutis & humanitatis oblitus, Calisthenem, quia illum vt Deum venerari noluit crudelissimo supplicio mactaret? Quid multos ex illius successoribus, vt deorum nomina captarent? Quid Caligulam? Quid Domitianum? Quid multos præterea Romanos imperatores? Quid Tyrannos innumerabiles induxit, vt illis, à quibus non religiosissimè colebantur, crudelissimam necem afferrent? Num obscurum est, hoc tam scelestum & immane facinus, quo homines Dei gloriam ad se transferebant, & reliquos homines, quasi ni-

DE REG. INSTIT. ET

hil haberent cum illis commune, contemnebant, atque pro nihilo putabant, fuisse adulatorum opera conflatum? Hac autē ratione Reges non graues tantū, sed etiā deos efferunt. Videtis quā ingeniosè fuerit ab hominibus acutissimis excogitatum, vt quamuis Principes sint sceleribus infinitis alligati: se tamen interdum maximarum virtutum ornamentis excultos arbitrentur: & quāuis leuissimi sint, se tamen constantes & graues existiment? Sed vt melius huius disciplinæ vim & rationē intueri queamus, velim redigatis in memoriā, & ante diximus: nempe homines, qui sapientes non sunt, hoc est, qui non rectam rationem, sed cupiditatem indomitam sequuntur, flagitijs coopertos esse: ita tamen, vt alij alijs flagitijs magis addicti sint; qui tamen in duo potissimum genera diuiduntur. Aut enim sunt acres, & animosi, & ad rixam conciti, & bellicæ laudis appetentes: aut molles & ignaui, & lasciuui, & ad Venerem magis, quā ad arma propensi. Reges autem quamuis se Deos existimari velint, homines tamen sunt, eijsdemque sæpenu-mero peccatis impediti: in hoc tamen differunt à reliquis hominibus, quòd eò sunt in vtramque partem vehementiores, quòd plures opes habent, maioremque sunt vitiorum impunitatem adepti. Quid igitur faciendum est ijs, qui gratiam Regis inire student? Explorandū & inspiciendum est homini, minimè huius artis ignaro, in quam partem Rex magis natura atque voluntate propendat, non quidem vt eam naturam regat, & moderetur: sed vt insti-



get potius, & inflammet, & furentius insanire compellat. Si Rex igitur fuerit vehemens, & acer in ferro, vbi id à summis artificibus fuerit exploratum, id suspicient, vt Regē satis iam sponte sua ad arma concitatum, magis ferocē & infestum efficiant; laudant enim vires, animum extollunt, virtutem admirantur, vnumque esse prædicant, quem opinentur homines ad summorum Imperatorum gloriam peruenturum. His sermonibus elatus & inflatus, præceptamenta fertur, & ab omni ratione & humanitate deducitur: nec aliud quam arma & classicum somniat, & in eam cogitationem totus incumbit, vt pacem turbet, & bellum quavis nefarium & iniustum moliatur. Ergo simulatque speciosa causa foederis rumpendi, belli que gerendi nascitur: consiliarios accersit, sibi que in animo esse dicit, aliquod præclarum specimen suæ virtutis exhibere, nec à maiorum gloria degenerare; commemorat deinde causas, quas potest obtendere, ne bellum omnino contra ius inferri videatur: malique se vitam in summum discrimen inferre confirmat; quam iniuriam aliquam inultam & impunitam relinquere. Hic dicat aliquis, non Regis officium esse causas belli quærere: sed pacem iuris æquabilitate conseruare: bella non nisi necessariò sumenda esse: nec enim pacem ad bellum conferendam, imò bellum, cum necesse fuerit, suscipiendum, vt pax & otium cum dignitate pariatur, satis magnam gloriam consequi eos Reges, qui Regnum suum cum iustitia atque dignitate tuentur,

DE REG. INSTIT. ET

animoque patrio subditis suis, & Regia benignitate prospiciunt. Bello sæpè turbari disciplinam, violari religionem, frangi vires, opes consumi, innocentiam vexari, improbitatem excitari, omniaque rapinis, cædibus, stupris, perturbari atque commisceri. Addat deinde Martem belli communem, & ancipites præliorum euentus, & quàm sæpè multi principes audaces & impigri, opibusque summis instructissimi, ex eo bello, ex quo victoriam & decus sperabāt, insignem cladem & summum dedecus acceperint. Postremò illud adijciat, eas mouendi belli causas, quas commemorat, minimè sibi iustas videri: nihil autem esse tanta cura Regibus prouidendum, quàm ne quid contra iuris diuini & humani præscripta moliantur. Si enim secus fecerint, fore, vt non solum à se homines alienent, sed etiam in grauè offensionem diuini numinis incurrant. Fieri autem non posse vt bellum illud, quod & Deum, & homines offendit, prosperos euentus consequatur. Hæc si dixerit aliquis in cõsilio, cui Rex acer, atque ferox, bellicęque glorię cupiditate flagrans præfuerit, quo animo putatis sententiam illius accipiendam? Pessimo inquit M. Nam & in Regis offensionem incidet, & ab alijs consiliarijs, tanquam homo nullius animi, contemnetur. Quid igitur inquam fiet? Cùm fuerit animaduersum, vt quisque acerrimè sententiam dixerit, ita maximam à Rege gratiam initurum: omnes certatim elaborabunt, vt Regem sponte sua furentem, quasi spiculis coniectis exagitent. Satis enim quamuis

causam belli gerendi iustam esse Regi gloriae cupido disputabunt : nec enim eam esse tam exactè ponderandam, quàm fieri solet in iudicijs, illic enim, inquit, legum subtilitate æquitatem elimari : in Regum verò controuersijs viribus & armis rem totam decerni. Itaque in Regum consilijs nõ tam habendam esse rationem iuris & religionis:quàm utilitatis & gloriae,quæ quidem Martis vi & impetu, non nimia officiorum omnium sanctitate comparatur. Site igitur, inquit, iuris nomen impedierit, ne bellum moueas, nunquam aliquod virtutis egregiæ tibi nomen & gloriam comparabis. Vix enim poterit aliquod esse bellum, quod non iuris & æquitatis ratio dirimat. Quamuis igitur omnia regni munera iustè atque vigilanter administres, in glorius tamen ad extremam ætatem peruenies. quare aut gloriae studium omittas, opus est, aut nomina iuris & æquitatis aspernere. Astringat hæc iuris religio animos humiles & abiectos, qui contumeliam pati possunt, ad quorum subsidium leges inuentæ sunt. Regum namque ius, non est in legibus & æquitate: sed in armis & imperatoria virtute constitutum. Hoc enim iure vsi sunt omnes summi Principes, qui multas nationes suo imperio subdiderunt, & ea ratione immortalitatem nominis assecuti sunt, qui si iuris rationem nimis sanctam habuissent, nunquam certè eas nationes, à quibus læsi fuerant, bello vastassent: & ita inertia & desidia corrupti, vel alijs prædæ fuissent, vel certè in tenebris & obscuritate latuissent. Quod si bel-



DE REG. INSTIT. ET

li ancipites euentus animo reformidas, considera viros illos excellentes, quorum nomē est immortalitati consecratum, nunquam eo metu contineri potuisse, quin omnia facinora nō modò præclara, sed etiā valdè periculosa susciperēt. sed cū secum statuissent, aut cū gloria viuendum esse, aut cum gloria moriendū: otium cum indignitate ferre minimè poterunt, & ita victorias innumerabiles adepti sunt. Rarò enim summa virtus, atque vitæ contemptio felici successu caret. Fortes enim (vt est in prouerbio) fortuna iuuat. Cū igitur belli mouendi causam, ad speciem satis honestam habeas: & summis opibus abūdes, & maximis exercitibus constipatus sis: & exempla domestica tibi stimulos frequenter admoueāt: quid minus dignum ista tua virtutis indole fingi poterit, quàm contemni ab hostibus, & aliquod dedecus & ignominiam iuris obtentu atq; fœderis nomine tolerare? Quare Princeps clarissime, facinus iam aliquod dignum te, dignum virtute tua, dignum maioribus tuis aggredere: metum & horrorem, quacumque armorum impetum tuleris, hostibus tuis incute: omnia viribus tuis obstantia ferro prosterne. Experiantur omnes, cum quibus aperto Marte conflixeris, quantū viribus atque virtute valeas: sic enim turpitudinem & ignominiam depelles, imperiumque tibi à maiorib<sup>9</sup> tuis relictū magnis accessionibus amplificabis: & ingentē gloriam, quam nulla vnquā obscurabit obliuio, consequeris. Hac oratione, qui regi iuueni, nimisq; bellandi studio concitato fuerit adula-

tus, potestis ne mente percipere, quantam perniciem sit communibus rebus allaturus? Necessesse enim continuò erit, vt ille non quidem vt suos incolumes ab omni calamitate tueatur: sed vt immensæ ambitioni, quæ illum stimulat, aliqua ratione satisfaciât, tantam ex ciuium bonis pecuniam cogat, quanta sat sit ad maximos exercitus alendos, & præfectorum auaritiâ exsaturandâ. Immania igitur tributa imperabit: tennes homines omni victu spoliabit: ciuitates & prouincias inanes reddet: militum licentiâ ita soluet, vt nullo metu possint eorum effrenatæ libidines cohiberi: externis postremò auxilijs Remp. conculcandâ permittet. Non solùm igitur ijs, cùm quibus bellum sine aliqua graui causa gerit, erit infestus: sed suis etiâ, pro quorum salute se ad mortem offerre debuisse, pestem atq; perniciem importabit. Iam verò vt victoriâ obtineat, quam voluptatem, si non est totius religionis & humanitatis expers, ex tã horrédo spectaculo capiet, vt illius gratia sine vlla necessitate bellum suscipiat? Multa namq; hominũ innocentium millia trucidantur: supra per vim multis virginib<sup>9</sup> & ingenuis mulieribus inferuntur: fortunæ diripiuntur: sacra polluantur: liberi homines in seruitutem abducuntur: omnia ferro, flamma, vastitate consumuntur. Si igitur qui mortem innocentibus afferunt, aut pudorem castis eripiunt, aut religionis sanctitatem violant, aut coniectis facibus ædes inflâmant, aut cultum agrum vastant, sempiterno supplicio digni sunt: homines, qui causâ infinitis cædib<sup>9</sup>

## DE REG. INSTIT. ET

flagitijs, latrocinijs, sacrilegijs, inflammationibus atque populationibus attulerint, quo satis digno supplicio poterūt debitas poenas, vt æuo sempiterno acerbissimè crucientur, exoluere? Quid si iisdem ciuibus suis, atque patriæ vniueriæ, ea omnia mala, quæ sumus oratione complexi, suis consilijs temerarijs importauerint? Fit enim sepe numero, vt ij, qui se victores fore confidunt, vincantur: & ea mala, quæ hostibus suis inferre cogitabant, ipsi merito atq; iure subeant. Ipsius tunc communis exitij & publicæ euerfionis, adulatores causam omnem sustinebūt. Cernitis iam animo, quantas strages edat adulatorum immanitas, cum Reges impigros, & audaces nacta est? quanto studio illos odio pacis incendat, & ad bellum temerè gerendū sollicitet? Atque præter alia mala, quibus isti homines nefarij, reges ad inutilia & perniciofa bella concitando Rempub. perdunt, & affligunt: eā multis erroribus turbulentis inficiunt, & à veræ religionis cultu ad falsæ & impuræ studium traducunt. Laxatis enim pudoris & verecundiæ vinculis, & morū sanctitate & castimonia profligata: facillimū est in populo propter assidua mala furiosè cōturbato, pro vera religione falsam supponi atque substitui; maximè verò, cum ea, quæ inducitur, popularis extiterit, qualis ea est, quæ his calamitosi temporibus, in illis præcipuè partibus, in quibus eiusmodi bella versata sunt, nostris peccatis increbuit. Vnde concludi potest, adulatorem pestem Reip. morum perniciem, patriæ turbinem atque procellam, legū



sanctiones, pacis ornamenta, religionis præfidia, omniaque pietatis studia peruertentem. Hactenus ea quidem mala persecutus aliqua ex parte sum, quæ eorum hominum scelere patrantur, qui sese ad Reges Marti dicatos adiungunt. Nunc consequens est, ut videamus, quàm urbani & festiui sint Veneris satellites atque ministri, qui operam dant illis Regibus, qui magis sunt in libidinem procliuēs, quàm ad arma propensi. Referamus igitur animum ad illam industriam, quam elegantes & lautæ mulieres in eo consumunt: ut Principem nimis mollem & delicatum, & exquisitissimis cibis egregiè saginatum, multisque odoribus suauissimè delibutum reddant, hunc igitur sic enutritum, ubi vafri homines & acuti excipiunt, illiusque naturam penitus explorant: spe ingentis prædæ erecti se accingunt, ut mollitiem illius nitidi Principis, in suum compendium & quæstum conuertant. Ergo si quid naturalis pudoris in eo inerat, id totum verborum petulantia, & lenocinio tollendum curant, seque illi diligentissimos intemperantiæ ministros fore profitentur. partim igitur lasciuis sermonibus atque iocis perulantibus, eorum cupiditatem inflammando: partim ad consensum libidinis multas mulieres alliciendo, sic Principis animum deprauant, ut nihil fingi possit intemperantius. si enim, ut antè diximus, omnes homines ita sunt voluptatis appetentes, ut neque paupertas, neque disciplina, neque iudiciorum metus eorum libidines coërcere possit: & quò maiores opes sunt, eò licentia maior,

## DE REG. INSTIT. ET

& cupiditas immanior existit: quid fiet de re-  
 gibus, quorum opes ingentes & deliciae sum-  
 mae sunt, & cupiditates omni metu solutae, cum  
 ad ea domestica mala, perditorum hominum  
 impuri sermones accesserint? Nec enim solum eos  
 ad nequitiam stimulant: sed demonstrare ni-  
 tuntur, nullam dedecoris maculam ex flagi-  
 tiosae libidinis impuritate Regibus adolescen-  
 tibus aspergi; intemperantiam enim iuuenum  
 inquirunt, non esse vitio vertendam, sed in vr-  
 banitatis & elegantiae laude ponendam. De-  
 cere illam aetatem lepores, & veneres, & amo-  
 rum blanditias, & sales atque iocos, ad libi-  
 dinem acrius irritandam accommodatos. Re-  
 gibus autem id magis conuenire, quod sunt ad  
 omnes voluptates animo securo perfruendas  
 magis instructi atque parati; stultum est in-  
 quiunt, cum possis iucundissimè viuere, tri-  
 stitiam vitae consuetari. Regibus deinde fas  
 est, quodcunque illis libuerit. Eum enim sta-  
 tum assecuti sunt, ut omnium subditorum o-  
 pes atque labores sint ad eorum voluptates &  
 commoda referendi: illorumque libidines  
 sint pro legibus reputandae. quod si Regibus  
 voluptates respuendae sunt, & blandimenta  
 naturae reiicienda: valeat Regnum, imperij ma-  
 iestas intereat, si nihil est aliud, quam curas &  
 sollicitudines allatura. Quare si sapias, fruiere fe-  
 licitate tua, neque adolescentiae florem sine  
 fructu summæ iucunditatis effluere sinas: vo-  
 lat enim aetas, & facultas perfruendae volupta-  
 tis elabitur, frustra que tandem occasionem  
 eximiae suauitatis amissam lamentabere. Fac  
igitur

igitur, ut quantum fieri possit, iucundissime viuas, intelligentq; omnes mortales nihil esse in terris rege beatius. Regni verò procurationem hominibus spectatis committe, ut illi, si quid opus fuerit, ad te interdum de Rep. referant: & interim ipsi pro te laborem subeant, & tu solutus omni cura, delicijs atq; voluptate circumfluas. Sententia placet: corpus enim tenerum laborem fugit, & animus delicijs eneruatus, negotij difficultatem anxie reformidat. nihil igitur libentius princeps ille faciet, quàm ut flagitiosas voluptates, honestis laboribus anteponat: regniq; gubernacula illis amicis, quos libidinis conscios habet, aut alijseiusmodi tractanda relinquat; noctem igitur in flagitijs, diem verò in somno, & in ludo parum liberali consumit. Ne autem hominum querelas audiat, includit se domi, admodumque raro in publicum prodit, in quo quidem suorum familiarium sermonib<sup>9</sup> inductus, existimat se grauitati, atque dignitati consulere. Si te, inquit, ita vulgaueris, ut quiuus homo de plebe quoties velit, ad te adire possit, præter illam molestiam, quam tibi homines ignobiles exhibebūt, maiestatem tuam immiues: paulatimque fiet, ut ob nimiam familiaritatem contemnaris. Quomodo igitur Regia dignitas à te retineri poterit? si aditus ad te fuerit ita difficilis, ut paucis admodum pateat: reliqui verò ad nos postulata sua deferant, ut de illis cognoscamus, vel ea ad te, si visum fuerit, referamus. Dum igitur Rex ab illis eiusmodi ratione persuasus, se ab officio suo

remo-



DE REG. INSTIT. ET

remouet; illi interim eius somno atque desidia, ad suam vtilitatem sanè diligenter abutuntur: quod vt rectius faciant, foedus inter se ferunt, & societatem sceleris ineunt: da mihi operam mutuam, tu me laudabis apud Regem, ego vicissim industriam & vigilantiam tuam verbis extollam. Tu dicito me esse dignum hoc honore, quem ambio: ego rursus te dignum esse prædicabo, in quem hoc munus, quod expetis, conferatur. Tu vrbauitatem meam laudato: ego contra ingenij tui acumen admirabor. Quid præterea? Demus operam ne quis alius in Regis familiaritatem veniat, qui opes, quibus imminemus, intercipiat: cauendum enim est, ne si aliquis, qui nobis antecellat ingenio, fuerit admissus, nos, vbi velit, excludat. Omnes igitur aditus præcludamus, Regem obsessum teneamus, omniq; præsidio circumuallemus, ne quis ad illum nobis inuitis aspi-ret. Quod si aliquis inter illos tantum gratia & opibus excellit, vt id reliqui non facile patiantur: fidem nefariè produnt, & de illius pernicie coniurant; quòd si alia ratione euertere illum nequeunt, cum primùm negotium aliquod se offert apud alios Principes gerendum, aut munus aliquod in longinquis terris administrandum: hominis ingenium laudant, industriam in cælum tollunt, nec alium reperiri posse confirmant, qui maiore cum prudentia, & auctoritate negotium illud conficiat. Legatur igitur, aut, vt rectius dicam, sociorum perfidia relegatur: illi verò præclari laudatores, vbi per speciem honoris socium in externas regio-

regiones amandauerint, locū illius occupant, & vallo atque munimento sepiunt, firmoque præsidio vinciunt: ne cū ille redierit, queat vnde fuit deiectus, vllō modo restitui. Nec eo contenti, absentem primò clanculū mordent: apertius deinde rebus illius obtreçant, operamque dant, vt Rex quotidie magis hominē despiciat. Si res illi bene procedit, minimè mirum esse dicunt: negotium esse facile, & expeditum, & eiusmodi, vt à quouis trāsigi possit; si verò aliquid secus accidit, quàm oportebat, omnia confestim in miserum tela iaciuntur: illumque aut ignaviæ & timiditatis insimulant, quòd non acriter institerit, neque se virum ostenderit; aut audaciæ & temeritatis accusant, quòd eos, cum quibus negotia magna tractabat, insolentia orationis offenderit. Hæc in sermone quotidiano inter se conferunt: hæc eadem cum Rege familiarissimè loquuntur: donec id, quod fuerat ab illis institutum, perficiant, eorum igitur opera ita se Rex illi misero infestum præbet, vt nunquam eum rursus in familiaritatem recipiat. Et hac quidem fide amicitias inter se colūt, vt tantisper amico partant, dum vel aliquid ab illo sperant: vel opes illius ita munitas esse putant, vt non facile labeferi posse confidant. Vbi verò primū illius euertendi facultatem oblatam vident, eam minimè prætermittunt. Sic autem fit, vt status Reipub. paulatim commutetur: nomen enim tantū regni manet, re autem vera paucorum potestas instituitur; intolerabilis enim potentia ad paucissimos homines defertur. Dum is  
igitur,

DE REG. INSTIT. ET

igitur, qui Regis nomen obtinet, in voluptatibus ætatem conterit : dum somno, desidiaque torpet, dum ita suam personam in negotijs interponit, vt semper suis familiaribus obsequatur: illi interim moderatores Reipub. ita se gerunt, vt omnia venalia proponant, & mercatû instituant omnium curationum & munerum: Sic autem silent leges, tolluntur iudicia, libertas eripitur, auaritia dominatur: neque solùm viduæ atq; pupilli, & reliqui, qui propter imbecillitatem obnoxij sunt iniuriæ, sed potentiores etiam vexantur, & multa incommoda patiuntur. Cùm enim inciderint in offensionem eorum, qui tenent omnia, necesse est, vt omnium fortunarum periculum adeant: omnes igitur illis adulentur opus est, illis seruiant, illos muneribus atque donis afficiant, ad illorumque libidines se totos accommodent, reliquis autem, qui apud illos in gratia non sunt, ne lamentari quidem liberè calamitatem suam, aut opem contra illorum potentiam implorare licet. Neque solùm ex omnium subditorum bonis prædas agunt: sed Regis etiam opes, domû auertunt, illiusque gazam impunè diripiunt, studia verò virtutis & honestatis abijciuntur. Nec enim ibi frugalitas & continentia locum habere potest, vbi luxuria immensa principatum tenet: nec animi magnitudo, vbi libertas oppressa est: nec iustitia, vbi omnia venalia sunt: neque prudentia, vbi cuncta temeritate & amentia perturbantur. Iam verò liberalitas, & beneficentia, & reliquæ eiusmodi virtutes quomodo splendere possunt, vbi omnia

oppressa



oppressa sunt crudelitatis & auaritiæ dominatu? Armorum verò vsus penitus obsolescit, irridentur enim milites, homines fortes eiiciuntur, Duces & Imperatores ab hominibus profligatis atque perditis, honoribus & emolumentis spoliantur: sic igitur cum ad sceleratorum hominum libidinem res administrantur, cum nihil gratis ab illis auferatur, cum magistratus & præfecti non dignitate, sed precio fiant, cum legum auctoritas concidat, cum iudicia nulla sint, cum vbique minutæ tyrannides existant, maiorum tyrannorum gratia confirmatæ: quæ reliqua spes erit populis, tanta importunitate perditis & afflictis? Omnium pecuniæ in paucorum domibus includuntur, opes Regis ipsius comminuuntur, adulteria & homicidia impunè suscipiuntur, vniuersa respub. furtis & latrocinij infesta tumultuatur: tantisque dissensionibus laborat, vt diu stare non possit. Et hæc quidem sunt artes, quibus illi in pace gubernant: si pax appellari potest in teritis legum, & totius Reipub. fœda confusio. Nunc belligerandi rationem videamus. Imminet repente bellum, & hostium exercitus ad nos oppugnandos summa celeritate contendit. Euocentur inquit milites. Qui? In ne, quibus frequenter illulistis? quorum virtutem contempnistis? quos omni contumelia dignos existimatis? Conscribantur exercitus. Qui exercitus? scurrarum ne, atque lenonum, quos fortibus viris exclusis in fidem vestram recepistis? an potius mercatorum atque redemptorum, quos auaritiæ ministros habuistis?

Arripiantur

DE REG. INSTIT. ET

Arripiantur arma, tela subito comparentur. Quæ arma? quæ tela commemoras? eâne, quæ studio atque vigilantia vestra, situ atque rubigine consumpta sunt? nec armorum ullum studium, nec arma video, neque vires denique, quibus arma gestari possint. Omnes enim, in quibus inerat aliqua virtutis militaris indoles, cum cernerent à vobis homines fortes irrideri, virtutemque ludibrio haberi, præmiaque virtuti debita, flagitiosis & impuris hominibus cõdonari: abiectis armis sese ad eas artes, quibus effœminantur animi, libenter & studiosè contulerunt, ut vestris vestigijs insisterent. Sociorum (inquis) auxilijs à nobis periculũ propulsabimus. Miserum, copijs tuis omninò diffidere, externisq; hominibus, qui fidem venalem habent, vitam tuam atque libertatem tuendam credere. Sed esto, sit aliquod firmum præsidium ignavis hominibus, in externo & conducto milite collocandum. Exprome igitur pecuniam, ut homines, quos non Reipublicæ caritas, neque insigne laudis studium: sed pecuniæ tantum cupiditas, ad arma sollicitat, pecuniæ magnitudine feroces efficias. Undè igitur tantam pecuniam erogabitis? num ex Regis ærario, quod est partim illius intemperantia, partim avaritia vestra penitus exhaustum? num ex populis immanitate vestra perditis, qui quemadmodum vitam tenuissimè sustentent, rationem inire non possunt. Nam illud certè non dicetis, vos ut debitum Principi, qui vos tantis opibus auxit, officium persoluat, velle pestem hanc à Reipublica vestris sumptibus arcere.

arcere. Quæ enim vestra sapientia est, credo vos malle communi patriæ incendio conflagrare, quàm aliquid pecuniarum, quas summo studio coaceruauistis, impendere. Sed demus fieri posse, vt in tanto Principis somno & negligentia: in tanta ministrorum auaritia: in tanta populorum calamitate, sit tamen ærarium refertum; quem fructum poterit in bello ex ingenti pecunia, sine virtute percipere? diuitiæ namque, quas imbelles homines possident, non eorum propriæ, sed hostium potius existimandæ sunt; victorum enim manubiæ sunt; non imbecillitatis oppressæ subsidia. tantum enim abest, vt grandis pecunia sine virtutis auxilio opem ferat vllam; vt maius etiam ruinæ periculum moliatur. Omnes enim illud bellum libentissimè suscipiunt, ex quo minimo cù periculo, maxima sibi belli præmia pollicentur. Quocirca minimè probo eorum sententiam, qui pecuniâ belli neruos esse dicunt. Bellum enim, non tam pecunia, quàm virtute conficitur: & virtute pecunia comparatur, non virtus pecunia. Nec enim Darij gaza Alexãdri Magni virtutem oppressit: Alexandri porrò virtus omni Darij gaza potita est; ex quo sequitur nullum esse firmum præsidium, vbi virtus abest; in diuitiarû affluentia constitutum. Quid fiet igitur in bello de Rege ignauo, & imbecillo: diuite tamen & opulento, cùm ab hoste acri & strenuo fuerit oppugnatus? profecto, nisi pacem ab hoste auaro & insolète multo auro redemerit, cum omni Repub. sibi commissa funditus interibit. quod quidem dede-



cus non dico Principibus, quorum omne studium est in verissima gloria consumendum: sed omnibus ingenuis hominibus, qui dignitatem charam habent, debet esse morte ipsa calamitosus. Non est enim pax fortibus hominibus auro, sed virtute parienda. Quid illud quod in pace pecunia redempta, nullum est firmum amicitiae foedus: sed perpetua seruitutis autoramentum: necesse enim erit singulis ferme annis eadem tributa pēdi: aliter enim nunquam deerunt causae, quibus victor bellum intermissum redintegret: ut illum, quem semel perculit & abiecit, omnibus tandem bonis spoliat. Vbi igitur rex fuit mollis & languidus, & Veneri deditus, & in Republica gerenda dissolutus, & in potestate perditorum hominum constitutus, fieri non poterit, ut status Reipublicae conseruetur: nam nec vllae opes esse possunt, vbi virtutis studium extinctum est. Et quamuis ingentes opes essent à principe domi reconditae, nullum esse posset in illis firmum ad pericula depellenda subsidium, imò quò plures opes sunt iniuria partae, eò princeps maiore suorum odio flagrat, & maiore aliorum inuidia premitur, & acrius cupiditatem hostium incendit & irritat. Hæc quidem mala & alia multa sunt, quæ adulatorum opera Rebuspub. inferuntur, cum Regem mollem atque desidem nacti fuerint. Videte igitur, quam sint semper omni Reipubl. tetri & infecti, & perniciosi: siue in pace, siue in bello, siue sese ad Regem acrem & impigrum, siue ad desidem & ignauum applicuerint. Non enim

ij sunt,

ij sunt, qui vnum modo & ratione refrenent: alteri stimulos admoueant: imò contra, qui animum vehementem & incensum acrius inflamment, & ardentibus furoris & amentiaë tædis exagitent: animum verò mollem & languidum, & flagitio corruptum, multò magis mollem & flagitiosum reddant, totiusq; laudis & dignitatis immemorem. Vt autem in fidibus, cum nerui nimis intenduntur, aut nimis remittuntur, harmoniam dissolui necesse est: ita cum Rex aut nimis ad vim, ad facinus, ad belli furorem concitatur, aut nimis animo relaxatur, & nimis molliter & delicatè se gerit: necesse profectò est, omnem concentum & symphoniam Reipub. conturbari. Illud enim nimis, quod tu Menesi omnem vitæ rationem euertere dicebas, adulatorum est proprium: nimis enim laudant, nimis vituperant, nimis erigunt animos, nimis abijciunt, nimis gestant, nimis aspiçantur: & ita cum ad Regem accedunt, in quamcunque partem eum inclinatum vident, nimis eum impellunt, & paululum etiam labantem præcipitant. Quid autem cum Rex non vnam tantum sectam sequitur: sed in contrarias partes ancipiti studio & cura distrahitur? sit enim interdum, vt non solum acer iracundus, elatus, ambitiosus, insolens & infestus sit: sed etiam languidus, eneruatus, & petulans & flagitiosus, & libidini atque nequitiaë nimis turpiter additus. Vt igitur in eodem simili verser, quo paulò ante vius sum, quemadmodum in cithara, cum alia chordè nimis intètè, alia nimis laxè sunt,

## DE REG. INSTIT. ET

& omnes inter se maximè discrepent, absurda quædam & dissonæ voces, cum maxima aurium offensione funduntur: ita Rex in tanta vitæ disparitate, morborumque repugnantii dissimilitudine à se ipso dissidens, secumque discordans, omnium hominum aures, oculos, animos grauitè offendit: vniuersamque Rempub. nimis confusa & absona ratione perturbat. Nec enim eam tantùm furore & amentia, & inconsiderata temeritate conuellit; sed etiam dedecore afficit, flagitiorumque omnium impuritate corrumpit. In hac igitur tam perturbata vitæ ratione, tantaque flagitiorum disensione, atque pugna, operæpretium est animaduertere, quam operam nauent isti boni viri Principibus; quàm variè suam versent, & ad variam atque dissimilem cupiditatem Regis accommodent: tantum enim valent ingenio, vt nullus sit tam difficilis morbus, quem non adulando & assentando augeant, nullus sit animus tantis commotionibus agitatus, quem non omni flagitio & ægritudine contaminent, tam diligenter autem vnicuique Principis flagitio seruiunt: vt ad illud tantum incitandum natos esse dicas. Nunc enim furorè Principis augent, & illum immensa cupiditate dominationis inflammant: nunc omnibus blanditijs & lenocinijs ad vitæ mollitiem, atque flagitiosas voluptates alliciunt: & ita denique variè illum torquent, & flectunt; vt nihil Regib. qui se illis dediderunt, aut magis vehemens & acre, aut magis languidum & enervatum possit excogitari. Quod si, vt antè iam dictum



dictū est, duę virtutes cū omnib. ingenuis ho-  
minibus, tū vel maximè regib⁹ necessarię sunt,  
nempè fortitudo, & animi moderatio: omnif-  
que Principis institutio eò in primis referen-  
da est, vt sit illius natura ita temperata; vt cum  
animi vehementis impetu, moderationis le-  
nitatem cōiungat: & rursus lenitati atq; man-  
suetudini (cū opus ita fuerit) vim quandam  
irę paulò acrioris admisceat: quam pœnam  
merentur ij, qui nullam in Principe instituendo  
moderationem adhibent: sed illum aut e-  
latum & iracundum, sine vlla temperatione  
clementiæ, aut mollem & delicatum, sine vllò  
studio virtutis efficiunt? Iam verò cū vtrun-  
que præstiterint, vt Reges in eorum discipli-  
nis enutriti, non solum superbi, truculenti, &  
immanes fiant: sed etiam desides, & ignaui,  
multisque flagitijs infames sint; nullo satis di-  
gno supplicio, tam scelestum & immane faci-  
nus vindicari potest. Non tamen is vllò modo  
sum, qui velim inductus odio, laudes eorum  
obterere, qui Principum libidinib⁹ obsequū-  
tur: semper enim tribui plurimum eloquētiæ,  
& eos, qui in illa principes extiterunt, admira-  
tus sum, at nemo potest negare eos, quos mul-  
ti Principes in delitijs habent, esse eloquentię  
laude præstantissimos: tantum enim in dicen-  
do valent, vt probent esse ingētem in summa  
imbecillitate potentiam, in miserrima serui-  
tute principatum, in summa miseria florētis-  
simæ atque beatissimæ vitæ rationē. Quo tan-  
dem, inquit Tauora, modo? Primum, inquam,  
statuunt illum, qui omnia ad voluntatem suā

DE REG. INSTIT. ET

administrat, & in omnibus rebus libidini suæ diligenter obsequitur, non modò liberum & potentem, sed summi principis nomine dignissimum: si enim princeps est, qui multum potentia præstat: & potentia in eo posita est, ut quidquid libuerit facias: is certè princeps potentissimus habendus est, qui perficit, ut omnia, quæ viderit, & concupierit & cogitauerit ad nutum illius præsto sint, & cupiditati illius obtemperent. Cùm autem principes nomine potentia maximè gloriètur, & ab amicis persuasi maximam potentiam in libidinis infinitæ licentia atq; fructu constituent: fit tandem, ut nullum flagitium sibi dedecori fore putet, dummodo ex illo flagitio constet, eos tantum posse, quantum velint; quod si progredi longius cœperint, nullū erit tantum facinus, quod illis minimè gloriandum atq; præ se ferendū videatur. Ergo siue per vim labem castis inferat, siue bonis vitam eripiant, siue domum potentium fortunas auertant, siue quidquam aliud contra iura omnia designent, quo significari possit, illos insigni potentia & robore præstare: periculum est ne sibi summam laudem & gloriam tribuendam putent, & reliquos principes, qui iure suo non ad eundem modum videntur, aut stultitiæ, aut timiditatis insimulent. Sic autem opera eorum, cum quibus coniunctissimè viuunt, fit, ut cùm imbecillitate & inopia laborent: se tamen potentia & opibus florentissimos arbitrentur. Quam imbecillitatē inquit Tauora, & quā inopiā narras? Vtenim fateamur eos, qui omnia officia vitæ vo-

luntate

luntate & libidine metiuntur, flagitiosos & infames esse: non tamē ex eo sequi videtur, vt inopes & imbecilli sint. Quid? inquam, eūme, qui nihil arbitrato suo decernit, ad alterius nutū viuit, qui nihil agere, nihil moliri audeat, quod non sibi fuerit ab eo, cuius nutus oēs obseruat, imperatum, aliquid posse suspicaris? Minimè inquit. Quid inquā deinde? is ne, qui totus est positus sub libidinis dominatu, aliquid arbitrio suo gerit: Nō certè. Libido nāque est, quæ illi leges imponit, quæ faces admouet, quæ verbera intentat, quæ supplicium cōminatur, quæ sic illum accipit, vt nullo cruciatu cōtenta esse possit. qui igitur illi paret, non solū princeps aut potens existimandus non est: sed ne liber quidem, imò mancipium vilissimum plagis infinitis obnoxiiū. Deinde, si potens ille est, qui quod vult, facit, & qui libidini paret, non vult quod facit, nōne perspicuum est, eū nihil omninò posse? Volumus enim non tam id, quod agimus, quàm id, cuius gratia actionē aliquam suscipimus; veluti cū pharmacum sumimus, non Pharmacum, sed sanitatem volumus: ergo si multis pharmacis exhaustis, morbum minimè depulimus, minimè quod volumus, effecimus; sed quàm tenues essent naturæ nostræ vires, ostendimus: sic etiā princeps, qui se flagitiosè gerit, flagitium illud nō vult, nisi propter emolumentū & fructum, quem ex flagitio se percepturum credit: ergo si id non adeptus fuerit, quod optabat, sed quo maiore studio flagitia fuerit consecutus, eò se magis omnibus illis commodis, quæ sibi opinionis



DE REG. INSTIT. ET

errore fingebat, priuatum senserit: nonne per-  
 spicuum est, eum nullam potentiam, nullas vi-  
 res, nullas opes habuisse? Nec enim illum fra-  
 tum assequi potuit, quem ardentem expetiuit:  
 dominationem enim & infinitum imperium  
 quærebat, & libertatem amisit; famam & glo-  
 riam aucupabatur, & sempiternam ignomini-  
 am subiuit; beatam vitam sitienter appetebat,  
 & omnibus ærumnis atque miserijs circum-  
 uentus est. Nullum enim malum abesse potest  
 ab eis, qui cùm multis opibus abundant, teme-  
 ritate & amentia ducuntur; omnia namque ad  
 pestem & pernitiem conferunt, quæ sibi fue-  
 rant ad salutem attributa. Ergo quò magis isti,  
 qui principibus operam nauant, eloquentia  
 florent, eò magis sunt ab eorum familiaritate  
 repellendi; eorum siquidem opera fit, vt mul-  
 ti principes existiment nihil esse magis regiũ,  
 quàm voluntati propriæ satisfacere, & cupidi-  
 tatibus obsequi, & in omnibus rebus admini-  
 strandis non lege, more, & ratione: sed appeti-  
 tu, leuitate, libidine, instituto, & amentia gu-  
 bernari; vsq; adeò, vt illorum opinione is re-  
 gio nomine sit dignissimus, qui maximè de-  
 decori, flagitio, atque turpitudini seruit,  
 totumque se dat nefariæ vo-  
 luptati constringen-  
 dum.

REGIS IN-  
STITVTIONE ET  
DISCIPLINA, LI-  
BER TERTIVS.



LIA multa dici in hanc sen-  
tentiam possent, sed hæc, quæ  
dicta sunt, satis superque sunt  
ad hoc genus hominum ab om-  
ni Principum aditu & cou-  
gressione repellendum; sum-  
mam tamen in hac cautione difficultatem fo-  
re perspicio. Quam difficultatem, inquit M.  
eam inquam, quæ tota est in amoris vi, & ma-  
gnitudine constituta. Nihil enim est, quod ma-  
gis animos amore conciliet, quam amoris in-  
dicium; inhumanum enim est non amare eos,  
à quibus te non mediocriter amari perspicias.  
Rectè inquit. At cõstat, inquam, hos homines,  
qui apud Regem in gratia sunt, amore mirum  
in modum cruciari: quod quidem multis fig-  
nis intelligi potest. Nam primũ ita sunt in il-  
lius vultu defixi, vt oculos auertere aliò ne-  
queant. Deinde cùm absunt, illius desiderium  
ferre non possunt. Deinde nullum sermonem  
cum aliqua voluptate ad aures admittunt, nisi  
qui de Regis laudibus habeatur. Noctes dein-  
de insomnes illius causa traducunt, de illo per-  
petuò loquuntur, somniantes de illo cogitant,  
& illius speciem sibi in somnis intueri viden-  
tur.

## DE REG. INSTIT. ET

tur. Tum verò illa quàm expressa signa amoris sunt, quod totos se ad illius voluntatem & studium fingunt: & pro varietate affectionū, quibus illum commotum animaduertunt, variè commutantur, vt appareat illorum animos, non proprio sensu atq; natura cōmoueri, sed omnes rationes ex Regis animo suspensas habere. Si lætum esse vident, exultant: si tristem, abijciuntur; si iratum, efferantur animis; si cupiditate inflammatum, vt libidini illius tota mente seruiant, immoderata cupiditate rapiuntur: deniq; quocunq; motu illum commoueri & agitari perspiciunt, eodem etiam mirificè concitantur. Iam verò, quàm sint de illius valetudine atq; vita solliciti, quis explicari dicendo poterit? horrent enim, & exalbescunt metu, & pauore concutiuntur, quoties regem aliquo morbo oppressum, aut in aliquo periculo constitutum aspiciunt. Postremò, quod est maximū amoris signum, alij alijs inuident, & æmulationis & obtreccionis morbo grauissimè laborant. Riuales igitur odio persequuntur, & quāuis se illos diligere simulent, tamē extinctos cupiunt. Possumus igitur, cum hæc eximij cuiusdā amoris signa videamus, inficiari, eos esse summo amore principis, cui seruiunt, inflammatos? Minimè, inquit T. si igitur inq;, regem nō mediocriter amant, quatanđe ratione regē impellemus, vt homines lepidos & vrbani venustatib<sup>9</sup> affluentes, quibus se carissimum, & iucundissimum esse cōspicit, ablegari patiatur? Si igitur, inquit, id efficere dicendo poteris, vt princeps eos, à quibus se per-



dite amari videt, à se segregari sinat, magnam eloquentiæ significationē dabis. Id quidē, inquam, experiri licebit, sed mihi velim credatis, peruersam loquendi consuetudinē maximam malorum omniū causam rebus humanis attulisse. Dum enim res turpes honestis nominibus appellamus, turpitudinē facillimē honestatis specie capti suscipim⁹. In vita igitur & officio delinquat opus est, qui in verbis & oratione delinquit: quod quidē manifestē in amoris nomine & ratione perspicitur. Quid em̄ est amore honestius? quid illa cupiditate, cui multi nomen amoris imponūt, flagitiosius? Amor enim est honestatis studiū, verē pulchritudinis appetitio, decoris & laudis immensa cupiditas: Voluptatis autē appetitus in turpitudinē fertur, & dū se expleat, de pulchritudinis & honestatis interitu minimē laborat. Amor igitur pulchritudinē admiratur, & honestatē & decus omnib. vitæ cōmodis antepōnit: libido autē omnem eripit honestatē, & corporis etiā pulchritudinē dedecore & foeditate cōmaculat. Præterea amor, illi, quē amat, oīa bona ardentissimē cupit, & illius gratia quēuis laborē excipere, aut periculū adire minimē reformidat: at libido, dum sibi satisfaciāt, quid afferat ei detrimenti, in quem furenter incitatur, minimi faciendum putat. Postremò amor id, quod amat, saluum & ornatum vult, & illi etiā æternitatem exoptat: at voluptatis cupiditas, in ipsam pulchritudinem, quam habet caram, satis contumeliosē & petulanter inuehitur, illiq; sempiternum dedec⁹ inurere.

&interi-

& interitum afferre contendit. Quomodo igitur fieri potest, ut quod ego amo, euersum & extinctum velim? Ergo cum amor pulchritudinem admiretur: libido pulchritudinem deformat, & in decus honestatis irruat & insultet, ut id totum eripiat, consequens est, ut libido nefaria, non amor, sed odium potius capitale nominanda sit; sed quia voluptas eximia, amorem consequitur: factum est, ut multi voluptatis flagitiose cupiditatem, satis imperite nomine amoris appellarent. Nam reuera flagitiosi amatores non amatores, sed hostes immanes appellandi sunt: nisi fortasse credimus Corydonem Vergilianum, Alexim illum, quem perditè se amare dicebat, amore vero fuisse persecutum: ipse se ostendit, atque planè fateatur, qualiter sit animatus in Alexim. Inquit enim,

*Torna leæna lupum sequitur, lupus ipse capellam,  
Florentem cytium sequitur lasciuia capella,  
Te Coridon ô Alexi: trahit sua quemque voluptas.*

At leæna lupum sequitur, ut eum dilaniet: lupus capellam, ut eam deuoret: capella cytium, ut carpat atque conficiat: Ergo Coridon insequebatur Alexim, ut eum perderet, & omni dedecore contaminaret. Amatores igitur ij, qui appellantur, cum amant id, quod habent carum, non ut ornent, & opibus augeant; sed ut omni dignitate & opibus spolient, insequuntur. Ut igitur in propositum redeamus, fateor quidem hos homines, qui Regibus in delicijs sunt, esse Regum amatores maximos: & omnibus curis afflictiari, quibus amatores perpetuo

tuò cruciantur. Sic enim stupent, sic vigilât, sic insidias comparant, sic riualibus inuident, sic ingemiscunt, & interdum etiam lamentantur, vt facillè appareat, eos esse animo ægros, amore sæuo saucios. Quemadmodum igitur amatores non aliud, quam suam tantum voluptatem sibi proponunt: ita ij non dignitatem Regis amplificatam, sed suas opes cumulatas & adauctas cernere cupiunt. Ergo vt is, qui virginem amat, non cupit virginibonum aliquod: sed eam potius parentibus orbatam, ab opib<sup>9</sup> & amicis inopem, omnium ope & patrocinio destitutam; & quod multò grauius est, omni prudentia & grauitate, & pudore spoliata videre cupit, vt eam facilius ad consensum libidinis & impuritatis alliciat: ita isti boni viri sic regem amant, vt illum omnibus virtutis & honestatis & sapientiæ opibus nudatum & spoliatum vehementer exoptent: vt facilius eorum infinitis cupiditatibus obsequatur. Primum quidem igitur eum bonorum hominum ope nudant, & omnibus, qui prudentiæ & modestiæ, & bonitatis laude præcellunt, aditum ad regiam familiaritatem diligentissimè præcludunt: sunt enim vehementer anxij, & de statu suo valdè solliciti; sapienter enim vident, nihil esse magis aduersarium falsæ virtutis opinioni, quam veram virtutem spectatam & cognitam: nihilque magis officio simulato contrarium, quam rectum officium verè, & ex animo tam Regi, quam patriæ persolutum. Omnes namq; falsæ & inanes laudes euanescent, vbi primum in splendorem solidæ, & expres-



ſæ virtutis incurrunt: ne igitur aliquis vir ani-  
 mo maximo, atque ſingulari virtute & ſapien-  
 tia præditus, qui eorum nomini obſcuritatem  
 afferre poſſit, in Regis familiaritatem veniat,  
 quanto artificio pugnant? quantum laborem  
 ſuſcipiunt? quantas fraudes & inſidias machi-  
 nantur? incidat ſermo de viro aliquo ſingula-  
 ri laude probitatis ornato: bonus quidem (in-  
 quiunt) ille vir eſt, ſubrutiſticus tamẽ, minime  
 quẽ dignus, qui in aula verſetur; homo certẽ  
 innocens eſt, minimequẽ malus, ſed negotij ge-  
 rendi proſuſ imperitus. Quid illi rem tuam  
 committas, qui ſuam malẽ gerit? hominis reli-  
 gionem & integritatem laudo, animi verò ſtu-  
 pore, & tarditatẽ vitupero. Quod ſi aliquis  
 id ſpecimẽ virtutis & induſtriæ iam præbue-  
 rit, vt non liceat vllio modo probitatis inge-  
 niũ laudem, nomine ſegnitiẽ atque tarditatis ob-  
 terere: alia via aggrediuntur, & quantum in il-  
 lis eſt, virtutis laudem temeritatis vitupera-  
 tione deformant. Summa Principis felicitate  
 factum eſſe dicunt, ne omnia corruerẽt: furo-  
 re namque hominis illius rem fuiſſe in extre-  
 mum diſcrimen adductã. Si quem viderint li-  
 berum, animoque maximo vitia, quibus Reſp. læ-  
 borat, aperientem: hominem nimis elatum &  
 confidentem & dignitati Regis infeſtum eſſe  
 confirmant. Nihil autem maiestate regiæ ma-  
 gis aduerſari, quàm nimiã in loquendo liber-  
 tatem; argumentũ enim eſſe, contemni Regem,  
 cùm aliquis eum in ſermone lædere non vere-  
 tur: eſſe igitur illã vim & effrenatã ferociam  
 acerrimẽ comprimendã. Si ſapis igitur, hoc ge-  
 nus

nus hominum à familiaritate tua procul arcē-  
dum existimabis; si enim solus regnare vis, &  
hominum cupiditates domitas & cōpressas ha-  
bere, ne quisquā audeat ad regiū aliquod de-  
cus aspirare: omnes isti, qui sibi spiritus ingent-  
es sumunt, ita frenandi sunt, vt nemo ex illis  
se liberum putet. His & alijs eiusmodi sermo-  
nibus regi sunt impedimento, quo minus se  
bonorum præsidio sepiat; statumque suū fideli-  
bus amicitijs; & consilio salutari cōmuniat. ad  
hunc igitur modū, Principem bonorū auxilio  
nudāt, eumq; noctes atque dies circumuallant,  
ne possit vllō modo ad nomen suū bonos atq;  
fortes viros adiungere. Cauēt deinde, ne Prin-  
ceps vlla sibi literarum præsidia & adiumenta  
requirat: literarum enim studijs (aiunt) corrū-  
pi valetudinem, infringi vires, indolem Regiā  
à rebus fortiter gerēdis auocari. Prætereā mi-  
nimè decere Principem, tanquā aliquē de ple-  
be hominē, qui velit ad honores obrepere, &  
commendatione aliqua eruditionis à multitu-  
dinis fece segregari, libris affigi, hominumq;  
doctorum ineptijs oblectari. nū tibi, inquit,  
victus literis cōparandus est? nū honores tibi  
propter eruditionē deferendi sunt? tantū cer-  
tè abest, vt Principi dignitatem vllā afferat e-  
ruditio, vt illi dedecori potius & ignominia  
sit. Si dignitas igitur tibi cara est, non solū li-  
terarum studia tibi contemnenda sunt: sed et-  
iam eorum hominum, qui se totos literarum  
studijs dederunt, sermo atque familiaritas  
vitanda est; neque vnquam arcessendi sunt, nisi  
rarò admodū; nempè cū aliquod negotium  
inci-

## DE REG. INSTIT. ET

inciderit, quod aliter expediri non possit. Tãtis per igitur illorum garrulitatem patere, dũ res alio modo transigi nequit: vbi id transactũ perspexeris, illos procul amanda, ne sermonibus molestissimis tuas aures obtundãt. Sic autem ea loquuntur, & eas machinas adhibent, & eam opinionem in animo Regis inferunt: vt istandem ad officium suum valdè pertinere putet, omnes literas odio persequi, artesque maximas execrari. Nec hoc scelere contenti, aliud multo immanius moliuntur; nec enim tantũ Reges literarum & disciplinarũ præsidio spoliare: sed etiam diuina ope orbare cõtendunt. Persuadent enim Regibus; non esse illis religionem summo studio colendam, nõ inquit, quòd religio negligenda sit; esset enim id scelestum & immane facinus; sed quod in Regibus cùm immodica est, dignitatẽ nullam habeat. minimè enim decere Principem instar cuiusdam vetulæ multam operã in precibus, & in votis, & in procuranda religione consumere. Deinde si religione, inquit, te nimis implicueris, officium tuum non facies: sed potius multis in locis obiecta religione à studio dignitatis abduceris. Abijcit enim animum, qui valdè religiosus est, & decoris atque dignitatis studium deponit: nec enim iniuriã vlcersi vult, sed omnes contumelias patientissimè tolerat, quod non est animi fortis & confidentis officium, sed imbecilli potius, & enervati, minimeque de Regiæ dignitatis amplitudine cogitantis. Veniat igitur tibi in mentem te non sacrificulum, sed Regem esse, eaque sa-

crõrum



rorum studia, quæ dignitatem tuam imminue-  
 re possunt, omitte. Hæc autem ita differunt, ut  
 paulatim omne pietatis studium restinguant:  
 modum enim, quem Religioni adhibendum  
 censent, exiguis ad eò finibus circumscribunt,  
 ut pro parte sua paulatim omnem ex animis  
 religionem tollant, itaque perficiunt, quatum  
 possunt, ut Reges à Dei coniunctione dinel-  
 lant. En amoris vis incredibilis, qua isti boni  
 viri sese ad summum studium regis adiungunt.  
 En cur opibus augeri, & dignitate omni cumu-  
 lari debeant. En cur meritò bonis omnibus ex-  
 clusis, & Principe multis molibus atque ma-  
 chinis obsessio, ipsi soli in omni Repub. domi-  
 nentur, tanto enim amore Regem amplectun-  
 tur, ut illum hominum bonorum usu & fami-  
 liaritate prohibeant: ut fructu sapientiæ, qui  
 monumentis doctissimorum hominum con-  
 tinetur, omnino priuent: ut Dei postremò nu-  
 men, opem, & auxilium ab illo, quantum pos-  
 sunt, longissimè repellant: ut sic tandem riu-  
 alium omnium timore liberati, summum fru-  
 ctum ex amore, quo sunt acriter inflammati,  
 securè percipiant. Nec enim aliud est, quod il-  
 los cogat, omni diuino & humano præsidio nu-  
 dare principes: & eos summo scelere, perfidia,  
 & immanitate obsessos tenere, ne possint vl-  
 lo modo salutari ope & auxilio liberari, nisi  
 quod intelligunt hæc omnia fore impedimen-  
 to, quo minus tyrannidem suam diu tueri, &  
 simplicitate principis abuti possint. Qui igitur  
 ita Reges amant, ut eos omni diuino & hu-  
 mano præsidio destitutos videre cupiant: ut i-

DE REG. INSTIT. ET

psi liberius omnibus illorum opibus potiri queant, num Reges amant? an potius opes, & honores, quibus inhiant, & inanes pecunias, quas infinita auiditate liguriunt? Hęc si rex sapienter animaduernerit, illos certè nõ vt amicos amplexabitur: sed vt proditores (ne quid aliud dicam) à se longissimè segregabit; aliter enim cum suo magno malo sentiet, non se, sed pecuniam infinitam, & potentiam non ferendam ad hominum perniciem comparatã, ab illis amari. Mala enim, quæ in Principem bonorum ope destitutũ, artium maximarum præsidio nudatũ, à Dei ipsius præsentis auxilio derelictum, perditorum hominũ scelere circumfessum repentè inuadunt, quis poterit enumerando recensere? Vt tamen aliqua summatim referamus, primũ omnium malorũ summa temeritas & amentia est. Quod vt rectius intelligi possit, statuendũ est, non omnem inscitiam esse similiter execrandã: multum enim inter est qualis stultitia sit; deinde in cuius animo infideat, stultitia enim quædam mediocris est atque tolerabilis, quædã verò summa atq; summo opere detestanda. tolerabilis quidem eorũ stultitia est, qui cũ sapientes minimè sint, minimè sibi sapientiam arrogant: intolerabilis & execranda est illorũ inscitia, qui sibi eã sapientiam assumunt, cuius ignari sunt. Qui em̃ neq; medicus est, neque se medicũ esse profitetur, vt ægrotũ non sanet, nemini tamen vitã medicamentis eripiet: at qui se medicum esse credit, cùm medicinæ imperitus sit, neminẽ quidem morbo leuare, multos autem vita priuare poterit.

terit. Præterea cùm hæc summa dementia in animū illius inuaserit, cui munus illud, cuius se scientiam tenere confidit, assignatū non est, non multum sanè rebus illius arrogantia nocet: at cū oppresserit hominem, cui omnia, quæ cupit, munera deferuntur, omnia peruertet. Si enim homo nauigandi imperitus, se optimum gubernatorē esse iactauerit, non tamen illi quisquam gubernacula tractanda permiserit, non euertet stultitia sua nauem: at si nauis illi cōmissa fuerit, tum demū sibi atque vectoribus diram cladem inferet. quò autem amplius illud munus est, homini imperito commissum, eò erit amentia illius infestior. Cùm uerò nullum munus sit in terris Regio munere maius & amplius, nihil certè poterit esse illius amentia & temeritate funestius, maximè cū sibi in summa rerum imperitia, summā sapientiam arrogauerit. Nec enim paucos vectores, sed uniuersam Remp. funditus perdet. Ex quo sequitur, nihil esse posse dirius Rege stulto & insano. nec enim potentix fructus est in possessione, sed in recto illius usu collocandus: rectus autem omnium rerum usus, prudentiæ moderatione continetur; ubi igitur prudentia non extiterit, ibi necesse est, ut qui opibus affluit, non partis opibus ad salutem & honestatem: sed ad perniciē atque dedecus utatur. Ut enim cùm musicæ ignarus citharam pulsat, ridiculum se ostendit: & cùm furiosus omni vinculo solutus ferrum stringit, quo violentior est, eò maiorem stragem edit: sic homo potens, cū propter stultitiā opib<sup>9</sup> suis uti nesciat,



DE REG. INSTIT. ET

quò maiores opes habet, eò maiorem ignomiam subibit, funestioemque pestem sibi, atque reipub. comparabit. Reliquum igitur est, ut quò Rex opulentior fuerit, imperiumque illius latius propagatum extiterit, si fuerit amentia vexatus, & (ut fit) sibi sapientiam attribuerit: eò tetrior sit, multoque grauiorem plagam communibus rebus imponat. Huius autè tanti mali, quo nullum dirius atque funestius excogitari potest, adultores architecti sunt: Principis enim ingenium laudant, sapientiam in cœlum ferunt, consiliũ admirantur; si quid autem est ab illo festiuè dictum, id risu & plausibus excipiunt, eoque rem deducunt, ut is, qui iam opibus & potentia inflatus insaniebat, omni iudicio spoliatur: & cū sit amentissimus, statuatur tamen se nullius consilio indigere; sed illis sapientiæ opibus affluere, quibus facillimè possit orbem terrarum moderari. His igitur cogitationibus elatus exultat, & præcepta amentia fertur, & omnia furèter administrat, usque eò, dum in Rempub. nefariam pestem & dirum exitium machinetur. Prudentiæ autem lumine amoto, quomodo poterunt in animis reliquæ virtutes habitare? num animi magnitudo poterit in eo locum habere, qui magna & excelsa contueri nequit? qui nihil altum & generosum cogitat? qui non solum flagitio & impuritati, sed flagitiorum ministris seruiendum existimat? quis enim non videt, tantam esse principum quorundam humilitatem, ut contra eorum voluntatem, qui se in illorum familiaritatem lenocinijs, & assentionibus immer-

immerferunt, loqui non audeant? Præterea si sunt acres atque vehementes, cum rationis imperitum repudient, tantum abest, ut fortes & magnanimi sint, ut ne homines quidem appellandi sint; sed immanes quædam belluæ libidinis impetu dimicantes. Fortitudo enim non est furor, & amentia libidini seruiens: sed animi excellentis altitudo pro iustitiæ sanctitate pugnans. Si verò molles & eneruati fuerint, opus est, ut humiles & abiecti sint, neque solû belli fremitus exhorreant: sed omnes etiam belli rumores, atque adeò umbras extimescât. quid de temperantia dicendum? illi ne poterunt esse moderati, quorum est effrenata, & immodica cupiditas? qui neque metu, neque pudore, neque disciplina coerceri possunt? metum enim summa potentia depulit; pudorem sermo impurus hominum perditorum sustulit; disciplinam autem temeritas & insolentia contempsit. quomodo igitur honestatem & constantiam ullam retinebunt, qui opes immensas non honestatis instrumenta: sed libidinis materiam putant, & tam multis cupiditatum fluctibus in diuersas partes agitantur? qui singulis horis hûc & illûc æstu temeritatis inconsideratissimè rapiuntur? qui vel superbia tument, & nimis insolèter efferuntur: vel se nimis dimittunt, & omnem memoriam decoris atque dignitatis abijciunt? Iam verò iustitiæ munus & officium ab illis administrari nullo modo potest, qui sunt oppressi cupiditatis impurissimæ dominatu. Quomodo enim aliorû licentiam resecabit, qui sibi ipsi flagitiorum

DE REG. INSTIT. ET

omnium licentiam attribuit? qua ratione suos in officio continebit, qui animi sui partes non cōtinet? quo pacto merita cuiusque certis ponderibus examinabit, qui omnem rationē dignitatis ignorat? quomodo denique reget alios, qui seipsum regere non potest? Vt autem in pauca conferam, nemo iustitiam colere potest, qui non fuerit & sapiens, & fortis, & moderatus. Sapientia enim, quod rectū, & verum, & simplex est, perscrutatur & inspicit. Fortitudo animum ad vires tyrannidis elidendas, firmo pręsidio confirmat. Temperantia cauet, ne status animi tumultu aliquo turbetur, & quod est ratione moderandum, libidine peruertatur. Vbi igitur pro sapientia temeritas, pro fortitudine imbecillitas, pro temperantia libido Rempub. administrat, ibi ne vestigium quidem vllum iustitię & æquitatis extare potest. Cū igitur Rex & insipiens, & impuris ministris obnoxius, & indomitę libidini deditus fuerit, ne simulachrum quidem vllū iustitię conseruabit: nam neq; quę vis, & ratio sit iuris, intelligit, nec id, quod intelligit, facere audeat: ne eos, quos in delitijs habet, & quorum etiam opes metuit, offendat; neque si audeat, id tamen, quod iustitia pręscribit, sibi per infinitam cupiditatē, cui est addictus, exequi licebit. Adde quod non solum vt suę ipsius cupiditati, quę satiari & expleri nequit: sed vt suorum etiam libidinibus obsequatur, necesse plerunque est, vt non modo humana, sed etiam diuina iura violet. cū enim opes suas absumpserit, tum immodicis tributis Remp.



vexabit, & multos expoliabit, vt alienis facultatibus suos locupletet: & innocentibus eripiat, quod maleficis hominibus largiatur: atq; postremò manus rebus sacris afferet, & templa omnia atq; fana compilabit. Hic erit ornatus animi, quo Rex impuris hominibus deditus excellet. O egregios felicissimi Regis amatores, qui tam præclaris officijs eum principem, cui se dicauerunt, tuendum & ornandum suscipiunt. Qui fieri igitur potest, vt princeps hominibus tam gratis & pijs, tam omnia ad dignitatem illius referentibus diu careat? necesse profectò est, vt si sese ab illius conspectu remouerint, eorum desiderio contabescat; magna enim illorum merita in principem, & satis illustria constant. illius enim menti tenebras attulerunt, animum illius de omni statu deiecerunt, omnem illi dignitatem detraxerunt. Cernitis quanta temeritas in communi vita versetur? homines prudentes & honesti despicuntur; illique summis honoribus afficiuntur, qui principes à studio virtutis & humanitatis auertunt, & tyrannidem alunt, & in resp. immittunt. Id enim moliuntur & efficiunt, vt Regem habeamus effrenata mente præditum, infinita libidine furentem, hominibus perditis atq; profligatis obnoxium, fortibus & moderatis infestum: & modò elatum, & inflatum, modò humilem atq; demissum, maleficum deniq; & iniustum, & in tantis flagitijs virtutis & honestatis nomen temerè, & insolenter vsurpantem. Sed inquiet fortasse aliquis, id nõ semper euenire: multos enim extitisse Principes, qui

## DE REG. INSTIT. ET

cùm non admodum dissimili ratione educati fuissent, magnum tamen, firmata iam ætate, virtutis specimen dederunt. Fateor equidem, & id in miraculi loco ponendum existimo: diuino siquidem beneficio fit, vt non semper iidem euentus, ex eisdem causis existant; interdum enim tam præclara indoles elucet diuinitus in quibusdam principibus: vt hominum sceleri fortissimè resistent, & sint illis impedimento, quo minus possint omnia, quæ volunt, sceleratè & impiè machinari. Sed nos hic, non quod aliquando Dei singulari beneficio euenit, ne omnia funditus intereant, cogitemus: sed quid accidere necesse sit, nisi Deus nos præsentissima ope respiciat. Simul & illud animo reputemus, quàm excellens illa virtus extitisset, si fuisset bonis disciplinis exculta, & bonorum hominum sermonibus ad summum decus excitata. Quando etiam cùm est omni literarum ope destituta, & ab hominibus nefarijs impedita; lucet tamen, benignitatisque suæ aliquod lumen porrigit. Nam si princeps fraudibus vndique circumuentus, opibus summis obsessus, nullis artibus adiutus, sceleris improbissimi conatibus impeditus, aliquam tamen virtutis Regiæ significationem dat: quid effecisset, si cum bonarum artium cultu, ad seipsum bonos atque sapientes homines aggregasset? diuinus certè ex illius virtute splendor eluxisset. Sed nos, vt paulò antè dixi, non de eo, quod rarò contingit, & quod cùm accidit, in loco portenti atq; prodigij numerandum sit: sed de malis, quæ prauam institutionem natura con-

raconsequuntur, & de eo, quod plerumq; accidit, disputamus. Ut igitur omnia vitia perstringamus, quæ ex hac educatione oriuntur, primum quidem princeps mollissimo cultu nutritus, & in summis delicijs educatus, mollis & delicatus sit necesse est, otio languidus, laboris impatiens, ad libidinem proclivis, & valetudine infirma præditus: deinde cum perditorum hominum impuri sermones accesserint, erit etiam arrogans, & elatus, & inhumanus, & sibi quodammodo diuinitatem tribuet; & cum fuerit hominibus sceleratis, qui cum illo viuunt, obnoxius, reliquos ne homines quidem ducet. Prætereà summo furore & amentia vexabitur. Sic autem fiet, ut Princeps, in quo summa quædam sapientia flagitatur, ut officium suum tueri possit, cum & natura, & opibus, & imperio, & cogitationibus inanissimis, & sermonibus impurissimis inflari cœperit, omni iudicio spoliatur: & ne quid sibi ad summam stultitiam desit, in maxima rerum ignoratione, & in miseranda mentis cæcitate, summam sibi sapientiam nimis insolenter assumat. Deinde inuidiæ poenis agitabitur. nihil est enim magis cum arrogantiâ coniunctum, quam dolor ex aspectu alienæ virtutis iniustus; verissimæ enim dignitatis splendore, dignitatem suam obscurari & extinguere planè iudicat. Inde igitur acerbissimum odium in omnes bonos erumpit, inde etiam timor exoritur. Nec enim solum omnem excellentiam virtutis odit: sed illam suspectam habet, & ab omni mentis altitudine sibi perniciem imminere censet. Ex



## DE REG. INSTIT. ET

invidia autem, & odio, & metu, & inani suspitione crudelitas eminent, & immanitas quædam humanæ societatis oblita, & ad hominum pestem atque perniciem acerrimè concitata. Agrestis autem libido, omnibus pudoris atque iuris vinculis emissa, & adulatorum lenocinijs acrius incitata, illum miserrimè vexat, & quocunque fert impetum, vehementissimè contorquet. His quidem pestibus exagitur, cum res illi secundæ sunt: in rebus autem aduersis, maximè cum bellum aliquod repentè mouetur, qua tandem spe erigi potest ille, qui neque ut corpus labore villo duraret, nec ut animum virtute firmaret, neque ut statum suum fortium hominum præsidio muniret, neque se diuini numinis auxilio tueretur, vnquam elaborauit? illum igitur tunc animaduertere licebit, sibi atque suis diffidentem; neque solum hostium vires, sed suorum insidias metuentem, & anticipi formidine districtum, ad omnes rumores trepidantem: neque quomodo in omni rerum discrimine honestatem retineat: sed quomodo vitam pretio redimat, turpissimè cogitantem. adde nunc, si lubet, reliquas labe, quibus aspergi & inquinari necesse est illum Principem, qui cum hominibus improbissimis coniunctissimè viuit; neque solum bonorum hominum consilia reijcit, verum etiam disciplinæ cælestis opem repudiat. Est enim plerumque sui profusus, alieni appetens, in iracundia implacabilis, in odio contumax, ferox, & infestus, imbecillis, potentibus atque superbis obnoxius, leuis, incostans, ineptus, amicorum ope destitu-

destitutus, hominibus inuisus, & scelerum con-  
 scientia frequenter exanimatus. Hic quidem  
 est status eorum Regum, qui repudiatis bonis  
 hominibus, adulatoribus aures præbent: statum  
 verò Reipub. breuiter etiam, qualis tunc esse  
 potest, inspiciamus, ut autem hic nihil aliud  
 dicam, communis omnium libertas eripitur,  
 quod quidem minimè mirandum est; fieri enim  
 nequit, ut ibi species aliqua libertatis extet,  
 ubi ne ij quidem; in quorum potestate sunt om-  
 nia, liberi sunt: nisi fortassè liberum existi-  
 matis illum, qui ad alterius arbitrium viuit;  
 qui quod sentit, loqui non audet; qui homi-  
 nis inconstantissimi nutus omnes obseruat;  
 qui ex Principis inanissima cupiditate pen-  
 det; qui ad libidinem illius vultum fingit, &  
 accommodat. Adulatores igitur liberi non  
 sunt, sed serui nequissimi. Princeps autem, qui  
 illorum operis utitur, non solum seruit dede-  
 cori, flagitio, turpitudini: sed ipsis etiã nequi-  
 tiæ ministris ita subiectus est, ut nihil facere  
 audeat, quod illis iniucundum possit accidere. Ita  
 enim se paulatim abiicit, animumque dimittit,  
 ut illis etiã, quos iacentes erexit, & in gradu,  
 quo erant indignissimi, collocavit, addictus  
 sit; multaque, ne eos offendat, seruilè in modum  
 patiat. Si igitur neque Princeps liber est, nec  
 illius domestici liberi sunt: quo tandem mo-  
 do populus, qui eorum dominatu premitur,  
 vestigium vllum libertatis in vita retine-  
 bit? An non perspicuum est, omnem illorum  
 Rempub. eò conferri, ut omnem libertatem  
 tollant? Quasi enim omnis illorum salus,  
 atque

## DE REG. INSTIT. ET

atque dignitas agatur, summa ope contendunt & enituntur; ut animos hominum frangant, & spiritus comprimant, ne quisquam audeat ad aliquod decus egregium illis inuitis aspirare. Omnibus igitur, in quorū animis est aliquid generosum & magnificum, vehementer infesti sunt, & illis pestem, si possunt, omni ratione comparant; ea etiam de causa molestissime ferunt aliquem alium abū dare pecunijs, quia verentur ne opibus elatus, aliquid sibi magnū proponat. Cū igitur Rempubl. immodicis tributis vexant, non id solū moliuntur; ut ipsi ex populi fortunis prædas agant: sed etiam ne sit quisquam, qui opulentus esse possit: tantum enim abest, ut hominum libertati prospiciant, ut ne vultum liberum aut orationem cuiusquam ferre valeant. Oppressa verò libertate; & animi magnitudo, & ingenij vis omnis extinguitur. Nec enim animus tyrannide oppressus, aliquid magnum & egregium moliri: neque ingenium assiduis plagis obtusum verum intueri potest. Restat igitur, ut omnes non solū ignavi & imbecilli sint: sed etiam amētes & stolidi. Sublata igitur virtute, ingenijque lumine propemodum extincto, quis pro patria salute decertabit? quis enim pro Republ. cuius particeps non est, & ex qua nec fructum ullum, neque laudem, nec honorem expectat, periculum adire volet? quis in tanta rerum caligine, & tam cæcis tenebris, quod sibi in vita colendum officium sit, mente & ratione perspiciet? quis in tantis nequitiae exemplis, libidinem suam cohibebit, ne cū primū poterit,



rit, indigna flagitia impurè atque tetrè suscipiat? Iam verò si in aliquo ciue fuerit aliquid roboris, id totum ad furorem & amentiam conferet, & eò conatum omnem comparabit, vt omnia iuris vincula perrumpat. Summa autem hæc est, vt in huiusmodi Regno nulla virtus emineat, & omnia vitijs impudentissimè cumulentur, nam cum omnes subditi Principum mores imitentur, tum multò facilius est scelus atque flagitium sequi, quàm virtutem atq; decus effingere. Si igitur Princeps flagitiosus extiterit, erit profectò necesse Remp. vniuersam flagitijs innumerabilibus inquinari. Quo modo autem illam etiam inopia grauissima premi, & Principum iniquitate vexari necesse sit, iam expositum est: vbi enim omnium pecuniæ ad paucos deferuntur, consequens est, vt vniuersa Respub. extrema inopia conflicteretur. Accedet deinde inuidia, odium, acerba & grauis offensio, & indignatio, & eiusmodi perturbationes, quæ Rempub. tumultuari, mutuisque cædibus efferrari compellunt. Adde nunc lubricam fidem, adde dolos, fraudes, insidias, adde furta & latrocinia, quæ egentes homines rerû suarum desperatione suscipiunt. Adde postremo, nouarum rerum cupiditatem, ciuium inter ciues hostilem dissensionem, & sceleratissimam cum hoste de patria prodenda & evertenda pactioem; & reliqua mala, quæ stulti & immoderati Principis rectionem consequuntur. Nullum enim tantum scelus atque flagitium cogitari potest, quod non multitudo sapiente rectore orbata concipiat. Cum igitur resp.

sapi-

DE REG. INSTIT. ET

sapientia patrociniis destituta, virtutis praesidio nudata, sceleratorum hominum libidini vexanda atque diripienda relinquitur: cum nullus ordo, nulla verecundia, nulla lex, nulla disciplina, cupiditatem frenet: cum virtus interclusa sit, innocentia respirare non queat, nequitia victrix exulet: cum inopes potentibus inuideant, potentes autem fortunam afflictam despiciant, & in miserorum calamitatibus insultent; & alij in alios odio acerbo & immani concitentur: qui fieri potest, ut non vniuersa Resp. vel per se seditioibus intestinis dilacerata concidat, vel hostium viribus expugnetur, omniaque tandem extrema patiatur? Quam breuissimè potui, statum illius Reip. complexus oratione sum, quæ perditorum hominum licentia, & stulti Principis immoderatione continetur: volo tamè vobis aperire, quid modò mihi in mentem venerit, quanquam me inscitiam meam fateri pudet. Quam, inquit T. inscitiam narras? Eam inquam, quæ magna ex parte continet causam euersionis omnium rerum publicarum, & quæ nos in hac disputatione multa peccare compulit. Quæ nam igitur ea est inquit. Grammaticæ, inquam, ignoratio est, ut mihi quidem videtur, malorum omnium principium. Multum, inquit ille ridens, tibi Grammatici debent, quando statuis Remp. sine illorum ope & auxilio stare non posse. necesse igitur est, ut Grammaticæ ludos ubiq; aperiri faciamus, & omnes Cyprianos & Diomedes & Laurentios, quorum memoria est propemodum extincta, ab inferis excitemus, ut Rempub. nobis

bis constituent. Rectè inquam, si illi perfectos se Grammaticos in vita præbuerunt: aliter enim non est, cur illis molesti simus, & non potius sepultos esse patiamur. Quæ nam tandem inquit T. ista est Grammaticorum facultas, qua Rempublicam fulcire possunt? Non fateris inquam, Grammaticam esse rectè loquendi rationem? qui peruersè igitur loquitur, contra Grammaticæ præscriptum facit. Rectè inquit ille, sed quid id ad Rempublicam attinet? Quia inquam, vt iam antè dixi, loquendi imperitiæ & orationis peruersitas, non mediocri malum existimandum est: magno enim malo fit, cum res turpes honestis nominibus occuluntur; accidit enim sæpenumero, vt qui se turpitudine deformauit, nominis splendore deceptus, minimè suum dedecus animaduertat, & ita in rebus turpissimis, quasi in præclaro facinore gloriatur. Quare mea quidem sententia, qui optimè Rempub. constituere velit, eam primùm legem sanciet, ne quisquam flagitio nomen laudis imponat; ne videlicet praua loquendi consuetudine flagitium ornando, flagitij impudentiam cõfirmet. Cùm enim auarus sordes suas, nomine frugalitatis exornat; prodigus autem temeritatem & immoderationem suam, nomine liberalitatis occultat; & timidus se prudentem, & acutum nominari studet; & audax fortè atq; magnanimum, & reliqui ad eundem modum, ne singula flagitia recenseam, vitia sua splendore nominum illustrant; non facile possunt eam vitiorum deformitatè, quibus inquinati sunt, animaduertere.

Quam



DE REG. INSTIT. ET

Quam quidem si acutè perspexissent, illam à se fortasse summo studio repulissent: nunc verò nominum splendor falsus & inanis eos in eà fraudem impellit, vt interdum præclare secū agi putent, cū in summa turpitudine & indignitate versentur. hoc igitur loquendi peccatum, etiam nos modo in disputando commisimus, vt splendidis nominibus res flagitiosas ornaremus. Quo tandem modo, inquit T. Primum quidem inquam, Remp. appellauimus, quæ publica certè non est: publica quidem esset, si ad populi vniuersi commoda pertineret; cū verò populi ratio non habetur, sed omnia ad vnius tantum, atque paucorum potentiam & utilitatem conferuntur, priuata potius appellanda est, quàm publica. Deinde si respub. est, vt Aristoteli placet, ordo, modus, & ratio multorum hominum urbem vniam incolentium, profectò, vbi nihil ordine, nihil modo, nil iure & ratione fit: sed omnia perturbantur atque temerè commiscentur, nulla Reipub. ratio constare vllò modo potest. Ne ciuitatem quidem nominare licet eam; quæ posita est in hominum indomita cupiditate, furentium potestate. Est enim ciuitas, liberorum hominum multitudo, æquabili iure sociata. Vbi igitur nulla libertas est, nec ius ex æquo omnibus administratur, ibi certè ciuitas non est: sed feruorum infelix multitudo paucorum libidini penitus addicta. Deinde Reipub. moderatores eos interdum appellauimus; qui nullum modum suæ cupiditati præfiniunt: tantum abest, vt modum Reipub. vniuersæ statuere valeant.

Postre-

Postremò pudet me tam sæpè fuisse nomine Regis abusū. Rex enim ille tantum nominandus est, qui Rempub. vniuersam regit: regit autem ille Rempub. qui eam ab errore in viam reuocat, & ad vitæ beatæ rationem sua virtute, atque vigilantia perducit. Ergo ille, qui quantum potest, elaborat, vt Rempub. saluam & incolumem præstet, & bonis omnibus affluentem: qui populi salutem facillè suis voluptatibus & commodis anteponeat: Qui singulari mente, ratione, consilio, in studio totius populi moderandi, atque tuendi vigilat, merito regis nomen obtinet. Qui autem iustitiã negligit, omnemque disciplinam virtutis & continentia reprobatur, & ad suam commoditatem omnia consilia reuocat, vniuersamque ciuium multitudinem, paucis hominibus nequissimis coarctatam tradit vexandam, atque diripiendam, nullo modo Rex, sed tyrannus habendus est. Hoc enim discrimen ponunt viri doctissimi, inter Regem & tyrannum, Quod Rex præcipue in populi salutem respicit: secundò verò loco, suam ipsius salutem & utilitatem curat: neque enim plerumque potest rempublicam tueri, nisi saluti suæ prospiciat. Tyrannus verò omnia consilia ad suam utilitatem atque libidinem dirigit: deinde verò, quia non potest ille bonis omnibus abundare, nisi in populo non omninò perdito dominetur: secundo loco populi totius incolumitati interdum prospicit. Si igitur princeps ille, qui nõ præcipue in felicem Reipub. statum modis omnibus inuenietur, tyrannus habendus est, quamuis sæpe-

## DE REG. INSTIT. ET

número populum acri animo tueatur: quo nomine illum appellabimus, qui salutem Reip. præ sua libidine contēnit, illique amentia & temeritate sua interitum afferre nititur? Sed consuetudine victi nominibus abuti compellimur: quod etiam faciendum necessario nobis est, ne sine fructu in potentium offensionem incidamus. Longius fortasse, quàm instituta ratio postulabat, elatus sum in disciplina, qua Regum filij instrui plerumque solent, describenda: sed partim odiū, quo sum in hoc hominum genus incensus, qui principes omni scelere contaminant, partim benignitas vestra prouexit orationem meam. Ut igitur iam id, quorum gratia hæc à nobis allata sunt, ratione concludamus, reuocate in memoriam ea, quæ à nobis in principio dicta sunt, demonstrauimus enim nullum munus egregiū sine egregia disciplina administrari posse: nullūq; munus aut maius & ampli<sup>9</sup>, aut grauius & difficilius, munere regis esse; neq; in quo maiore cū periculo, rerumque omniū pernicie & interitu peccari soleat. Vnde sequitur ad Regis officium summā sapientiam atq; summā virtutem requiri. Quā difficile autē sapientiæ atque virtutis studiū sit, in mollissimo vitæ cultu, in summis opibus atq; delitijs, in multis naturæ lenocinijs atque blandimentis, etiam quantum fuit necesse docuimus. Illud etiā, quod nostra oratione non indigebat, ostendimus, nullas opes, nullas facultates, nullas delicias esse cum ijs vlla ex parte conferendas, in quibus regum filij plerumque nutriūtur. Vnde sequitur, cum

omnia



omnibus sapientia necessaria sit, tum vel maxime ijs, qui Reges futuri sunt; alijs namque, ut se regant atque moderentur: Regi ut non se tantum, sed infinitam hominum multitudinem optima atque singulari ratione gubernet, sapientia paranda est; & alij quidem homines non ita multis difficultatibus impediti sunt, quo minus sese ad studium sapientie applicent: at Regibus omnes insidiae comparantur, neque solum in vitis cupiditatibus; sed hominum sermonibus impurissimis a studio virtutis, atque verissimae dignitatis abducuntur. Et alij quidem si sese multis erratis irretierint, sibi atque paucis nocebunt, & etiam iudiciorum severitate cohiberi, & ad officium reuocari possunt: at Regum flagitia interitum Reip. moliuntur, & sanari nullo iudiciorum metu possunt, legibus enim soluti sunt. Quod igitur opus illorum maius est, quod difficilius ad studium virtutis applicantur, quod illis insidiae capitaliores intenduntur, quod grauius ruinae periculum ex eorum peccatis, communibus rebus imminet: eo maioribus opibus fulciendi, & stabiliendi sunt, firmioribusque praesidijs muniendi, ne concidant, & cum dira calamitate Reipub. totius intereant: quod si non solum disciplina omni caruerint: sed etiam in perditorum hominum potestate relictis, atque illorum sermonibus ad omnem rationem turpitudinis inflammatis fuerint: videte quorsum illorum furor & amentia tandem euasura sit. Ad haec autem mala omnia praecauenda, Rex qui tanti nominis dignitatem tueri atque sustineri cupit, ingenium

DE REG. INSTIT. ET

habeat opus est, natura sagax, & acutum, maximarum artium studio & disciplina limatū, vsu & exercitatione perpolitum, & animo maximo sit: vt recta & vera clarè cernere, insidias in ficta specie sedulitatis & officij latentes inspicere, & quid saluti Reipub. conuenire perspexerit, fortiter administrare queat. Ad veraque autem rationem, hoc est, tam ad ingenij cultum; quàm ad animi magnitudinem, mirū est, quantam vim habeant artium maximarum studia: non solum enim ingenium acuunt, & aciem mentis illustrant, sed etiam animos alacres & confidentes efficiunt; nec enim hæc studia homines desides & otiosos reddunt, vt quidam satis imperitè suspicantur; sed acres & vigilantes, & studio verissimæ laudis atque dignitatis incensos. Sed fallit homines imperitos primū quidem hominum quorundam stupor & ignauia, qui se ad studium philosophiæ conulerunt, quorum tam tardum & hebes ingenium est, & tam abiectus atque demissus animus: vt ne studijs quidem vllis ad res gerendas excitari, & studio laudis incendi possint; præclara autem studia, non omnibus ornamento esse possunt: sed ijs tantū, qui præclaro ingenio & egregia virtutis indole præditi sunt. Vt enim preciosæ vestes gemmis & auro fulgentes, & excellenti opere perfecta monilia, cum ad cultum virginis alicuius pulcherrimè conferuntur, eam luculenter exornant; cum verò ad ornatum mulieris deformis accommodantur, nullo modo deformitatem illius occultant, sed multò insigniorem reddunt.

dunt: ita præclaræ disciplinæ clarum ingenium excolunt, & animum magnum virtutum omnium opibus & ornamentis afficiunt: at cum ad mentis impuræ & animi pravi atque pusillicultum & ornatum transferuntur, non ornant quidem animum: sed in sitam illius prauitatem atque deformitatem clarius ostendunt. Deinde illud errorem multis obijcit, quod disciplinarum genera minimè distinguunt, & quod vnius est proprium, alijs accommodant: ut fuerit igitur aliquod genus disciplinæ, quod extorqueret sensus, & stupiditatem in animis efficeret, quod vitium à multis Stoicorum sectæ tribuitur; id tamen non in alias conuenit. Libenter igitur in sententiam nostri M. discedo. Nec enim eam sapientiam probo, quæ omnes animi affectiones vtiliter à natura datas, euellendas esse decernit: sed quæ illis uti docet, & in quem finem insitæ nobis sunt, singulari ratione præscribit, qualis est Academicorum veterum, atque Peripateticorum disciplina: nihil est enim nobis ingeneratum, quod non magnam vtilitatem afferre possit, modo sapienter intelligamus, qua ratione cupiditates omnes continendæ atque moderandæ, & in quem finem conferendæ sint. Hoc enim est inter sapientes & insipientes discrimen: insipientes enim neque modum seruant vllum, neque, quid in vita sequendum sit, ratione percipiunt; & ita fit, ut rebus ad salutem datis ad perniciem abutantur; sapientes verò animis modum adhibent, & cupiditatem ratione temperant: & ad quem finem omnia di-



## DE REG. INSTIT. ET

rigenda sint, intelligunt; & ita fit, vt omnia illorum studia ad salutem & dignitatem referantur. Vtrique tamen vt sibi parent, quod optimum esse iudicant, excitari atque non mediocri studio commoueri solent: in quo quidem sapientes eò vehementius sæpenumerò commouètur, quò iudicium eorù est firmitus, & constantius, & ab omni erroris suspitione securius. Præter ea in sapientis animo, & summa vis amoris, & odij non mediocris offensio viget. Si enim pulchritudo corporis excitat amorè, & deformitas animos ab amore auertit: multò certè magis pulchritudo dignitatis & honestatis à sapientibus animaduersa cõciliabit amorè, & flagitij dedecus & turpitude multò acerbius odiù animis, qui illam intuentur, inuret. Cùm autè sapientis sit, decus & honestatem contemplari, & quantũ sit flagitij dedecus acutè perspicere: necessariò sequitur, vt amorì dignitatis eximio capiatur, & flagitij graui offensione cõcitetur. Vbi verò magna vis amoris, aut odij grauis offensio viget, ibi neq; somnus, neq; lentitudo, nec inertia locum habere potest. Amor em̄ animũ excitat, & stimulat, & cupiditate ipsius pulchritudinis, quam admiramur, inflammat: odium verò incendit, & armat eundem animum ad turpitudinem, quam detestatur, acerrimè repellendã. Qui igitur sapiens fuerit, non mollis & languidus, & enervatus, aut stupore oppressus erit: sed acer, & vehementis, & impiger, & acutus, & ad omnia pericula dignitatis gratia subeunda paratus. Erit deinde animo forti & cõstante præditus: nihil

enim

enim tam dirum, & calamitosum interuenire potest, quàm turpitude. pro dignitatis igitur studio fortissimè dimicabit, & libentissimè quoduis periculum adibit potius, quàm honestatem suã aliqua labe maculari sustineat. Deinde cum sapienter intelligat, omnem dignitatis elegantiam animorum moderatione contineri, erit etiam in omni ratione moderatus, & vita & moribus egregiè constitutus. Præterea cum nihil sit iustitia clarius, & elegantius, nihil pulchrius & amabilius, nihil deniq; quod magis omnibus laudibus honestatis excellat, & omne sapientis officium ad honestatè referatur: fieri certè non potest, ut qui sapiens est, aliquam iniuriam faciat alicui, aut quatum in illo fuerit, ab alio fieri patiatur. sapienter enim intelligit nullum dolorem & cruciatum esse vlla ex parte, cum iniuriæ & iniquitatis flagitio, & turpitudine comparandum: vitam igitur amittet, & dolori intolerabili cruciabitur potius, quàm fraudem vllam in vita suscipiat. Necessè igitur est, ut qui verè sapientiam colit, omnibus virtutibus egregiè cultus & ornatus sit: ne illud quidem prætermittendum est, nihil esse in vita boni, si sapientiæ moderatiónem remoueris: nec enim genus, neque vires, neque pulchritudo, nec opes, nec imperium, nec aliquid aliud ex his, quæ vulgò bona eximia numerantur, salutem afferre possunt eis, qui illis temerè & insipienter vtuntur: imò ut multis antè disse-ruimus, quò maiores opes sunt, eò status illius, qui summis opibus abundat, calamitosior atque funestior est. Multò namque furentius

DE REG. INSTIT. ET

insolescet: multoque maiore leuitate iactabitur, multoque minus cōsideratè in pestem ruet. Ut igitur in fabulis Polyphemus oculis orbatus, quò robustior & immanior, & violentior erat; eò cùm se sine vllò iudicio concitabat, sapius ad rupes allisus, sapius in loca præcipitia delatus concidebat, grauioresque plagas accipiebat, quàm accepisset, si imbecillior fuisset: ita qui magnas opes habent, si sapientia vacui sunt, quò magis opibus & imperio florent, eò sese furentius incitant, & grauioribus ruinis opprimuntur. Vnde colligitur, vt sæpè iam dictum est, in regibus, nempè quorum maxima potestas est, & summum imperium, summam sapientiam iure atque meritò flagitari; aliter enim & ipsi erunt omnium hominum miserimi, & Respub. illorum temeritati permissa foedè peribit. Hæc cùm ita sint, quis eorum amentiam ferre poterit, qui non modò nullam operam in eo ponendam existimant, vt Rex sapiens euadat: sed contra omnia faciunt, quibus is furiosior, & insolentior in dies sit, omnemque Rempub. & stultitia sua, & eorum, cū quibus viuit, improbitate peruertat? Hoc igitur sanè constat, non mediocri sapientia opus esse, ad regium munus feliciter obeundum; quomodo autem sapientiã parari ab illo facile possit, qui est nimis molliter educatus, & scurrarum comitatu impurissimo circumseptus, & adulatorum assentationibus atque lænocinijs in pestiferam fraudem impulsus, non video. itaque cùm alia multa præsidia, tum maximarum artium studia, ad parãdam sapientiam &

statum



statum illius fulciendum maximo quidem opere requirebam. Vos si meam sententiam non probatis, aliam disciplinam videte. hanc enim, quae pessimis moribus recepta est, & inueterauit, e qua tanquam e fonte mortiferis venenis infecto, omnia mala multis in locis ad Reipublicam perniciem profluunt, acri animo repellendam censeo, ne Principis nostri prestantem naturam, & excellens ingenium dedecore & probro contaminet. Recte, inquit Portugalensis, censes, sed priusquam de Regia disciplina diligentius inquiramus, abs te libenter audierim, num liberam Reipublicam regno praeferebam existimes. multa enim a multis in contrarias partes afferuntur: quamuis autem semper in ea opinione fuerim, ut nullum Reipublicae statum Regio praeferebam existimarem. Cum tamen ea, quae dicis, attendo, & flagitia, in quae principes ex ista praua institutione delabuntur, mente considero, rectissime cum illis actum esse puto, qui in libera ciuitate nati sunt; nam primum nimia Principis vnius potentia, est communi libertati contraria: vbi autem libertas minimè viget, ibi duae virtutes, ut tu paulò antè dicebas, vix locum habere possunt, nempe ingenij acumen, & animi magnitudo. Ingenium enim sub vnius dominatione positum, molestissimis curis hebescit, & animus seruitutis oneribus oppressus, excelsa contueri non potest: in mentis igitur angustae tenebris, & pusillanimitate demissione nullum studium honoris & dignitatis extare poterit; cum verò omnes virtutes, studio honoris excitentur, consequens

## DE REG. INSTIT. ET

est, ut spe magni honoris incisa, studium virtutis & honestatis extinguatur. at in regno nemo facile ad honores summos euehitur. Deinde omnes libenter pro ea Rep. cuius sunt aliqua ratione participes, omnem laborē perferunt, & pericula infinita subeunt; at in regno, cum pauci admodum in illius gubernandi societatem vocentur, & reliqui omnes non solum ab illius procuratione, sed etiam fructu excludantur: reliquum est, ut pauci etiam, pro illius conseruatione pugnare velint. Nemo enim pro alienis opibus, capitis certamen sibi ineundum putat. Præterea in Repub. libera omnibus æquo, qui fortes & splendidi, & in aliquo genere virtutis excellentes extiterint, sunt amplissima dignitatis præmia constituta; in regno autem quo minus sibi homines animo magno præditi, magna sibi præmia polliceri queant, est impedimento primum quidem summa Regis ipsius amplitudo, quæ non facile patitur quemuis alium præstantia dignitatis excellere: deinde nobilitatis insolentia: deinde adulatorū impudentia, & reliquæ eiusmodi labe, quæ sunt veræ virtuti contrariæ & inimicæ. sic autem fit, ut spe magnæ dignitatis abiecta, debilitetur virtus, atque languescat industria. Accedit etiã illud, quod rex si ignauus est, totam Remp. exemplo inertia corrumpit, hominumq; mores effoeminat. si fortis, & gloriæ cupidus, inuidet ijs, qui virtute præcellunt: & ita fit, ut subditorū animi vel torpescant: ignauia, vel opprimantur inuidia, vsq; adeo, ut nemo possit ad summū gradū laudis eniti. præ-

terea

terea illa præmia, quæ in libera Repub. homi-  
 nes fortes & industrij consequuntur, sunt di-  
 gnitatis plenissima: nemo enim in illa suspi-  
 cari potest, eum, qui aliquem gradum honoris  
 adipiscitur, esse aut scurram, aut adulatorem,  
 aut alicui vitio affinem eorum, propter quæ  
 multi cū regibus in gratia sunt. at cū ij, qui  
 magnum locum apud Reges habent, sæpenu-  
 merò malis artibus eum locum adipiscantur:  
 euenit, vt ij etiam, qui merito à regib. donis &  
 muneribus afficiuntur, in similis flagitij suspi-  
 cionem veniant: ita vt vix vlla magna poten-  
 tia reperiatur in regno, quæ non sit aliqua de-  
 decoris labe cõtaminata. Illud etiã quantum  
 est: in Rep. enim cū sit omnibus hominibus  
 ex æquo aditus apertus ad summam dignitatẽ,  
 omnes inter se de dignitate contendunt, ho-  
 nestissimumque virtutis certamen ineunt: ita  
 verò fit, vt inueniantur multi consilio pruden-  
 tes, & auctoritate graues, & moribus ornatì,  
 & in rebus gerendis industrij, & robore virtu-  
 tis inuicti. At in regno cū nobilitas ea digni-  
 tate, in qua versatur, contenta sit, & splendore  
 generis insolescat, non sanè magnum studium  
 in comparanda virtute sibi ponendum existi-  
 mat. Homines autem ignobiles, cū animad-  
 uertunt esse sibi aditum ad nobilitatis hono-  
 rem interclusum, studium virtutis atq; digni-  
 tatis omittunt: sic autem fit, vt cū nobiles ar-  
 rogantia, & insolentia virtutẽ despiciãt, igno-  
 biles desperatione fracti virtutis studia depo-  
 nãt: nullũq; inter homines virtutis certamen  
 excitetur, honestatis lumen intereat, & sordes  
 atque



## DE REG. INSTIT. ET

atque flagitia dominantur. Præterea cum nemo rectè possit alijs imperare, qui nõ aliquando paruerit: nec enim modũ alijs statuere potest, cui nunquam fuit vllus modus adhibitus, quæ ratione fieri potest, vt is rectè gubernet, qui nunquam obedire didicit: at Rex ita plerumq; institutus est, vt nemini pareat vnquam, & omnis ab ipsis incunabulis imperio coercere meditetur. Præterea in Repub. cum summa potestas sit penes leges, quæ neque gratia cuiusquam, neq; muneribus inflectuntur, nec ira, aut inuidia, aut odio perturbantur, aut misericordia commouentur, plerumque euenit, vt rectè ius administretur, & rei cuique dignitas sua tribuatur: at in regno cum leges etiam sint in vnus hominis libidine positæ, multa contra iuris æquitatem fiant opus est, neque quid fas & ratio postulet: sed quid Regi gratũ atque iucundum sit, ab ijs, qui ius dicunt, pessima ratione ponderetur. Postremò cum in libera ciuitate leges maximo studio conseruentur, legum autè munus sit, ius omnibus æquabile constituere: non facile potest esse tanta ciuis vnus potentia, vt legum sanctiones contemnat, & iuris vincula, quibus omnes astricti sunt, perrumpere conetur. at in regno cum nõ solum Rex, sed multo etiam magis omnes Regis familiares atque domestici legibus soluti videantur, nihil est interdum, quod potentia eorum, & indomitam cupiditatem constringat. Si igitur in libera ciuitate publica libertas integrior est, & ingenij cultus illustrior, & studium virtutis acrius, & spes honoris & dignitatis

nitatis amplior, & caritas patriæ vehementior, & auctoritas legum sanctior, maioraque in illa præsidia contra tyrannidem constituta sunt: nihil certè magis optandum videtur homini, qui dignitati studet, & bene beateque viuendi cupiditate flagrat, quàm in libera Rep. ætatem degere. Hæc quidem quæ in medium attuli, me interdum dubitare de hac quæstione cogunt: rem igitur mihi gratam, & vt credo, Tauoræ atque Menesio feceris, si nobis sententiam tuam explicueris; quanquam enim in libris, quos de nobilitate adolescens edidisti, Regnum omnibus Rebus pub. antetuleris, fieri poterit, vt sententiam ista ætate rebus diligentius exploratis, fortasse mutaueris. In longum (inquam) sermonem me vocas, non tamè ab ea materia, quam in manibus habemus, alienum, sed mihi ad alia properanti contrariū. sed geram tibi morem, & quàm breuissimè fieri poterit, ea, quæ requiris, expediam. Atque primùm quidem hoc statuendum est, cum omnia genera rerump. quàmuis labi atque rueri videantur, sapientia tamen, atque virtute adhibita, facillè emendari possint, & ad rectissimam in eo genere moderationem reuocari: nullo modo optandum esse homini probo vllam Reipub. præsentis immutationem, nempe quæ nunquam sine maxima morum pernicie, hominūque strage fieri possit, sed in eo summo studio laborandum est, vt idem status, in quo versamur, omni vitio careat, firmissimoque præsidio muniatur. Vt igitur officium eorum, qui in libera ciuitate nati sunt, est pro statu il-

## DE REG. INSTIT. ET

lo Reip. quoduis capitis discrimen adire: ita & nobis, qui regib<sup>9</sup> parere assueti sumus, hoc officium impositum est, ut non modò pro Repu. sed pro Regis ipsius salute atq; dignitate vitam ponamus. In idem namque scelus incurrit, & qui in libera ciuitate omnem potestatem ad vnum ciuem deferre conatur: & qui in regno maiestatem regis oppugnat, ipsumque regem de statu deiicere contendit. vterq; enim concordiam dissoluit, & interitum patriæ machinatur. Deinde multo difficilius est, quam homines suspicantur, illam Reip. rationem institui, in qua sit ita exæquata libertas, ut nullus possit libertati communi multis modis officere: nisi enim fuerint omnes, qui in eadem ciuitate viuunt, egregie moderati; diuturnaq; disciplina ad legum custodiam admodum diligenter instituti, & à primis annis in ciuilib<sup>9</sup> institutis enutriti, neq; libertas, neq; salus, nec vlla denique Reip. ratio conseruari poterit. Quod quidem Rerump. intestinae seditiones, & exitus calamitosi certè declarant: omnes enim tandem tyrannorum immani dominatu, miserabiliter opprimuntur. Quod si concordia Remp. maxime tuetur, nihil certè vtilius esse poterit, quam omnem Reip. potestatem vni homini excellenti virtute prædito permitti: nihil enim poterit cogitari aptius, & cõuenientius ad conglutinandam concordiam. Ut enim dum multi de principatu cõtendunt, & quilibet omnem reip. potestatem ad se transferre conatur, tumultus oriuntur, & seditiones concitantur, & Respu. miserandum in modum laceratur: ita dum om-



Res vnus auctoritate & imperio continentur,  
 multò facilius vniuersi, vno vinculo foederis  
 astringuntur. Quod si, vt Socrati placet, id spe-  
 ctare debent omnes, qui Remp. modo & ratio-  
 ne temperant, vt eam, quàm maximè fieri pos-  
 sit, vnâ efficiant, hoc est, vna consensionis ra-  
 tione atque nexu arctissimè colligatâ: quid v-  
 tilius fingi potest, ad animos omniû ciuiû mu-  
 tui amoris vinculo copulandos, quàm vnus  
 tantum summi principis potestas atq; moderâ-  
 tio? Nec enim illû inuidia oppugnat, qui mul-  
 tum inter omnes excellit: nec illi, qui sub Re-  
 ge viuunt, bellû intestinû facile mouere pos-  
 sunt, cum Regis ipsius, quem ex æquo verentur  
 imperio atque potestate, ab instituto facino-  
 re prohiberi queant. Quantum autem valeat  
 ad ciuitatis concordiam firmè constituendam  
 regis imperiû, in hoc maximè cernitur; quod  
 omnes imperiosè reip. hoc firmissimû concor-  
 diæ vinculû retinuerunt, quod in auctoritate re-  
 gia consistebat. Sic Athenis princeps ille, à quo  
 annus nomen accipiebat, cum reliquis princi-  
 pibus, qui singulis annis creabantur, regiâ  
 quodammodo dignitatē obtinebat, è quibus  
 vnus Rex appellabatur. Bæotarchæ verò The-  
 bis singulis annis: Lacedæmone item perpetui  
 Reges id similiter efficiebant, vt subditos au-  
 thoritate summa continerent, & vno & æqua-  
 bili iure deuincirent: ne multorum Principû  
 intestina contentione distracti atque dissipati  
 corruerent. Quid Carthaginenses? nunquid  
 non duo singulis annis Sophetes (sic enim ver-  
 bo à Phænicia & Hebræa lingua deducto  
 sum-

DE REG. INSTIT. ET

summum ciuitatis imperium nominabant) regiam dignitatem facile sustinebant? Quid Romani? num obscurum est, consules ius planè regium obtinuisse? Et ne singulas Respub. quæ imperio floruerunt, oratione persequamur, hoc satis constat, nullam fuisse, in qua non vnus, aut pauci, ita magnitudine dignitatis excellerent; vt non multum à Regum amplitudine atque maiestate distarent. Illas autè, quæ Regia auctoritate caruerunt, ad opes summas peruenire minimè potuisse, sed intra breuissimum tempus intestina seditione conuulsas, cum magna ciuium strage concidisse. Reputate cum animis vestris, quot Respub. in Italia, postquam Romanum imperium fuit ab influente barbaria conculcatum, institutæ sint, & quàm pauca statum suum tueri potuerint; & quam aliam causam certiorè assignare possumus, quàm pestiferas ciuium dissensiones, quas excitari necesse est, vbi nemo sic inter omnes excellit, vt omnes sine vlla recusatione imperium & auctoritatem illius sequantur? Quare nunquam satis laudare possum Venetorum ciuitatem, vnam omnium prudentissimam, quæ cum alia multa ad imperium propagandum, & conseruandum admodum sapienter excogitauit: tum nihil eo consilio sapientius, quo sibi vnum summum Principem præpositum esse voluit, ob virtutem ad altissimum illum gradum dignitatis euectum, quem omnes intuerentur, & cuius auctoritate deuincti, facilius commune publici foederis ius, & ciuilem societatem conseruarent. Is igitur cum non

Regis

Regis nomen, sed auctoritatem Regis obtineat, auctoritate illa summa, quam habet, iniuriam comprimit, & ambitionem refrenat, & senatum concordia stabili atque firma conglutinat, & ita populum vniuersum facillimè æquabili iure constringit. Vnde concluditur nihil esse ad Rempub. diutissimè conseruadam vtilius legitimo vnius imperio atque potestate. Nam neque quidquam est, ad stabilimentum Reipub. concordia salutaris, neq; quidquam ad concordiam firmè constituendam aptius reperiri potest vnius principis excellentis auctoritate & iurisdictione. In quo verò dicis vnius imperium esse communi libertati cōtrarium, tyranni scelus benignitati regis attribuis. Cum enim tyranni proprium sit, non sua virtute, sed suorum imbecillitate statum suum stabilire (intelligit enim superbiam, & immanitatem cunctis mortalibus, maximè autem illis, qui horum scelerum iniurias quotidie patiuntur, esse vehementer inuisam) & idèd cum amari non possit, & timeri velit, & omnes, quibus terrori esse cupit, vt fieri necesse est, noctes atque dies extimescat: consequens est, vt eorum opes, quantum possit, extenuet, & animos eorum impotenti dominatu premat, ne se quisquam erigat & aliquam lucem libertatis, ex diuturna caligine seruitutis, aliquando respiciat. Regis autem officium non est, libertatem eripere: sed pro suorum libertate tuenda atque conseruanda vigilare, & laborare, & cum opus fuerit, vitæ etiam discrimen adire. Nō vi & iniuria citium opes imminue-



DE REG. INSTIT. ET

re: sed arcere vim, & profligare iniuriam, & ciuium opes iuris æquitate defendere, atq; potestremò nō inuidere ingenijs, aut animos frangere: sed fauere ingenijs, & propositis præmijs ciuium animos ad studium virtutis atque dignitatis extollere. Qua enim alia ratione Rēpub. florentem reddet, statumq; suum firmo præsidio conseruabit? cū enim officium Regis in eo positum sit, vt Remp. opibus locupletet, præsijs firmet, moribus ornet, dignitate illustret, atq; , vt vno verbo dicam, beatam efficiat: quod sine ciuium libertate, & animorum magnitudine fieri nullo modo potest; quis nō videt omnem Regis curam & studiū in publica libertate tuenda consumi? aliter erit nomine Regis indignissimus. Sed dicis neminē libeter arma sumere illius Reip. causa, cuius particeps non est. Verum id quidem est, sed regis opes non illius proprię, sed Reip. totius existimandę sunt; omnes enim, qui regis imperio cōtinentur, in illius patrocínio latent, in illius præsidio acquiescūt, illius virtute muniuntur, iniuriā à se & dedecus, & ignomiā illius æquitate propulsant, & bona etiā reip. pars illius beneficentia sustentatur. Cū igitur arma sumunt, sanè prudēter intelligunt, se non pro alienis, sed pro suis opibus dimicare; illius em̄ opes existimandę sunt, ad cuius salutem & conseruationem singulari quodā studio conferuntur. Vnde colligitur nihil esse magis Reip. proprium, quàm optimi regis opulentia. Præmia verò, quę dicis: nō alibi profectò neq; maiora, neq; ampliora, quàm vbi Rex hoc nomine dignus

gnus omnia lege moderatur, proposita sunt omnibus, qui se excellentius in virtutis studio gerere studēt. Nec enim boni principis est honores, munera, congiaria, & præmia deniq; omnia viris fortibus & sapientib<sup>9</sup> debita, siue ad rei familiaris augmentum, siue ad dignitatis amplificationem pertineant, ad homines ignavos & scurras & adultores sine vlla ratione transferre. Quod si aliquis tam sine mente est, ut ornet flagitia; & augeat opibus temeritatē & insaniam; virtutem verò & gravitatem negligat atque despiciat, eū certè regem appellare fas nō est: sed hominē amentē & furiosum, omnia Reip. præsidia intemperantia sua dissipantē. Nos verò, hic non de temeritate & insania: sed regis moderatione & sapientia disputamus. Id ita non fieri semper dicis, sed plerūque longè secus, quàm oportebat. Quid ad rē? Id enim demonstramus, quod fieri in regno potest, & debet, & aliquando etiam fit. Quod si in regno malè constituto, regias opes dissipari, & hominibus indignissimis cōdonari videmus: intelligamus in Repub. malè constituta non fieri minora flagitia, imò plerunque graviora, in qua videlicet est verecundia minor, & licentia maior, & quilibet facilius, quantum audet, tantum potest; & ita multò plures sæpenumero sunt, qui opes publicas domum auertant, & Reip. vectigalibus tanquam proprijs ad obsequium impuræ libidinis abutantur; & tanquā aliena, aliorum nequitia & improbitate consumi, & exhauriri patiantur. Iniqua autem cōtentio est, cū bene moratam Remp. cum fla-

## DE REG. INSTIT. ET

gitioso Regno comparandam existimas; nam  
 qualecunque illud genus Reipub. sit, si fuerit  
 legibus fundatum, & moribus rectè constitu-  
 tū, vincit & superat dignitate, omnia summa  
 imperia, quæ non fuerint rectis institutis, &  
 legibus, & virtutum maximarum præsidio sta-  
 bilita. Regnum verò in perditorum hominum  
 potestate positum, & libidine vnius Principis  
 furenter administratum, nõ Regnum, sed exe-  
 cranda tyrannis est. In regno enim nec adula-  
 tione, neque scurrili dicacitate, neque turpi-  
 tudine & flagitio, neque fraude & mendacio  
 opes & diuitiæ comparantur: sed omnia emo-  
 lumenta & commoda, omniaque dignitatis  
 ornamenta & honoris insignia, ad homines pru-  
 dentes, & fortes, & omnium virtutum opibus  
 excultos, recto iudicio deferuntur. Rex enim  
 id summa cura & studio suscipit, vt merita v-  
 niuscuiusque ponderet, & pro dignitate vir-  
 tutem remuneret. Homines igitur partim a-  
 more, quo Regem amplectuntur (mirum est  
 enim quanta nominis regij caritas insit in il-  
 lis, qui sub regia potestate sunt) partim spe do-  
 norum & munerum, quæ omnibus, qui egre-  
 giam operam Reipub. nauant, à Rege propo-  
 nuntur, sese intrepidè in summum vitæ discrimen  
 iniiciunt; nec vlllo periculo impediuntur,  
 quò minus pulchrum aliquod facinus obeant,  
 & dignitatis gratia labores immensos excipi-  
 ant. Dicis prætereà regem ignauum Rempub.  
 exemplo nequitie corrumpere, fortem & stre-  
 nuum fortibus hominibus inuidere. Si id ita  
 euenerit, aliquid boni ex alterutra parte pro-  
 ueniet;



ueniet; nam neque Princeps ignauus hominibus fortibus inuidebit: neque fortis Rempub. corrumpi sinet. Prætereà ignauix nomen minimè in Regem conuenit: si enim desidiosus & ignauus fuerit, minimè Rex appelladus est: sed eorum, qui negligètia & somno illius abutuntur, vile mancipium. si verò fortem & vigilantem se præbuerit, homines fortes & singulari industria præditos amabit, multisque honoribus & præmijs afficiet. Nihil est enim, quod magis coniungat amore animos, quàm virtutis similitudo. Nec enim inuidia virtutis comes est, sed totius honestatis inimica. Sic igitur velis, qui omnia tenet, ignauus, vel fortis est: si fuerit ignauus, Rex minimè nominandus erit; si fortis, erit profectò ab omni inuidiæ suspicione prorsus alienus; maximè verò, cum tanta sit illius amplitudo, vt nemine eorum, qui sub imperio illius sunt, inuidere possit. Rex enim suorum animos regit, & virtutes excitat, & officiorum magister est, & totius honestatis architectus, omnium virtutes, & actiones, & præclara studia ad Reipub. salutem confert; ita vt omnia aliorum facta atque præclara facinora, ad gloriam illius maxima ex parte referantur. Vt igitur imperator militum suorum virtuti non inuidet, imò in illorum decore gloriatur: ita Rex quauis sub se optimos imperatores habeat, & præstantibus in Reipubl. gubernanda viris utatur, nulla tamen inuidia commoueri potest; cum iure possit omnes eorum laudes, ad suam gloriam reuocare. Nā sepe numero oēs ciuium

## DE REG. INSTIT. ET

virtutes ex virtute illius oriuntur & rectissimus virtutis usus, & ad Reip. salutem utilissimus, illius sapienti moderatione continetur. Nec enim is est, qui virtutes oppugnet: sed qui eas excitet, animisq; stimulos frequenter admoueat, quò sint alacriores ad communis salutis custodiã. Nec ingenijs officit, imò ea præmijs excusat, & otio constituto liberaiora facit, ad omnia, quæ in obscuritate naturæ latet, acutè peruestiganda. Minimè igitur verum est, sub regibus duas maximas virtutes tolli, nempe cultum ingenij, & animi excellentis altitudinem: imò sub bono rege, cum maxima laude florebunt, atq; sine vlllo Reip. periculo, ad excellentè gradum honoris aspirabunt. In Rep. enim libera ij, qui excellenti ingenio, & maximo animo sunt; cum res illis ex animi sententia procedunt, & ampla dignitate cumulatur, Tyrannidem sæpè affectant, & Rempub. euertunt: at in regno ita viget studiũ virtutis, vt nõ facillè immoderatiõe peruertatur, & à bonis principijs excitata, in perniciẽ patriæ totius erumpat. Regiæ namq; potestatis atq; dignitatis amplitudo, temeritatẽ facillè coercet, animiq; magnitudinẽ ita temperat, vt eam in fraudem impelli minimè patiatur. Neque tibi assentior in eo, quod ais, præmia, quæ donantur à regibus, non habere dignitatem. Quid em̄ poterit esse ad honestatẽ præclarior, quàm à sapiente Principe, qui nunq̄ flagitiosam voluptatem virtuti prætulit, munerib<sup>9</sup> atq; donis augeri; donum enim illud virtutis testimonium continet, non labis vllius indicium. In quo verò dicis, nõ est

se in

se in regno aditum omnibus apertum ad eximiam dignitatem; pergistu de temeritate & amentia stulti Principis, non de regis optimi atq; sapientis moderatione differere. si enim rex verè hoc nomen vsurpauerit, non ignauia nobilitatem, nō opes per iniuriam partas, non vllam deniq; falsi speciem virtutis opibus anteponet: sed omnes, in quibuscunq; virtutis lumen eluxerit, quocunq; hominum genere illi procreati sint, muneribus amplissimis honestabit. Sic autem existet illa præclara contentio, quam dicebas, quæ omnes imperiosas resp. ex paruis magnas effecit. Nobilitas enim, ne dignitatem maiorum virtute partā amittat, aut ne à nouis hominibus superetur, enixè cōtendet; contra autem, homines ignobiles, vt è tenebris emergāt, & virtute sua splendorem nobilitatis obscurent, omni ratione pugnabunt. Rex autem quasi quidam ludorum præfectus æquissimus, de viribus & artificio, non de genere aut diuitijs iudicabit, & præmia pro virtutis ratione distribuet; sic autem eueniet, vt contemnatur ignauia, coerceatur insolentia, odio flagret iniuria, nullus honor habeatur auaritiæ, & extinctis flagitijs, virtutes omnes efflorescant. Ais tamen neminē posse alijs imperare, qui non ante paruerit. Rectissimè dictum puto: in quo verò Regem nunquam parere didicisse ostendis, meo quidem iudicio falleris. Primùm enim si bene institutus est, astringitur parentum disciplina; deinde magistri sapientis eruditione; deinde bonorum hominum monitis & consilijs, tum etiam pu-



DE REG. INSTIT. ET

dore & verecundia coercetur, tum etiam cupiditate laudis incenditur: non vni igitur tantum rectori, sed multis obtemperat: seruit enim pietati, seruit modestiæ, seruit pudori, seruit honestati, priusquam ad imperium administrandum se conferat. Ne legibus quidem se solum existimabit: imò multò arctioribus legum vinculis, quam ceteros se alligatum reputabit: ut non solum ipse suas cupiditates teneat: sed ut exemplo suo facilius suos in omni officio continet. Hoc enim etiam non mediocre discrimen est, inter Regem atque Tyrannum, quòd Rex legibus se deinctum esse profitetur: Tyrannus verò in interitu legum omnem dignitatem suam collocandam existimat: infinitum enim imperium concupiscit, quod leges minimè patiuntur. Regis verò imperium legitimum est, neque iura villo modo transgreditur, sed lege atque ratione definitur. In legitimo autem imperio, non regnat improbitas, non violentia, non libidinis impotentia, non iracundiæ furor, non præceps ambitio: sed leges, & mores, & egregiæ disciplinæ, quibus Reipub. salus & dignitas continetur. Ut autem veniat Respub. in potestatem vnius Principis intemperantis & perditæ, potest illo defuncto (ut fit) per alium Principem iustum atque beneficum recreari. At Respub. quæ multorum potentia continetur, vbi publici mores ad perniciem labuntur & ruunt, nullo modo sustinere potest, quin præceps in exitium feratur. Sed dices fortasse fieri non posse, ut vnus homo tantum ingenio & industria valeat, ut omnia solus nego-

tia &

tia & sapientia gubernet & virtute sustineat,  
 & æquitate moderetur. Quasi sit difficile Re-  
 gibus, multos homines regia virtute præditos,  
 in cõsiliũ adhibere, & in Regni quodammo-  
 do administrandi societatem conuocare, & ex  
 omnium sententia, quid optimum factu sit,  
 statuere. Illud verò quantum est, quod in Rep.  
 libera nemo fermè est, quin in eo quantum po-  
 test, omnes animi neruos intendat, vt Rempu.  
 ope atque præsidio confirmet. Alium enim rei  
 familiaris cura distinet; alium cupiditas pro-  
 priæ utilitatis publicæ utilitati aduersari cõ-  
 pellit; non paucos autem stulta quædam opi-  
 nio, de aliorum vigilantia & industria à cura-  
 tione Reipub. & studio cõmunis salutis auer-  
 tit. Dum enim quilibet suas tantum res agit,  
 neque defuturos existimat, qui pro omnium  
 salute velit sumptus facere, & labores perfer-  
 re & pericula subire, fit tandem, vt opes Reip.  
 ab omnibus negligantur, aut saltem nõ eo stu-  
 dio, labore, & vigilantia defendantur, qua sin-  
 guli opes suas tuentur. At Rex hoc vnum agit,  
 & cogitat, huic curæ incumbit vni, eò omnia  
 illius studia conferuntur, vt regnum tueatur,  
 vniuersamque Rempub. tutam ab omni cala-  
 mitate conseruet. Præterea cùm nemo possit  
 in eo munere rectè versari, in quo non multum  
 operæ & studij contulerit, publici commodi  
 ratio postulat, vt vnus homo sit, qui nullum a-  
 liud munus in vita colat, nihil agat aliud,  
 nullum studium, nullam curam ad se perti-  
 nere putet, quæ sit a communi utilitate seiun-  
 cta: in Repub. autem libera alij alijs curis im-

DE REG. INSTIT. ET

pliciti sunt, & priuatis sæpenumerò utilitati-  
 bus impediti, à studio publicæ utilitatis abdu-  
 cuntur: at regis animus si bene à natura infor-  
 matus, & rectis disciplinis institutus est, in  
 hoc tantùm munere sese à primis annis exer-  
 cuit, hanc vnã artem didicit, hoc vnum sibi  
 onus impositum esse considerat: vt quamuis  
 omnes dormiãt, & quieti sint, ipse solus vigi-  
 let, & laboret, & cum vitæ etiam periculo, pe-  
 ricula omnia à patria, cuius curã suscepit, vir-  
 tute propulset. Postremò, in libera ciuitate, nõ  
 possunt esse semper omnes ita de Reip. salute  
 consentientes, vt non sæpenumero alij alios  
 impediãt; & quamuis quidam sint prompti  
 & alacres, aliorum timiditate & negligentia  
 retardentur: & sic rei bene gerendæ occasio e-  
 labitur, omnisq; facultas constituendæ salu-  
 tis amittitur, at rex cum supremam ipse habe-  
 at potestatem, illumq; omnes alacri mente &  
 studio sequantur, facillimè potest intendere  
 animum in omnes rerum opportunitates: se-  
 dulò vrgere, & instare, per se multis in locis oc-  
 currere pecunia, fauore, gratia, spe laudis &  
 gloriæ suorum animos incendere, nullãq; oc-  
 casionem aut hostis perterrendi, aut imperij  
 sui ornandi & amplificandi prætermittere. Cũ  
 igitur nec alibi sit concordia maior, neq; ratio  
 vitę tranquillior, neq; vberius virtutis præmi-  
 um, neq; quæ est cõsequens, acerbius flagitij sup-  
 plicium, nec acrius Reip. tuendæ studiũ, quàm  
 in regno bene cõstituto: restet profectò, vt nul-  
 lus reip. status sit cum illo comparadus. Quo-  
 circa sapiẽter Homerus vnius Principis impe-  
 rium



rium, multorum potentia longè anteponit, Nam vt vnus tantū sol lucet in mundo: ita consentaneum est, vt in vna Repub. vnus tantum Principis maximè sapiētia atque virtus eluceat. Nihil est enim nec ad omnium vtilitates cōglutinādas efficacius, nec ad temporis diuturnitatem valentius, nec ad bonas artes colēdas vtilius, nec ad animorum securitatem firmitus, neque denique ad imitādū illius supremi regis imperium accommodatius. Vnus est enim rector, vnus moderator & Princeps, qui rerum vniuersitati præsidet, qui cælum & omnia, quæ cæli ambitu continentur, æterno imperio gubernat. Sit modò Rex ingenio acutus, virtute magnanimus, bonis artibus eruditus, studio verissimæ laudis incensus, cupiditate publicæ salutis & dignitatis inflammatus: & quod caput est, religione castus, & cognitione diuini iuris instructus: & sic fieri non potest, vt sit vlla resp. ea, quam ille moderatur, omnib<sup>9</sup> bonis affluentiore. Quamuis enim in libera ciuitate in vno ciue, aut in paucis hæc laudes omnes inueniantur, non possunt tamen tantum fructum afferre rebus communibus, quantum afferunt, cum sunt in animum summi Principis in regno congestæ: illius enim imperio continentur omnes, & illius imitandi cupiditate incēduntur, & facillimè ad studium, quo illū teneri vident, applicantur: ita vt omnes ex illius moderatione maximū in omni genere fructum percipiant. Probas tu quidem mihi ista, inquit, sed velim ex te audire, qd præstātius aut vtili<sup>9</sup> esse iudices, regē libero populi suffragio creari; an  
potius

DE REG. INSTIT. ET

potius regnum ad filium maiorem natu hæ-  
 reditate peruenire: illa namque Regis eligen-  
 di potestas, quæ viget interdû in Sarmatia, &  
 viguit in inferiore Pannonia, multas commo-  
 ditates videtur habere. Primum enim summe  
 felicitatis esse videtur, talem Regem habere,  
 qualem optare possumus: non enim semper fi-  
 lij parentum vestigijs insistant; ex principe  
 enim clemente atq; benigno & artibus præcla-  
 ris instituto, nascitur sæpè filius aut natura ma-  
 leficus; aut consuetudine corruptus, aut insti-  
 tutione deprauatus; at nunquam tam male cum  
 genere humano agi potest, vt non liceat repe-  
 riri hominem natura, & moribus, & discipli-  
 na præstantem: qui facillè Rempub. moderati-  
 one sua conseruet, & ab omnibus malis, quæ il-  
 lam oppugnant, eripiat. Si igitur liberum fue-  
 rit populis eligere, quem velint, multò sæpius  
 hominis optimi atque fortissimi virtute frui  
 poterunt, quàm nunc fruuntur; tunc enim eo-  
 rum salus in eorum iudicio posita esset: nunc  
 verò in casu atque fortuna sita esse videtur.  
 Præterea contra naturam est, vt mali bonis im-  
 perèt, timidi fortibus, temerarij sapientibus.  
 At cum Reges non fiunt, sed nascuntur, id sæ-  
 penumero accidere necesse est, vt homines vir-  
 tute & sapientia præcellentes, Principis insa-  
 ni & furiosi patiantur amentiam, & Respub.  
 illius temeritate & flagitio de statu suo con-  
 uellantur. Præterea contra ius est, vt populus  
 iure suo priuetur: nec enim Rex appellari po-  
 test, qui inuitis imperat, sed tyrannus potius;  
 Rex enim liberorum hominû moderator est,  
 non

non seruatorum: liberi autem illi sunt, qui moderatorē sibi deligunt, non qui alicuius velint nolint imperium sequi compelluntur. Adde quòd is, qui propter virtutē eligitur, multò benignius & humanius populum tractare potest: partim enim, quòd pristinæ vitæ recordatio illum admonet, eis benignè facere, cum quibus videt se fuisse æquabili iure coniunctum: partim quòd gratiam referendam existimat populo, per quem se videt in altissimo gradu locatum, vniuersi populi salutem sibi singulari studio, atque benignitate conseruandā proponit; at is qui nunquam humano more cultus fuit, neque inopiam, neque solitudinē, neque labores, quibus reliqui homines afficiuntur, expertus est: periculum est, ne se hominē esse obliuiscatur, & ea de causa nihil humanitatis reliquis hominibus impartendum putet. Nihil est enim, quod magis inuitet homines ad misericordiam tribuendam, quàm humanam miseriam experiri: vndè rectissimè Dido apud Vergilium inquit:

*Non ignara mali miseris succurrere disco.*

Præterea si verè homines sapientes statuunt, neminem posse alijs imperare; qui non antè paruerit: certè constat multò magis ad imperandum aptum & habilem esse, qui Regi paruit, qui leges obseruauit, qui magistratibus obediuit, qui pudorem & officium coluit, qui semper cum virtute & industria imperata confecit: eo, cui à puero omnes, non solùm obediendum, sed etiam tanquam Deo litandum existimarunt. Postremò illa praua institutio, qua



DE REG. INSTIT. ET

qua regum filios corrumpi dicis, hominum priuatorum filijs adhiberi non solet: & ideo fieri necesse est, vt multò plures interdum inueniantur in illis omni virtute ornati, & sapientie laude præstantes; quàm in regum filijs. Persarum reges olim magni nominabatur, quod prouincias innumerabiles in ditioe tenerent, & immanibus diuitijs affluerent: re tamen vera, vt ex te nõ semel audiui, hæc ex Platonis testimonio referente, duo tantum ex illis hoc nomen meritò habuerunt: quorum vnus fuit Cyrus Cambyse filius, qui Asiæ imperium in Perside constituit, alter autem Darius Histaspis filius; ratio autem, quam ais assignari ab eodem viro sapientissimo, ea est; quòd cum eorum neuter esset magni regis filius, fuerint sub legibus & disciplina (in qua reliqui pueri, qui honesto loco nati sunt, olim nutriebantur) diligenter instituti, & ita vterq; eorum potuit ad summam amplitudinem dignitatis euadere: at illorum filij & illi deinceps, qui Persarum imperium tenuerunt, mulierum delitijs effoeminati, & adulatorum assentionibus inflati, & ita flagitiorum sordibus infecti; quamuis magni vocarentur, fuerunt omnes ferme pufillo & angusto animo præditi, & ab omni studio regie maiestatis & amplitudinis abstracti. Tantam enim vim habet puerilis institutio atq; moderatio, vt sine illa nemo ad vllum decus eniti possit. Cum igitur plerumq; reliqui homines honestius educentur, & diligentius instituantur; quis non videt futurum, vt plerumque apud illos maiora virtutis & moderationis studia vigeant?

geant? Adde quod si spes regnandi fuisset omnibus, qui virtute excellerent, ex æquo proposita, multo acrius & diligentius omnes, in quibus esset maior animus & clarior indoles, ad summam virtutis & sapientiæ laudē aspirarēt, & ita fuisset facilior futuri regis electio. Quid em̄ facilius aut felicius cogitari potuisset, quā in magna bonorum copia eligere, qui omnib<sup>9</sup> virtutum maximarum opibus antecelleret? cū autem naturæ ratio flagitet, vt qui sapientior est, regat & ducat illos, qui non eundem gradum sapientiæ affecuti sunt: contra naturā certe erit, vt sapientes sese ad imperium & ductū hominis insani atq; planè furentis adiungant. Ergo cū accidere possit, vt aliquis rex temerarius & insanus, regis optimi atque sapientis satū procreetur, & vix possit fieri, vt nō eodē tempore, quo ille, cū magna Reip. calamitate Remp. capessit, multi homines sint in Repub. virtutis & sapientiæ gloria præstantes; nihil profectò videtur vtilius optari posse, quàm regis electionē libero populi suffragio permitti. Aliter enim in Caligulas, & Heliogabalos, & Neronas, & in ipsam deniq; immanitatem & truculentiam Tyrannidis incidemus. His quidem rationibus in eam sententiam adducor interdum, vt existimem nihil esse præstabilius, quàm ex omni populo virum eligere ingenio sagacem, doctrina sapientem, animo fortem, virtute honestum, totoq; pectore ad laudem incumbentem: & quot caput est, cupiditate communis salutis incensum, qui Rēpubl. moderatione sua tueatur, atque conseruet,

DE REG. INSTIT. ET

seruet, regiumque munus vigilanter administret. Quare nihil poterit esse nobis gratius, quam, quid de hac quaestione sentias, intelligere. Faciam inquam, sed non tam multis verbis, quam à te proposita quaestio postulat: est enim anceps, & in cuius explicatione, multa in contrariam sententiã disputari facillimè possunt: sed vt tibi ad omnia respondeam, statuendum est; si volueris omnia mala, quæ vtrobiq; nasci possunt, recedere: nullam esse rationem, quam non asperneris, nullam sententiã, quam non cum aliqua ratione reijcias. Quid igitur faciendum? Id quod sapientes homines præcipiunt, nempe è duobus malis minus eligere. Videamus igitur, quid magis moribus nostris, quid nostræ Reipub. quid generi nostro atque naturæ conueniat, & quod minus malorum inuehat, id potissimum sequamur. hoc posito, videamus num multò maiora mala, his quæ recensuisti, electio ista, quam prædicas, importare possit. Primum enim populus non est ita sapiens, vt semper eum principem sibi adoptet, qui publicam vtilitatem suis commodis anteferat: caret enim plerumq; consilio, caret grauitate, & constantia: sæpè igitur mentis errore & amentia, nonnunquam spe aut metu inductus, non rarò autem leuitatis specie delinitus; aut odio & inuidia concitatus, à recto iudicio deducitur, & pro vera virtute falsam imaginem virtutis amplexatur. Accedit quòd vera virtus non se venditat, neque se hominibus fraudulenter insinuat, neq; populi rumorem aucupatur: sed se ipsa contenta populare

auram



auram facillimè contemnit: at is, qui populum captare, & ab vniuersa multitudinè gratiam inire studet, quamuis sit superbus, & insolens, & iniustus, præ se tamen fert illustrem modestiæ & moderationis & æquitatis speciem; vt simulatione virtutis in hominum mentes irrepit, & de illorū stultitia omnia, quæ cupit, singulari artificio consequatur. Intelligit quidem populus principatum virtuti deberi, sed dum veram virtutem à falsa non internoscit, & vera virtus plerumque se ab illius aspectu remoueat, falsa autem se passim intrudat: facillimè fit, vt populus pro vera, falsam arripiat, quam summis opibus augeat, amplissimisque honoris insignibus exornet. Quid autem scelestius & perniciosius virtutis simulatione nihil profectò. Hoc igitur ista electio libera, quam dicis, efficiet, vt ij, quorū scelere nihil est immanius, neque Reip. perniciosius, Rē pub. possint pro libidine sua perturbare, & omnibus bonis euertere: euoluite, si lubet, omnem antiquitatis memoriam, & reperietis omnes fermè Tyrannos, hanc sibi viam ad principatum muniuisse; virtutem enim ementiendo, & populum fallaci specie mansuetudinis & lenitatis ad se alliciendo, intollerādam potentiam in Rebus pu. sibi parauerunt: qua quidem ad ipsius populi perniciem, nimis intemperanter & crudeliter abusi sunt. Qua enim alia ratione Cypsilus Corinthi, Pisistratus Athenis, Dionysius Syracusis, Phalaris Agrigenti, Alexander Phæris, Nicocles Sycione, & alij denique innumerabiles Græci Tyrāni patrias

suas oppresserunt? Quo alio artificio Cæsares  
 improviso Romanis libertatem eripuerunt?  
 Qua via multi homines perditī atque profliga-  
 ti in Romanum imperiū inuaserūt, vt in sum-  
 mo fastigio locati, orbem terrarum perderēt.  
 Nunquid obscurum est, omnes fermè Tyran-  
 nos, qui olim summas sibi opes cum publicæ  
 libertatis interitu comparauerunt, populari  
 temeritate & amentia nixos, ad summum im-  
 periū atque potentiā peruenisse? Deinde quis  
 non videt, quàm pestiferæ dissensiones ex hoc  
 fonte popularis licentiæ, & immodicæ liber-  
 tatis emanēt? Nullum enim est fœcundius dis-  
 cordiæ seminarium, quàm regni cupiditas: ma-  
 ximè verò cùm regnum fuerit alicui opinione  
 virtutis amplissimæ delatum; tum enim homi-  
 nes amplissimæ dignitatis appetentes, non so-  
 lum pro summis opibus, sed pro summa digni-  
 tate dimicabunt, & mortem oppetent poti-  
 us, quàm aliorum imperium, quibus ipsi nihil  
 de virtute concedunt, aliquo modo tolerant.  
 Inde igitur tumultus, inde cædes, insidiæ, inde  
 hostiles ciuium inter ciues dissensiones, inde  
 hominum strages, inde postremò patriæ popu-  
 latio, & inflammatio, & Reip. totius euersio &  
 interitus existit. Quàm cæca autē sit dominan-  
 di cupiditas, horrendi quorundam Principum  
 exitus maximè declarant; filij namq; parenti-  
 bus necem afferebant, parentes filios crudelis-  
 sima morte mulctabant: amici amicis insidias  
 cōparabant, neque vllum cōmunis sanguinis,  
 neq; naturæ ius in animis insitū, neque fœde-  
 rum vlla sanctitas erat impedimento, quò mi-  
 nus

ritus vel ferro, vel veneno alij alios, cum quib<sup>9</sup>  
 erant coniunctissimi, de medio tollerent, vt i-  
 pfi soli regnarent. Hoc non solùm rerum anti-  
 quarum monimenta, sed exempla quotidiana  
 demonstrant, vbi regnandi contentio viget, i-  
 bi nulla naturæ necessitudine, aut religionis  
 sanctitate vitam muniri posse, neq; solum ijs,  
 qui regnare concupierunt, sed omnib<sup>9</sup> rebus p.  
 quæ illorum imperium subire compelluntur;  
 seditionibus intestinis & mutuis cædibus exi-  
 tium importari. Quod si nihil est in omni rep:  
 maiore diligentia præcauendum; quàm ne tu-  
 multus aliquis excitetur, nihilq; maiorẽ vim  
 habeat ad discordiam concitandã, quàm effre-  
 nata regnandi cupiditas: si quilibet ea libertã  
 te populo concessa statuisset se regnare posse;  
 quantas turbas cõmoueret? quantũ bellorum  
 incendium concitaret? quanto furore & amen-  
 tia vexaretur? In quo verò dicis, multos futu-  
 ros virtutum omnium laude præcellentes, tã-  
 tã dignitatis præmio virtuti constituto, pri-  
 mum quidẽ in regno satis magna præmia sunt;  
 ad virtutis studium incitandũ. deinde virtus  
 quamuis initio præmium & emolumentũ re-  
 spiciat, vbi magis atq; magis progreditur, non  
 humana & caduca præmia, sed diuina & æter-  
 na considerat. Boni igitur & verè, & ex animo  
 virtutẽ colentes, sine vlla spe regni, sed ipsius  
 tantũ virtutis illecebris inuitati, ad virtutis  
 amplitudinem aspirabunt: mali verò, qui vir-  
 tutem simulant, ea spe deiecti, non tanto stu-  
 dio & artificio, neque cum tanta Reipublicæ  
 perniciæ virtutis imaginem atque formam



DE REG. INSTIT. ET

gerent, quàm si Regnum sibi erroris opinione  
 finxissent. Sed ais, populum iure suo priuari,  
 cùm inuitus imperium alicuius subire com-  
 pellitur. Minimè quidem inuitus. Quod enim  
 moribus receptum est, & temporis longissimi  
 diuturnitate confirmatum, id populus liben-  
 tissimè comprobatur: maximè cùm ne in hac  
 regni legitima successione iure suo priuetur,  
 nec enim Rex habetur ille, qui regni hæredi-  
 tatem adit, antequam iuret se regnū iure, atq;  
 patrijs legibus administraturum: & sic tādē  
 populi totius consensu recipitur, qui etiam fi-  
 dem suam sanctissimo iureiurando astringit,  
 se illi dicto audientem fore. At, inquis, huma-  
 nius atque clementius tractasset Princeps om-  
 nes ciues, si fuisset ab vniuersis electus. nam &  
 actæ vitæ ratio, & accepti beneficij memoria,  
 ad populum omni studio conseruandum faci-  
 lius impulisset. Id quidem verum fuisset, si po-  
 pulus in mandandis honoribus nunquam er-  
 rasset: si verò constat illum plerumque bonis  
 improbos, gratis ingratos anteferre, quis dubi-  
 tat, quin longè sapius contrarium eueniat? Nā  
 & qui ab humilitate & inopia, ad summā am-  
 plitudinem repente traducitur, effertur & in-  
 solescit: & qui maximis est beneficijs obliga-  
 tus; ne quod debet, aliqua ratione dissoluat,  
 beneficij memoriam abiicit, & illis ipsis, qui  
 eum extulerunt, est vehementer infestus: su-  
 perbia enim & insolentia facit, vt nihil ægrius  
 ferat, quàm existimari sibi alterius ope & gra-  
 tia fuisse summum imperium ab vniuersis de-  
 latum. Nam quod de Cyro, & Dario dicis, rarū  
 id ex-

id exemplum fuit, quod quidem sæpius euenisset, si omnes, qui à priuata conditione ad summum imperium efferuntur, fuissent splèdido ingenio, & animo maximo præditi, quales ij, quos commemoras, extiterunt. Cùm verò multò secus eueniat plerumque, & virtutis a simulatæ scelus, veram virtutem in honoris popularis contentione superet: dubium non est, quin populi temeritas, pro humanitate & clementia, summam immanitatem & crudelitatem capitibus suis imposuisset. An non Tyranni omnes, vt paulò ante diximus, clementiæ & humanitatis opinione commendati, à populo summis honoribus affecti sunt, quem deinde multis & grauissimis cladibus adixerunt? an non vt quisque maxima rerum omnium inopia conflictatus in principio fuit: ita postquam Principum gratia, opes & honores assequitur, maximè teter incedit: ita vt omnes etiam, cum quibus antea coniunctissimè vivebat, contemnat, atque despiciat? Quid ij facerent si ad regnum peruenirent, qui mediocribus etiam opibus elati, ita se tumidos inferunt, vt ferri & tolerali nõ possint? insanirent profectò, & furiarum stimulis agitati, ciuium strages ederent; honor enim repentinus, vbi naturam nactus est, parum solida virtute firmatã, quò est maior & amplior, eò magis animum omni sanitate spoliat, & à mente consilioque deducit. Quod verò ais, regum filios neque labore vllò firmari, neque disciplina vlla astringi velle, & ita fieri, vt neque virtutis, neq; modestiæ signum aliquod dare queant, id quidè

DE REG. INSTIT. ET

eueniet, si talis fuerit eorū educatio, qualem oratione depinximus: si verò ea fuerit adhibita disciplina, quæ maximè futurum regem deceat, nihil neque fortius & constantius, neque moderatius & clementius esse poterit. nam multis se laboribus exercebit, & in venationibus, frigora & æstum tolerabit, & famem etiam atq; sitim ferre discet, & erit in omni vita moderatus, & memor imbecillitatis humane, nunquam se hominem natum obliuiscetur: & ita fiet, vt nunquam animum illius efferant istæ ceremoniæ, quibus illi litari dicis: de illis enim multa detrahet, & in ijs, quæ reliquæ necessario fuerint, habet enim venerationem iustam amplissimum Regis nomen, haudquam insolescet. At, inquis, fieri non posse, vt quisquam rectè imperet, nisi prius aliorum imperio obtemperauerit. Rectè sanè, sed, vt iam dixi, regum filij si rectè fuerint instituti, multis rectoribus obedient, antequam Remp. attingant. Parentes enim debita pietate & veneratione prosequuntur, magistros atq; pædagogos verebuntur, maiores etiã natu, in quibus summa grauitas fuerit, honore afficient, & eorum consilij & monitis obtemperabunt, & laudi atq; pudori seruiant, & ingenti gloriæ cupiditate flagrabunt, qua quidem illos in ætate prima vehementius inflammari percipio. Maximum enim Regiæ indolis argumentum est, acerrimum laudis & gloriæ studium. Cũ igitur regū filij tam multis rectorib<sup>9</sup> abundant, & tantis disciplinis instructi sint: si modò sunt, quæ admodum oportet, ad regiũ munus & officium erudi-



ei, satis parere & obedire discunt. Postremò ut nullus artifex ad summam artificij sui perfectionem peruenire potest, nisi à pueritia sese illi arti, cui studere vult, tota mente applicuerit: ita regis ars atque disciplina ab illis tantum rectissimè percipi potest, qui à pueris nihil aliud egerunt, quam ut tandem aliquando optimi Reges euaderent. Proclarè enim Quintilianus statuit, ut de eo oratore, què format & fingit, omnes, qui illum necessitudine attingunt, maximam spem à prima ætate concipiant, & opinentur illum præstantissimum oratorem futurum; sic enim euenturum ait, ut omnis eorum institutio ad eum finem referatur, ut is, cuius curam gerunt, maximum in oratoribus nomè obtineat. Quod quidem eò diligentius in regum institutione faciendum est, quò maius & amplius illorum munus est, & ad plures, si rectè officio functi fuerint, illorù sapientia pertinet; & quò maior perniciès, si in officio deliquerint, Reip. inferri potest: non enim adeò facilis hæc disciplina est, ut non à futuri regis infantia firmissima illius fundamenta iacenda sint. Ut igitur non is artifex nobis flagitandus est, qui tunc, cum opera illius indigemus, discere incipit; sed is, qui nihil aliud egit in vita, quam ut in illo genere artificij præcelleret: ita nec optandum nobis regem illum censeo, qui nunquam se Regem fore suspicatus est; sed illum, qui à primis annis fuit omnibus regijs disciplinis, cum amplissima spe summæ virtutis excultus. Si igitur neq; semper populus in eligendo ius, & fas, & optimam rationem

DE REG. INSTIT. ET

sequitur, sed sæpenumerò cupiditate, & odio, & inuidia, & temeritate ducitur: si concordia ratio semper in primis habenda est, & hac ratione omnis discordiarum materia subtrahitur: si omnia pericula, quæ ex hoc more (quæ apud multos inueterauit) interdum rebus cõmunibus inferuntur, depelli facilè possunt institutione præclarissimè cõstituta; colligi certè potest, multò ad pacem securius, & ad virtutem aptius, regiam indolem, quæ in eis, qui sunt ex regibus orti, plerumque extat, & eminet, disciplinis excolere: vt princeps munus suũ, & domesticis exẽplis stimulatus, & studio laudis incensus diligèter administret: quã imperium illi committere, qui fortassè multa vitia fronte & supercilio tegit, neque tanto robore animi præditus est, vt tam altum dignitatis gradum ferre, atque sustinere queat. Vir enim callidus & malitiosus, emendari disciplina non potest: at pueri (maximè autem illi, qui regia stirpe orti sunt) cùm miti & clementi natura sint, facillimè fingi possunt, & in quamcunque partem illum ætatis teneræ rectorum impulerint, institutione atque disciplina conuerti. Quod si aliter apud alias nationes fit, illæ suum morem retineant, nos nostrum summo studio conseruemus. Vtrumque enim fieri rectè potest; receptæ autem consuetudinis immutatio, & inueterati moris inuersio, quemadmodum de reipub. statu dicebam, nõquam sine rerum, & morum pernicie fieri potest. Apud nos verò nihil commodius esse putato hoc more, quo Reges nobis natura fiunt. nã

si ne-

si nemo est, qui pati possit, quemuis alium sibi anteferri, & si de quibusuis commodis & dignitatibus tanta sæpe cōtentio nobilitatis excitatur, vt vix regis ipsius auctoritate, quæ apud nos grauissima & sanctissima semper fuit, possit tumultus comprimi, & sedari discordia: quid fieret, si quilibet alijs inuitis ad summū imperium se peruenire posse consideret? Habes quid ipse de hac quæstione sentiam. Si possumus impetrare, vt Sebastianus noster ita nutriatur, & educetur, & illis disciplinis erudiat, quibus illum erudiri conuenit; erit profectō omnis controuersia sublata. Cū enim natura præclarum, & singulare ingeniū habeat, sperandum est, si fuerit regijs disciplinis institutus, vt tantus Rex sit, vt melior eligi à populo non possit. Hæc vbi dixi, tum Portugallensis inquit, quàm vellem Ioannes Dux Aueriensis huic nostro sermoni interesse potuisset; magnam sanè ille voluptatē ex eo perciperet. At ego inquā, facilè illū abesse patior. si enim adfuisset, nos ingenio, quo valet plurimū, perterere potuisset, & impedimento etiā fuisset, quō minus liberè oratio nostra vagaretur. Nec em̄ erat & ætati, & auctoritati illius consentaneū, tam diu nostris sermonibus distineri, sed nos aliquid ex disputationibus nostris seligemus, cuius illum participem efficiamus, vt sine molestia eā, quam dicis, voluptatē percipiat. Hæc vbi dicta sunt, surreximus, & aliquot spatijs factis ex hortis discessimus: ita tñ, vt prius inuitatio fieret inter nos, vt postridie illius diei maturius in easdem sedes conueniremus.



DE  
REGIS IN-  
STITVTIONE ET  
DISCIPLINA, LI-  
BER QVARTVS.



Ostridie igitur operam rebus  
diuinis manè procuratis, in  
hortos ad solitas sedes deue-  
nimus. tunc Portugallensis in-  
quit: Hesterna quidem dispu-  
tatione nihil aliud actum est,  
quàm vt vitiosam disciplinam, quæ multis Re-  
bus p. interitum potest afferre, videremus. Ex  
ea igitur nullum omnino fructum capiemus,  
nisi tu (me autem nominabat) quemadmodum  
flagitiosam disciplinã oratione sustulisti, ho-  
nestam oratione constituas; facillimum enim  
est praua atque vitiosa criminari, difficillimũ  
autem, quid rectum & verum sit, & insignem  
vtilitatem afferat, inuenire: à te verò, nõ quod  
est promptum atque propositum omnibus; &  
quod in omnium ore atque sermone versatur,  
postulamus: sed quod est arduum atque diffi-  
cile, & à paucis præstari potest, exquirimus.  
Quasi inquam, ego non sim vnus è multis, ma-  
gis ad ea vituperanda, quæ reprehensione dig-  
na videntur, idoneus: quàm ad ea decernenda,  
quæ honesta & laudabilia sunt, accommoda-  
tus; morbi tantum vim, quo multi populi at-  
que nationes laborant, percipio: quæ sit tantis  
malis

malis adhibenda medicina ( vt verum fatear )  
ignoro. Nec enim si quis periculosi morbi me-  
dicinam quærit, continuò medicus est: sed tan-  
tùm admonet opus esse medico sapiente, qui  
malum illud tantum optima curatione depel-  
lat. Meum officium fuit, morbi grauitatem in-  
dicare: vobis, si res digna videtur, in qua labo-  
retis, aliunde remedium comparate. Nihil a-  
gis, inquit T. non enim alium medicum vide-  
bimus, antequam quid ipse ad regni salutem  
afferre possis, intelligamus: noli igitur tergi-  
uersari, aut te ista communi & vsitata ignora-  
tionis excusatione defendere. Quid inquam,  
si id, quod vultis, præstare non possum? Iniquū  
inquit, esset à te postulare quicquam, quod sit  
supra ingenium & facultatem tuam: sed nos in  
præsentia eo, quod poteris, contenti erimus,  
dum nihil quod ad rem facere possit, de indu-  
stria prætermittas. Hac quidem conditione in-  
quam, libenter, quid possim experiar: quod vt  
commodius fiat, rursus nomen Regis explicem-  
us. Est igitur, vt ante diximus, Rex excellēs,  
& vnicus, atque perpetuus populi vniuersi re-  
ctor atque moderator. Hinc iam cerni facilè  
potest, non solùm quantus splendor & digni-  
tas sit in regio munere: quanta sit etiam regij  
nominis amplitudo, verùm etiam quanta sit il-  
lius, vt apparet, tuendi atq; sustinendi difficul-  
tas. Si enim non mediocris virtutis est, animū  
regere, cupiditati modum statuere, iracun-  
diam cohibere, inconsideratos animorum  
motus ratione compescere: quantum tandem  
erit, non vnum tantùm populum: sed multas  
ciuitates

DE REG. INSTIT. ET

ciuitates & nationes, plurimum inter se moribus, legibus, institutis atque natura dissi-  
 detes, sapientia regere, disciplina moderari, iure  
 deuincere, virtute defendere? quid enim aliud  
 regere est, quàm eos, quos in fidem recipis, eo  
 quò tendunt, recta perducere? quid aliud est  
 moderari, quàm immoderationem, quæ huic  
 tanto muneri aduersatur, ratione comprime-  
 re? Cùm igitur omnes homines cupiditate vi-  
 tæ florentis, atque beatæ flagrent, regisq; offi-  
 ciũ sit, illos regere, qui sub illi<sup>o</sup> imperio sunt:  
 restat vt omnes illius conatus eò comparandi  
 sint, vt vniuersam Rempub. quam patrocínio  
 suo tuendam suscepit, præstet incolumem, &  
 omnibus bonis, quibus vita beata perficitur,  
 affluentem. Nunquam igitur in commodum  
 suum; sed in populi salutem, & incolumitatẽ,  
 & vtilitatem, respiciet. Vt enim medico ea ra-  
 tione, qua medicus est, nihil est aliud proposi-  
 tum, nisi ægroti salus: ita nec Reipub. Princeps  
 aliud intueri debet, quàm beatũ reip. statum,  
 vsque adeò, vt quoties opus fuerit, opes suas  
 contemnere, & vitam in quoduis discrimẽ in-  
 iicere debeat, dummodo ea ratione Rempub.  
 seruet: non enim mercator est, vt pecunia co-  
 ceruandæ gratia labores infinitos excipiat: nõ  
 luxuriosus nepos est, vt omnes opes, quas para-  
 re potest, eò recondat, vt in exquisitissimis ci-  
 bis, & flagitiosis voluptatibus intemperanter  
 absumat. Non denique tyrannus est, vt suorũ  
 operis ad suam tantũ dominationem atque  
 voluptatem abutatur; sed rex tantũ est, hoc  
 est tutor, & patronus, atque adeò pater patrie,  
 ita



ita vt omnes illius curæ & cognitiones ad patriæ salutem dirigendæ sint, multa enim illū cogunt, omnem vtilitatem, & voluptatem Reipub. causa contemnere. Primū quidem muneris amplitudo. Vt enim nullum est in vita amplius & magnificentius: ita nullum est maiore cura, studio, vigilantia, sollicitudine procurādum. Deinde obligata fides, quam non potest, sine infando scelere & flagitio violare; fidem autem violat, quoties aliquid commodis publicis anteponeat. Ea siquidem lege & conditione fuit in tam excelso gradu locatus; vt sanguinem etiam suum, si res ita posceret, patriæ, quæ illum tantis honoribus auxit, non grauatè largiretur. Postremò nominis ipsius sanctitas atque religio; regis enim nomen sanctum atque ad eò diuinum est, & ea de causa veneratione dignissimum. Rex enim munus diuinum gerit in terris, illiusque summi atque sempiterni regis (qui omnia, quæ super, subterque sunt, imperio sempiterno moderatur) administer & vicarius est. Vnde colligitur neminem posse regnum sapienter administrare, nisi in illum mundi rectorem tota mente respexerit, & ad illius se imitationem contulerit. Vt igitur Deus nec in mundi designatione, nec in cœli conuersione, nec in rerum omnium, quas intuemur oculis, moderatione, commodum suum respicit: sed immensitate benignitatis illectus & inuitatus, omnia quæ molitur, quæ designat, quæ efficit, ad generis humani salutem confert; ita necesse illi est, qui Regis dignitatem tueri cupit, vt nunquam in munere suo

DE REG. INSTIT. ET

suo perfungendo commodum suum spectet: sed ad publicam vtilitatem omnia studia vitæ dirigat. Vnde concluditur, cùm regis nomine neque familiaris, neque domestici, nec amici, nec affinis, neque cognati, neq; parentis denique nomē interdum coniūgi posse. Si enim casus interueniat, in quo regis officium deserendum sit, si ratio necessitudinis, aut propinquitatis habita fuerit: contemnendæ sunt omnes necessitudines, omnesq; sanguinis coniunctiones aspernandæ, naturæq; sensus repudiandi, aliter enim regis nomen occiderit. Cogunt leges, & flagitat Reip. salus, vt contra domesticos, & propinquos, aut filios aliquid statuas, atq; adeo alicui eorum necem inferas; si familiaritatis aut naturæ illecebris emollitus, de recta sententia depulsus es: ius humanum perfregisti, fidem & officium prodidisti, societate humanam diremisti, numen postremò diuinū impiè atque nefariè violasti. Fuit enim apud te grauius amici atque propinqui, quàm Regis nomen, quod proximè ad dignitatem cælestis numinis accedit. Quod si tantum valet apud te familiaritatis aut propinquitatis nomē, vt illius gratia Regis nomē despicias: cole istam amicitiam, amplexare propinquos, & affines, indulge liberis, fatereque non esse in te tantum mentis aut roboris, vt vel quid nomen regis valeat, intelligas, vel ipsius dignitatem tueri possis, & regni procurationem relinque. Tollerabilius enim multò est, spoliari fortunæ omnibus, quàm tam insignem perfidiæ turpitudinem & infamiam subire. Quid? ideone

te populus in tam ampla dignitate locauit, & in Dei propemodum loco reposuit, vt salutem illius contra fidem datam proderes? vt statum Reipub. labefactares? vt perniciem illis, quæ tanto honore prosequuntur, inferres? Perniciem enim infert Reipub. qui leges atque iudicia, quibus Reipub. salus continetur, suorum gratia contemnit. Quæro deinde, num opes istas ingentes, honores istos amplissimos, istam dignitatis excellentiam, homines isti, quorum gratia iura omnia conuellis, tibi detulerint? Non certè: populus, n. est, qui à principio reges creauit, qui te laboribus suis alit, qui tibi diuinos propè honores instituit, qui fidei tuæ salutem atque vitam credidit, qui tibi supplex est, qui te fide atque amore singulari complectitur. Quæ igitur causa est, cur illos euertas, à quibus omnia, quæ te magnū & excelsum reddiderunt, accepisti: vt illis indulgeas, qui tāta labe atque macula tuū nomen afficiūt? iam illa nonnulla culpa tua est, quod eos in familiam tuā receperis, quibus existimatio tua cara nō est: aut ita liberos institueris, vt esset tibi illorum gratia necesse, leges patrias & instituta conuellere. Sed quia non semper ita felices sunt boni Principes, vt non interdū in delectu hominū fallantur; nec ita semper disciplina seuerā esse potest, vt effrenatā libidinē contineat; illud certè officiū illis necessariò suscipiendū est, vt nulla necessitudine impediatur, quò min⁹ fraudē & flagitiū & iniuriā poenę seueritate coerceat: vsq; adeò, vt ne liberis quidē suis parcant; nihil enim, q̄ iustitia vacet, debēt sibi  
coniun-



DE REG. INSTIT. ET

coniunctum arbitrari : tam diu igitur valeat apud illos vsus, & consuetudo, & communio sanguinis, quamdiu leges atque iura permiserint. Vbi verò primùm à suis ius, quod omnes tenet, contemni perspexerint, in illis potissimum exempla seueritatis statuunt: vt planum fiat omnibus nihil eis placere posse, quod sit iustitiæ & æquitati contrarium; aliter autem & populum sibi commissum perdent, & illis ipsis, quibus indulgent, plurimum nocebunt: iniquitatis enim vulnus (quo nullum grauius esse potest) eorum animis inflictum minimè sanabunt, & reliquos impunitate proposita ad facinus incitabunt, & ipsi ignominia sempiterna maculabuntur, & ipsum Dòminum, cuius vicem in terris gerunt, grauiter offendent. Hoc autem in vniuersum, quod ius diuinum & humanum, & vniuersa natura postulat, constantissimè retinendum est, vt semper commune bonum priuatis commodis præferatur; maximè verò cum publica fides interponitur. Vnde fit, vt iudex aut magistratus, qui vel commodi sui gratia, aut familiaribus atque domesticis suis morem gerit: publicam utilitatem in aliquo negotio minimè curat, & neglecta fide, quam dedit, & contempta execratione, qua se deuinxit, iura transgreditur; non solum còmunis utilitatis euerfor, sed perfidiosus & Dei contemptor existimandus sit. Qui enim publicam personam gerit, nullã priuatam necessitudinem, quæ illum possit ab officio deducere, debet agnoscere; aliter enim non solù erit in homines iniustus: sed in ipsum Deum

scel-

sceleratus. Quod si magistratus aliquis, cum aliquod aliud nomen in functione publici muneris agnoscit, præter illud, quod illi publicè obligata fides imposuit, impius & sceleratus est, quid de Rege dicemus, cum fuerit illi nomē aliquod, nomine regis antiquius? nullum profectò scelus erit cum illius perfidia & scelere comparandum. Sed quorsum hæc omnia à nobis afferuntur? ut intelligatis planè, quantum sit regis nomē, nempe cuius magnitudine, claritate, & splendore, omnia nomina summæ etiam necessitudinis obscurentur & euanescant; tantumque inter omnes, qui publicum aliquod munus gerunt, excellat, ut omnia ad illius amplitudinem referantur. Reliquum igitur est, ut huius nominis ortum à cœlo repetamus, quando è terris, ut videtur, oriri nō potest. Diuinum siquidem est, non inflecti gratia, non incendi cupiditate, non inflammari libidine, non labefactari amore, non denique vlla animi perturbatione, à recta ratione, & à mentis statu detorqueri. Diuinæ etiam benignitatis est, propriæ utilitatis obliuisci, & communi consulere. Diuinæ virtutis est, caput obijcere periculis, & Rempub. conseruare, infinitosque labores perpeti, & patriæ quieti atque tranquillitati prospicere. Ut autem vno verbo omnia complectar; non humanæ, sed diuinæ virtutis est, Rempub. vniuersam beatam efficere: Hoc enim Regi propositum est, huius tanti atque tam præclari operis artifex est, & in eum finem omnia illius officia & studia conferuntur: ut Respub. omnibus bonis, quæ vel ad cor-

## DE REG. INSTIT. ET

poris victum & cultum, vel ad animi statum & ornamentum pertinent, egregiè cumulata sit. Hoc autem qui sine diuina quadam mente, & ratione fieri posse credit, mentis expers habendus est. Primum igitur opus est, vt is, cui tantum, atque tam præclarum munus incumbit, diuina sapiëntia præditus sit, sine qua nemo beatus esse potest: siue enim in sola virtute vita beata consistit, omnes virtutes complexu & gremio sapientiæ continentur: siue ad beatæ vitæ cumulum aliorum etiam bonorum vsus requiritur; sapientia sola est, quæ rerum omnium rectum vsu & moderationem præscribit. Quod si cui libet homini sapientia necessaria est, vt eò tandem, quò illum vis, & impetus naturæ vocat, aspiret, quali tandem sapientia conuenit excoli & ornari regem, cui hoc tantum munus assignatum est, vt nò ipse solus ad beatam vitam perueniat: sed vt omnes, qui imperio illius continentur, beatæ vitæ compotes efficiat? Non mediocri quidem, sed singulari atq; propè diuina. Neq; hoc satis est, parum enim iuuat rectum & verum intueri, nisi virtutis excellēs, & inuictum robur insit in animo, vt id, quod mēs honestum & vtile esse statuit, diligenter & strenuè peragatur: si enim homo acuto ingenio præditus, quidquid optimū factu sit, acutè perspicit, id tamē implicatus metu, exequi non audet; tantum abest, vt ex ea sapientia fructum ferat, vt potius miseriam, in qua versatur, amplificet. Quid em̄ intelligentia calamitatis impendentis, q̄ nò auertere audes, acerbius? accedit ad maiore miseriam cumulum,



lum, quod timor omnia multò grauiora & acerbiora fingit, quàm sensus experiundo percipit; nihil enim est tam asperum, perpeffuque difficile, quod humana natura non perferat. Timor verò omnia intolerabilia suspicatur; sic enim sæpè fit, vt multò magis miseri sint, qui aduentans malù multò antè præsentientes extimescunt; quàm qui illud idè patiuntur. Sensus enim præsentis acerbitalis, aliquid interdum laxamenti habet: at timor animum assiduè vexat & excruciat; & vsus atque patientia malù in dies leuius efficit, at timor quotidie omnia acerbiora proponit. Is igitur, qui beatus esse studet, animo forti & inuictò sit necesse est, vt nullo metu impediatur, quò minus id, quod vtile & honestù fore perspicit, diligenter efficiat, & mente semper quieta atque tranquilla sit. Quid enim miserius & funestius, quàm sine virtutè animi oïa dura & horribilia præsentire? Qui magno & forti animo non sunt, quò magis abundant ingenio, & acutius futura mala prospiciunt, eò diuisius & acerbius torquentur, omnes enim rumores extimescunt & strepitus omnes exhorrent, & perpetuis curis afflictantur, & tremunt, & pallent, & horribili pauore concutiuntur. Quod si omnibus, qui ad beatam vitã enituntur; magnitudo animi comparanda est, multò certè magis regib<sup>9</sup>, nempè qui hoc susceperunt, vt animo maximo intestinam fraudem reseccarent, & hostium ferociam inuicta virtute reprimerent, vt non solù ipsi quieto & securo animo sint: sed omnes, qui in præsidio illorum acquiescunt, sine vlla sollicitudine atque

## DE REG. INSTIT. ET

metu vitam degant. Nec enim pauca, nec mediocria pericula Regibus intenduntur: sed multa & grauia, partim scelere intestino ciuium conflata; partim ab externis hostibus iniecta, quæ omnia sunt intrepidè subeunda. Opus igitur est, vt sit animo maximo & inuicto præditus, & diuino quodam robore munitus: aliter enim nunquam animo consistit, tantùm abest, vt à suorum animis metum quo torquentur, abstergere aliquando possit. Quantum verò decus honestatis: quantum specimen moderationis & ordinis: quantum dignitatis lumen eluceat, opus est in eo, quem omnes intueri, quem imitari, ad cuius se exemplum effingere debent, est explicatu difficillimum. Quomodo enim aliorum libidines continebit, qui suas primùm non continet? Poena, inquires, & supplicio coercebit eos, qui flagitium aliquod in se contra leges admiserint. Sed primùm impudentis est, id in alio vindicare, quod ipse passim suscipis. Deinde nunquam solus metus Reipub. statum firmo præsidio stabiliiuit. Postremò officium vi atque minis expressum, nõ potest esse diuturnum. Vt igitur sese quisquam ad aliquod tempus metu contineat, vbi primùm ipes celandi & occultandi oblata fuerit, inclusa atque vi compressa libido, multò violentius erumpet, & omnia, quacunque tulerit impetum, immoderatione sua perturbabit. Princeps igitur, qui moribus ornare Rempub. statuerit, opus est, vt id non tam minis atque supplicijs à lege propositis, quàm illustrissimis cõtinentiæ & moderationis exemplis efficiat.

ficiat. Quemadmodum enim corrupti Principum mores Rempu. inficiunt, & flagitioso exemplo contaminant: ita Principum decus & integritas facile Rempubl. à libidinis intemperantia (vnde omnia mala oriuntur) ad honestatis studium traducit. Videte igitur quantum splendor decoris & honestatis eluceat opus est in eo, qui non solum omnes animi sui partes continere debet, ne dissideant inter se, turbulentisque motibus mentis elegantiam & decus evertant: sed etiam id efficere, ut omnes, qui sub illius imperio sunt, illius dignitatem ament & imitentur, & sint inter se sententia congruentes, & mutuo amore coniuncti; quod sine diuina quadam Regis moderatione fieri nulla ratione potest. Non igitur intemperans, non iracundus, non leuis & inconstans, non libidinosus Regis officium tueri poterit vllomodo, sed continens, mansuetus, & moderatus, & grauis, tantisque honestatis ornamentis excultus, ut omnes admiratione sui commoueat; & ad imitationem tanti decoris atque dignitatis alliciat. Quid de iustitia dicendum? in cuius studium omnes regis curæ & cogitationes, omnes labores atque vigiliæ, omnia denique studia consumenda sunt; ea namque à principio reges creauit, & ornauit, ad summamque amplitudinem decoris atque dignitatis euexit; ea populorum vulnera sanat: motus omnes comprimit: pacem & otium cum dignitate constituit: vires Reip. firmat: opes & imperium auget: Dei numen pie atque sanctè veneratur. Nullum est enim sacrificium Deo acceptius;



DE REG. INSTIT. ET

quàm iustitiæ munus: nulla gens, nulla ciuitas, nullus hominum coetus, nulla postremò domus, sine iustitia potest salua consistere. Iustitia denique cœlum terræ deuincit; ima summis amore coniungit; omnes mundi partes fœdere connectit: iustitię igitur vi, & ratione fit, vt ex tam diuersis formis, vnica tamen lege atque vinculo colligatis, & inter se mirificè concinnentibus, hic tantus, & tã admirabilis mundi totius ornatus existat, ex quo tam multæ utilitates oriuntur. Quid igitur esse poterit, vel ad fructum melius, vel ad decus & gloriã magnificentius, quàm in terris rationem & ordinem, quo summus rerum omnium conditor & moderator cœlum regit & temperat, imitari? omnes igitur, qui cum iustitia vixerint, opus est, vt Deo egregiè chari sint, opibusque diuinis augeantur. sunt enim Deo simillimi, contra verò, qui iustitiam violant cum à Deo valdè dissideant; necesse est, vt sint illi odiosi & inuisi, & ab eo acerbissimis scelerum pœnis agitati. Quod si omnibus qui beati esse volūt, iustitia vnice colenda est: multò certè magis regi, cui hoc munus præcipuè impositum est, vt non solū ipse iustus sit: sed vniuersã Remp. iustitiæ ornamentis afficiat, & tanquã sol in mûdo, æquitatis splendorè longè lateque diffundat. Quid hic fidem, mansuetudinẽ, liberalitatem, & reliquas iustitiæ comites oratione commemorem? num fieri potest, vt rex ille habendus sit, qui fidem frangit? qui acerbus & nimis iracundus est? qui auaritiæ studet, & pecuniam patriæ saluti, & ciuium omnium commodis

anteponit: nullo modo. Omnibus igitur his virtutibus Rex excellat opus est, vt sit omnib. in illo egregium quoddam fidei atq; probitatis exemplum ad imitandum propositum. Ijs omnibus virtutibus accedat opus est acre studium, celeritas, & diligentia: sine qua nihil rectè fieri, nihil laudabiliter geri & administrari potest. Nec enim bonus colonus erit vnquã, qui non fuerit nauus & iadustrius, & rusticarum rerum studio vehementer incensus: sic etiam, qui pecuariam faciunt, nisi fuerint in ea diligentes & attentì, minimum certè fructum ex ea curatione percipient: opifices item, qui non de multa nocte vigilauerint, neque tota mente operi, cuius artificium tenent, incubuerint, quid possunt efficere, quod sit in eo genere aliquo pretio & æstimatione dignum? quid mercator ignauus, num magnum aliquod lucrum facere aliquando poterit? quid miles, si piger & segnis extiterit, quam laudem fortis & strenui viri consequetur? Iam verò tota laus imperatoris in mira celeritate, vigilantia, & industria posita est; nisi enim vigilauerit, & laborauerit, & aciem mentis in omnes casus intenderit, & hostium consilijs occurrerit, & militaria etiã munera per se multis in locis obierit: nunquam decus sibi magnum & gloriam comparabit. Quid dicam de studijs artium maximarum? in quibus nemo vnquã progressus est, sine singulari studio, diligentia & alacritate. In diligentia igitur omnium artium, & disciplinarum, & officiorum laus, & (vt ita dicam) vita consistit. Si enim diligentiam

remoueris, iacebunt omnia, & quasi veterino confopita, in tenebris & caligine delitescent. Est enim otium, inertia, & lentitudo tacitum quoddam venenum, quo paulatim omnes virtutes infectæ languent, & laudes intereunt, & artes omnes præclaræ in obliuionem adducuntur. Sed illud est animaduertendum, cum diligentia in omnibus artibus, ad vtilitatem communem inuentis, tam necessaria fit, quò clariiores illæ sunt, eò acriorem diligentiam requiri. Rectè igitur Demosthenes assererat se molestissimè ferre, quoties opificum antelucana superabatur industria; illi namq; victus quotidiani causa laborabant: Demosthenes verò omnem laborem in sempiternæ gloriæ studio, & in Reipub. salute consumebat. Cum ergo in multo maiore arte versaretur, & longè maiorem fructum sibi proponeret, sapienter iudicabat: multò carius esse sibi, quàm fabris omnibus vigilandum. Si igitur constat omnium artium vim diligentia contineri, & quo ars præstantior est, eò acriore studio, diligentia colendam esse: nullamque in rebus humanis esse cum artis regiæ claritate & amplitudine conferendam: constat certè à nullo artifice, tantum acre studium, tantamque industriam atq; diligentiam iure atque meritò postulari. Sapienter Homerus,

*Fas non est regi tanta sub nocte soporem  
Carpere, cum tanta curarum mole prematur.*

Præclarè igitur Epaminondas. cum enim Thebani diem festum agerent, vinoque soluti sine vlla cura iacerent, Epaminondas solus vigilabat,



gilabat, & armatus concurrabat; quam rem agis (inquit quidā illi familiaris) tu solus publicæ voluptatis expers eris? ita sanè inquit ille: meum namque officium est vigilare, vt ciues mei securi dormiant; & à vino abstinere, vt illi sine vlllo metu perpotare valeant. Præclarâ certè vox, & tanto principe digna: intellexit enim vir ille summus, nihil esse magis principis officio consentaneum, quàm summam in munere suo perfungendo alacritatem, & vigilantiam: nihilque magis omnem principis dignitatem deformare posse: quàm somnum atque desidiam. Quid enim foedius & flagitiosius, quàm dum fabri, dum agricolæ, dum mercatores vigilant, solum Regem dormire? quid enim? num in maiore & clariore arte versantur? num grauius & difficilius munus exequuntur? num maiora illos pericula circumuallat? num cū maiore hominū pernicie delinquant? num postremò clarius & amplius sibi laboris sui præmium proponunt? non certè. Quid igitur indignius, quàm eo tempore, quo homines humiles & obscuri, omni plerunque metu liberi pecuniæ tantum gratia somnum capere non possunt: Regem, cui tantum onus impostum est, & quem tam multa pericula circumstant; qui hoc in se recepit, vt Rempub. ab omni calamitate tutam & incolumem conseruaret, & omnibus opibus copiosam & opulentam redderet; & cui sunt immortalia, si Rempub. bene gesserit, præmia constituta, ad multam etiam diem somnum producere? itaque hoc positum sit, & quasi quoddam publicum decre-

## DE REG. INSTIT. ET

tum in mente defixum remaneat: cùm pigritia omnibus turpis sit, tum regi maximam labem turbitudinis afferre, & flagitij sempiternam maculam, quæ nunquam deleri possit, inurere. Vt enim aliud nihil dicã, quid flagitiosius fingi potest, quàm magis amari pecuniam ab avaro, quàm à Rege regnum? amor enim operibus indicari solet. Cùm igitur avarus, ut pecuniam infinitam conciliet, quietè pati nequeat: cùm dies atque noctes, ut cupiditatem nefariam expleat, elaboret: cùm multis etiam se periculis exponat: quid esse potest indignius, quàm regem non regni tuendi cupiditate multò acrioribus stimulis incitari? satis etiam demonstrabit, si piger extiterit, se regni opes negligere, & patriæ minimè debitam voluntatem persolvere. Tria autem sunt, quæ Regis diligentiam excitare possunt, quibus si caruerit, erit regis nomine prorsus indignus, nempe fides, patriæ caritas, & religionis studium. Fides autem omnem vitam continet. Si enim nemo erit in vita, cui vel pecuniã, vel salutem, vel dignitatem credamus atq; committamus: si nemo, cui arcana nostræ mentis aperiamus, si semper nobis insidias fieri suspicabimur; vitam odiosam & infestam agemus, & assiduis curis atque molestijs afflictabimur. Cùm igitur multa scelera, passim ab improbis hominibus suscipiantur, nullum tamen est perfidia magis tetrum, infestum, acerbiorèque supplicio vindicandum; communionem enim tollit è vita, officiorumque vicissitudinem, & animorum securitatem: quibus sublatis, nihil re-

linqui-

linquitur, quam obrem quis velit viuere; mori enim multò fatius est, quàm in metu perpetuo, & in assidua curarum acerbitate versari. Nihil igitur ijs est, qui dignitatem & officium tueri volunt, & infamiam sceleris extimescunt, maiore studio, cura & sollicitudine colendū, quàm fides. quò autem res illa, quæ creditur, præstantior est, eò diligentius est fides præstanda. Nihil autem maius est, quàm salus hominum, quàm ciuitatum status, quàm nationum tutela atque patrociniū; à nemine igitur fides maiore studio & sollicitudine colenda est, quàm à regibus, nempè quibus innumerabilium hominum salus credita atque commissa sit. Cùm igitur Rex animo cogitauerit, quantum negotium sibi delatum sit, quantam prouinciā suscepit, quantum onus sustineat, quomodo totius Reip. status vigilātia illius innitatur, dormire certè non poterit: si enim, qui pecuniam debet, & nō omnem pudorem amisit, cùm soluendo præstituta dies appropinquat sollicitus est, quomodo fidem suā liberet: ne si ad diem non soluerit, quidquam de existimatione deperdat: quid regi faciendum existimamus, qui tantis debitis obstrictus est, ne si id, quod debet, minimè dissoluerit, infamiam sempiternam subeat? debet enim patriæ curam, sollicitudinem, vigilantiam: debet singulare & eximium cōmunis salutis studium: debet firmissimum vitæ præfidiū, munitissimumque ad pericula repellēda propugnaculū. Si igitur fidem sibi sanctè colendā existimauerit, & perfidiæ ignominia ptimuerit, ea cura satis illi diligentiam



DE REG. INSTIT. ET

tiam incitabit ad omnia munera pro patriæ salute alacriter exequenda. Quid de caritate dicam? Amor enim acuit ingenium, stimulos admouet, alacritatem incitat, rebus indormire non patitur; at boni ciuis & sapientis hominis est, caritatem patriæ priuatis necessitudinibus anteferre. Patriæ enim institutis & legibus in lucem editi, & humanitatis disciplinis excul- ti, & ad omnem rationē officij eruditi sumus: illa nobis parentes, illa cognatos, illa amicos donauit: illius beneficio non modò vitam, sed humanitatem retinemus: illa denique omnes rationes sanctissimæ necessitudinis, ambitu suo complectitur: illa incolumi permanente, nostra bona omnia facillimè tuemur: illa euerfa, concidimus, & omnibus bonis euer- timur: meritò igitur ab omnibus bonis san- ctissima quædam mater habetur, pro qua vitã ponendam censent. Quod si quilibet homo priuatus, maiorem caritatē debet patriæ, quàm propinquis, quàm liberis, quàm parentibus: ita vt vitam pro illius salutē profundere, in sum- ma quadam atque sempiterna gloria ponatur; quid Regibus faciendum est, cum sint ab illa summis honoribus ornati & amplificati, & in cœlestium numero quodammodo repositi? Quamuis autem omnia studia in illam confe- rant, nunquam tamen quidquam de caritatis studio remittent: quia intelligent nunquam se illi parem gratiam relatu- ros. Præterea quæ- admodum artifices excellentes, operibus suis delectantur: ita Rex in omni genere virtutis excellens, quò magis Rempub. conseruauerit, adiu-

adiuuerit, auxerit, eò ardentius illam amabit: fieri igitur non poterit, vt non excubet, vigilet, laboret, pericula subeat, omnesque pro illa contentiones impigrè suscipiat, & mortem etiam (si fuerit opus) libenter oppetat. Iam verò religio illum tantū munus negligenter obire minimè sustinebit. Intelligit enim is, qui purè & castè religionem colit, nihil esse Deo acceptius, quàm pro omnium salute labores ingentes excipere, atque cùm id communis vtilitatis ratio flagitauerit, propriam vitam patriæ largiri. Cernitis ne iam animo quantum, & quàm excelsum hoc munus sit; quàm sanctum, & quàm augustum Regis nomen? quàm diuinis virtutibus exaggeratum? nec enim cum mediocri virtute, res tanta suscipi potest. Diuina siquidem sapientia, admirabili quadam mentis altitudine, excellenti modestiæ concinnitate, cœlesti iustitiæ splendore, summa fide, summa caritate, incredibili vigilantia, studio, & industria opus est, ad tantum, tam præclarum, tamque diuinum munus obeundum. Diuinum, mihi credite, munus est, idcirco non humana virtute, nec humanis opibus: sed diuina virtute, atque diuinis opibus efficiendum. Est igitur Rex, si officio suo fuerit cum laude perfunctus, quasi quidam Deus in terris, singulari cultu, & veneratione dignissimus. Appellat Homerus Reges pastores populorum: eosque Iouis fatu procreatos esse dicit. Vtrumque præclare. nec enim armentorum, aut pecudum pastores tauri aut arietes sunt, sed homines: quantum igitur homines

brutis

## DE REG. INSTIT. ET

brutis animantibus, quorum curam gerūt, dignitate præstant, tantum consentaneum est, ut Reges ipsis hominibus, quos regendos atq; pacendos suscipiunt, antecellant: qui autem tantum inter reliquos homines excellunt, diuini profectò habendi sunt. non igitur immerito, Homerus regum genus ad Deum reuocabat. Vnde sequitur, nihil esse magis regium, quam studium religionis & sanctitatis: Regis enim virtus à Deo emanauit, & idcirco ad illius cultum, & gloriam est ardenti studio præcipuè referenda. Sed de religione alio in loco differemus, nunc verò, quod instat, persequamur. Cū igitur regibus omnes istæ virtutes, quas recensui, ita necessariæ sint, ut sine illis non possint vlllo modo officio suo satisfacere: sequitur, ut omnis eorum institutio sit ad eas parandas accommodanda: quod quidem plerumq; non fit, imò contra, multi dant operam, ut ne mediocri quidem virtus in illis emineat: vmbra-tilis enim & delicata vita non virtutem, sed ignauiam ingenerat; & cùm regius luxus & opes immodicæ, & amor insitus in natura, tantis lenocinijs atque blandimentis excitatus, multis errorem pestiferum obijciat, & indolem virtutis obruat, & extinguat: ita ut contra hanc temeritatem & insaniã sint animi Principū præclara quadam institutione fulciendi, & firmissima rationis præsidia cõparanda: longè tamen secus fieri solet. Accedit enim impurus hominum perditorū comitatus (ut diximus) qui per summū scelus teneri Principis imbecillitatem occupat, omniaq; præsidio humano atque diui



no nudat, illumq; multo magis temerariū, & insanum, & arrogantē, & infestum efficit, quā ipse sponte sua fieri potuisset. nō solūm igitur non errore vllō liberatur: sed in fraudem multo magis pestiferam eorū insidijs impellitur. Nunc igitur inquit T. videre cupio, quod tandem remedium his malis adhibeas. Non quidem, inquam, aliquod nimis recōditum, & exquisitum: sed id, quod cuius in mentem venire possit. Eò, inquit T. maiorē a nobis gratiam inibis, si remediū non salutare solūm, sed facile & expeditū attuleris. Quā salutare id inquam sit, postea apparebit: quā facile verò, statim iudicabitis. Quæro enim a vobis, si ægrotus, qui sese medico parum sapienti sanandum tradiderit, morbo minimè se leuari senserit, imò illis ipsis remedijs, quæ medicus imperitus adhibet, morbi vim augeri perceperit, qd faciendum censeatis alteri medico, qui illi primo successerit? Ego quidem arbitror curationem esse illi prorsus immutandā, contrarijsq; remedijs damnum, quod prima illa remedia fecerant, resarciendum; vobis si aliud videtur, aliam magis exquisitam rationem cōsiderate. Non ita sumus, inquit T. in medicina versari, vt aliam viam commodiorem excogitare possimus; sed quorsum hæc pertineant, intelligere cupio. Iam, inquā, intelliges, tenetis ne memoria, quam multa diximus, de molli & effœminatō Principū cultu? de mulierum delicijs atque blandimentis, quibus illos eneruant? de adulatorum malitia & improbitate, qua Principes oblectos tenent, ne possit vnquā ad illos

## DE REG. INSTIT. ET

illos probitatis atque virtutis lumen intrare. Tenemus inquit, omnia, quid deinde? Hanc quidem inquam, instituendi Principis rationem minimè probandam existimatis: sed tanquam tetram, & odiosam, & pestilentem reijciendam censetis. Nos verò, inquit ille. Reliquum igitur inquam est, ut contraria remedia huic tanto malo comparemus: ut sic tandem experiamur, an morbus hic depelli, hac tam facili ratione possit. Experire igitur, inquit T. ut sic tandem, quid magis rectum, & salutare sit, iudicemus. Non longius, inquam, faciam, hoc tamen in primis animaduertendum est, in omnibus artibus tradendis, esse diligenter naturam illius, quem erudire volumus, explorandam: ut enim quisque in genere aliquo disciplinæ, ad summam laudem perueniat, tria necessaria sunt; natura primùm, deinde ars, postremò studium & vsus assiduus. Plurimum enim refert, quali quisque ingenio præditus sit. Ingenium verò nisi certa quadam via & ratione dirigatur, quo maius extiterit, eò confidentius ruet, maioremque significationem temeritatis & inscitiae dabit. Ratio verò & ars atque disciplina, sine studio atque meditatione est prorsus inutilis: hoc tamen intelligi oportet, vix inuenire tam hebes, & tardum ingenium, quod non arte institui, & vsu atque meditatione acui & expoliri aliqua ratione possit; qui tamen ingenio maximo est, multò facilius discit, & multò citius ad perfectionem artis peruenit, & multò maiorem & vberiorè fructum de arte, in qua sibi elaborandum putat;

tat, studio & meditatione consequitur. Ut igitur de ingenio atque natura Principis, qualis optanda sit, in principio differamus; volo equidem, ut sit ingenio vehemens, & acer, & curiosus, & memoria firma præditus; qui multa quærat, multa peruestiget, multa scire desideret, & omnia, quæ audierit, in animo infixæ contineat. Sit deinde præter modum laudis appetens, non enim in puero virtutis perfectione, sed virtutis materiam quærimus. Quò autem animus natura ardentius laudem expetit, eò temperatione, quam recta ratio sancit, adhibita, maiores honestatis fructus percipiet. Modus autem, qui seruari in gloriæ studio debet: est animum vehementem multis in locis refrenare, & extimulare languentem. Facilius autem est animo vehementi, & impigro modum constitui, quam ex animi tarditate celeritatem incitari; malo igitur Principem, qui freno, quam qui stimulis indigeat. Sit deinde verecundus: in hac enim natura maxime viget honestatis & laudis appetitus, & infamiæ metus, & turpitudinis acris offensus. Volo etiam illum interdum ita paulò vehementius commoueri: magnum enim languoris & lentitudinis argumentum est, non acriter interdum irasci; vix autem fieri potest, ut qui animo lento est, acer in scelere vindicando sit, aut impigrè & animosè bellum comparet. Sit deinde lenis atque flexibilis, & ad morum disciplinam docilis, & ab omni suspitione peruicaciæ & obstinationis alienus; nulla enim bona spes de illo principe concipi potest, qui nimium sui iu-



DE REG. INSTIT. ET

ris est, & in opinione, quam semel recipit, animo ita obfirmato perseverat, ut ab ea nulla ratione deduci possit. Postremò optandum etià est, ut sit natura clemens, atq; benignus, & magis ad lenitatem & mansuetudinem, quàm ad iracundiam & acerbicatem propensus; clemètia enim & mansuetudo, & liberalitas, & reliquæ virtutes, quæ ex natura clemente oriuntur, regem maximè decent, & amorem summum conciliant, ipsumq; principem Deo simillimum faciunt. In primis autem danda opera est, ut regem habeamus ex egregia animi magnitudine, & singulari modestiæ laude temperatum: aliter enim nec illum hostes metuent, neq; ciues amabunt; magnitudo enim animi sine moderatione, furor immanis est, & odium acerbum concitat: moderatio verò sine animi magnitudine, negligentia quædam est, & dissolutio, & idè non sine ratione contemnitur. Ut igitur neque Rex odio haberi à suis possit; nec à perditis hominibus meritò contemni, utrumque necesse est: ut modestus atque temperatus sine vlla suspitione timiditatis, & fortis atque magnanimus sine vlla temeritatis infamia sit; harum autem duarum virtutum indoles atque materia in laudis appetitu, & ignominia metu posita est. Appetitus enim laudis animum maiorem & altiorem facit, metus autem ignominia pudorem & verecundiam confirmat. Hinc autem omnis causa rectissimæ voluptatis, atq; iustissimi doloris exoritur. Qui enim id assequitur, quod vehementer optabat, in voluptate sit necesse est: & qui incidit in id, quod

metue-

metuebat, dolore etiam necessario cruciatur. sic igitur fit, ut qui natura magnanimus atque verecundus est, laudis incredibili voluptate capiatur, & ignominia atque dedecore mirum in modum crucietur; voluptatis autem cupiditas sic est in nostris animis insita, ut euelli nequeat: sic etiam doloris metus in nobis insidet, ut demi non possit: hoc tamen ratione & disciplina fieri potest, ut futilis & inanis voluptas, alterius voluptatis compensatione respuatur: & dolor etiam corporis, maioris doloris metu, constanti animo toleretur: id igitur perficiendum est ijs, qui Principis instituendi curam suscipiunt, ut nullam voluptatem corporis, laudis & gloriae illecebris anteponant: nullum dolorem corporis magis, quam ignominiam & dedecus extimescant. Sic enim fiet, ut omnis illorum cura & studium in honestate paranda atque fruenda consumatur, & illius colendae atque retinendae gratia mortem etiam, & omnem corporis cruciatum pro nihilo habendum putent. Sed antequam de institutione animorum plura dicam, aliquid etiam est de corporum constitutione dicendum. Nec enim tutum est virtutem corpori agro & imbecillo committi; multae namque atque praeclarae virtutis functiones corporis ministerio sustentur. Persae quidem olim aliquid coeleste atque diuinum in Regibus inesse statuebant: & ideo enixè operam dabant, ne quid in eorum forma & specie deforme & indecorum appareret: si quid igitur in Regum filijs erat prauum atque distortum, daba-

DE REG. INSTIT. ET

tur ea cura certis mulieribus, quæ, dum corpora erant tenera, & emendari poterant, ea quodam modo fingerent, & ad rectitudinem sensim atque leniter reuocarent; indignum enim censebant regis nomen, apud illos sanctissimum, aliqua corporis insigni prauitate deformari. Aethiopes olim, qui supra Aegyptum habitabant, eum Regem eligebant, qui omnibus proceritate corporis anteiret. Ius enim esse statuebant, vt is tantum omnes dignitate vinceret, quem natura specie & magnitudine præcellentem finxisset; cum autem animi magnitudinem intueri non possent, ad corporis magnitudinem oculos referebant. Ne Spartani quidem ab hac Aethiopû opinione nimis abhorrebant: cum enim Archidamus illorû Rex uxorem pusillam duxisset, eum grandi pecunia multarunt, quod illam mulierem sibi matrimonio copulasset, quam sperare poterat filios statura pusillos esse parituram; indignum enim Spartano imperio iudicabant, eum Regem habere, qui non corporis etiam magnitudine & dignitate nomen regium tueretur. Quam autem parum referat ad Regis officium, quantum Rex vel corporis specie, vel magnitudine præstet: in hoc tamen laudandi erant, qui in rege pulchritudinem vel proceritatem requirebant, quod iudicabant in Rege nihil deforme & indecorum, aut paruum & angustum esse tolerandum. Si igitur illos id in Rege offendeat, sine quo Rex officium suum facile administrare potest: quanto nobis diligentius animaduertendum est, ne aliquid sit in re-



gis corpore, quod illum à munere suo fungendo remoueat? quamuis enim Rex sit statura pusillus, qualem Homerus Tydæum fuisse memorat: aut parum specie venustus, qualem multi Herculem fuisse fingunt; non ideò minus hominum expectationi respondebit. At si fuerit imbecillus, & infirma valetudine præditus, nullo modo regni pondus sustinere poterit. Præterea corpus pusillum nullius industria crescere, neque facies deformis fingi denuò potest: at bona valetudo & corporis etiam robur est plerumque in manu nostra positum; possumus enim facillimè ab immodicis cibis abstinere, & corporis vires labore & exercitatione confirmare. Si placet igitur à lautissimis mulieribus, & ab hominib<sup>9</sup> vrbansissimis summa ope contendamus, ne regem nobis mollissimo cultu debilitent: non enim ignoratis, quantum momenti sit in omni rerum initio atque fundamento ponendum; qualia namque sunt rerum principia, tales plerumque exitus consequuntur. Videamus igitur, an impetrare possimus ab illis, ne nobis Regem cibis inferciant, ne fragrantissimis odoribus & vnguentis emolliant: ne immodicis delitijs & blandimentis effœminent, & eum sole colorari & labore etiam paulatim durari sinant. Non sum adeò inhumanus, vt velim principes nasturcio illo vesci, quod erat olim (vt est apud Xenophòtem) Persarum filijs oblonium; non tam exquisitam rationem roboris atque sanitatis habeamus, demus aliquid moribus, indulgeamus aliquid tempori, muliebri im-

becillitati aliquid etiam condonemus: ea tamen lege ne tantum operæ & studij in regesaginando consumant; non enim pullum anserinum, sed Reip. custodem nutriunt. Ciborum autem redundantia cruditatē efficit, vires debilitat, aciem mentis obtundit, languorem animis affert, desidiā, ignauiam, stuporem, tarditatem ingenerat: atq; postremò vitā breui temporis spatio consumit, si igitur nobis opus est custode sano atq; valēte, & ad mala præcauenda sagaci, & ad pericula propulsanda magnanimo: quid minus cōuenit, quàm eam adhiberi educationem, quæ morbos innumerabiles corpori, & tarditatem animo inferat, & quod longè miserius est, Principem insigni ignominia deformet? Nihil est enim foedius, & flagitiosius Principe ructante, oscitante, nauseante, somno desidiaq; languente. Cēsuit Plato nō potuisse virtutem tradi Siculis, & Italis eo tempore, quo ille eas oras peragravit: propterea quòd se bis in die extractis epulis satiarent; & rectè quidem censuit. corpus enim cibus expletum, saginaq; grauatum, non solum virtutis imperiū sequi minimè potest; verum etiam mentis altitudinem deprimit, indolemque totius honestatis extinguit. Accedit etiam illa deformitas, quæ in corpus ex nimio adipe & aruina redundat; abdomen enim prodigiōsè distenditur, labra tument, malæ fluunt, oculi obruuntur, aspectus hebescit, eoq; tandem species humana redigitur, vt non hominem, sed monstrum hominis te inueniri putes. Adde ponderis grauitatē, quæ vix

loco moueri potest. is enim , qui ex nimia luxuria saginam contrahit, mole sua grauissimè laborat: neque mancus solùm aut claudus, sed membris omnibus captus est. Quid dicam de misera seruitute? Illa namq; seruitus sola misera & detestabilis est, quæ abstrahit ab honestate, impotentiq; dominatu turpitudinè subire compellit; at ingluuies adeò morosa atque difficilis domina est, vt eo tempore, quo populivniuersi salus agitur, quãuis occasio rei benegerendæ instet, & vrgeat, hominem tamen à studio salutis cõmunis auertat, vt ventrem expleat, & turpissimè cupiditati satisfaciat. Ergo nec in bello, nec in pace potest aliquod honestũ munus exequi is, qui gulæ seruit: in media namq; muneris functiõe, insaturabilis abdominis imperio coactus, officiũ repentè deseret, totumq; se ad studiũ impurissimæ illius cupiditatis applicabit. Cùm igitur hoc vitium tantam malorũ vim in res communes inuehat, maximè aut cùm Principes opprimit; & cù tantum momentũ sit in omnib<sup>9</sup> principijs, vel ad honestè viuendum, vel ad turpiter agendum: caueamus diligentissimè, ne mulieres istæ, vel homines nõ multum ab illarum moribus abhorrentes, regem nobis assuefaciãt epulas semper intueri: hoc est, ne languidum & infirmũ, & tardum, & hebetem, & ignauum, & deformem Regem industria & vigilantia sua constituent; intelligantque tandem, omnem sanitatis atque firmitatis rationem esse in mediocri victu & in corporis exercitatione ponendam; quæ quidem vitæ ratio non solùm ad



DE REG. INSTIT. ET

sanitatem atque vires: sed etiam ad voluptatē necessaria est. nulla enim voluptas extare potest, nisi labor antecedit: nec enim cibus erit iucundus, nisi fames antegressa sit, neque ex potu voluptas vlla capitur, antequam antecedit sitis: extincta enim fame atque siti, comedendi etiam atque bibendi voluptas extinguitur. Quies verò quam potest afferre voluptatem, nisi prius corpus vel saltu, vel cursu, vel palæstra, vel ambulatione, vel quouis alio labore exerceatur? & ne omnia persequar, omne genus voluptatis desiderio præcedente conficitur. Darium illum, quem Alexander Magnus bis acie superauit, cum ex fuga defessus aquam lutulentam & cadaueribus inquinatam biberet, dixisse ferunt, se nunquam in vita bibisse iucundius: nunquam enim bibendo sitim depulerat, quam videlicet nunquam expectarat. Vnde colligitur, omnes, qui in summa rerum affluentia vixerint, si fuerint intemperantes, nullius voluptatis participes esse posse. Prætereà cum res humanæ non semper eodem statu maneant, eueniet fortassè aliquādo, vt Rex cogatur labores ingentes excipere, qui certè erunt intolerabiles ei, qui ita fuit à primis incunabulis institutus, vt nullum laborem sentiret, nullam iucunditatem perciperet, nulla ne minima quidem molestia afficeretur: omnes enim labores consuetudine leues, & faciles, & iucundi fiunt: at otiosis & delicatis asperari sunt, & perpeffu difficiles, nec vlllo modo tolerandi. si Rex igitur vmbra-tilis & delicatus fuerit, non solum nullam voluptatem percipiet:

cipiēt : sed intolerabili etiam dolore interdū  
 cruciabitur. Postremò intelligendum est, bea-  
 tam vitam non in cessatione , nec in otio isto,  
 quod homines quidam omni studio persequū-  
 tur: sed in honestis laboribus esse collocandā;  
 est enim humana natura quietis impatiens, vs-  
 que adeò , vt si nobis omnia ad vitam suauissi-  
 mē degendam suppetant , ita tamen vt non li-  
 ceat nobis aliquid agere : id mortis instar esse  
 putemus, quod quidem in pueris facili mē ap-  
 paret; motus enim semper liberos requirunt,  
 & hūc & illūc curfant, & ludis laboriosis ob-  
 lectantur, à quibus auocati, querelis & plora-  
 tibus ostendunt, se non tantam ex cessatione,  
 quantam ex labore voluptatē percipere. Vul-  
 tis igitur experiri num his argumentis mulie-  
 res elegantes , & homines etiam lautos in ve-  
 stram sententiam traducatis, illisq̄ue persua-  
 deatis, ne Regem nobis multis delicijs emol-  
 liant : sed ad omnem laborem iucundē perfe-  
 rendum instituant? Quibus, inquit T. Illis in-  
 quam, quæ vel ad sanitatem & vires, vel ad  
 speciem & pulchritudinem, vel ad perferen-  
 dam voluptatem pertinent. Illa enim, quæ de  
 cura, vigilantia, sollicitudine (quam Reges de-  
 bent in communi salute tuenda suscipere) di-  
 cta sunt, ad illorum animos minimē permana-  
 bunt : ostendite igitur illis istam rationem,  
 quam excogitant Regis enutriendi, esse illo-  
 rum rationibus valdē contrariam; illa namque  
 valetudinem Regis affigi, speciem deforma-  
 ri, voluptatem corrumpi, materiamque mul-  
 tis minimē ferendis doloribus incōsideratiss-

DE REG. INSTIT. ET

simè præberi. Hæc quidem de corporis exerci-  
tatione dicenda prius arbitratus sum, nunc ad  
animi cultum redeamus. Hic quanta sit adhibē-  
da cura & diligentia, quanta vigilantia, quan-  
tis precibus Dei numen, & quanta religione  
placandum, nemo consequi dicendo poterit,  
vt enim agricolæ in teneris plantis omnem di-  
ligentiam consumunt, postquam verò arbores  
exurgunt, & grandiores fiunt, multum de stu-  
dio colendi remittunt, quia vidēt illas iam se-  
se ipsas faciliè trunci robore & firmitate tueri:  
ita qui hominum culturam suscipit, quandiu  
teneri animi sunt, & faciles ad opiniones, quas  
in illorum mentibus inserere velis, accipien-  
das: omni tunc studio, & diligentia in illis co-  
lendis, & rectissimis opinionibus imbuendis,  
intentus esse debet; postquam verò virtus ad-  
ulta fuerit, verissimæque laudis suauitatem  
gustauerit, tanta cultura non indiget: ipsa nã-  
que honestas per se, suis illecebris inuitata cre-  
scit, & fructum Reip. salutarem profert, & in  
reliquis quidem pueris instituendis, non ita  
multum refert, qualis illorū cultus atque dis-  
ciplina sit, & illorum cupiditates multò faci-  
lius tenentur: non enim tam multæ insidiæ con-  
tra illos comparantur, & eorum libido non ita  
faciliè potest ad perniciem Reip. totius erū-  
pere; at in regis virtute, omnis Reip. florens sta-  
tus atque beatitudo consistit, & multò diffici-  
lius est illius animum regere, cum opibus sum-  
mis efferatur, & adulatorum insidijs oppressus  
sæpenumerò sit; & illius libido, cum plerum-  
que immanis & infinita sit, Remp. perturbet,  
atque



atque labefactet. Nec enim reges, cum delin-  
 quunt, mediocriter delinquant: quod enim po-  
 tentia maior, & licentia solutior est, eò cu-  
 piditas illorum violentius feruet, & maiore  
 bonorum omnium stragem efficit; si igitur, ut  
 antè diximus, ad populum regendum atq; mo-  
 derandum summa sapientia, singularis conti-  
 nentia, admirabilis virtus, & summa laus æ-  
 quitatis, & iustitiæ, cum industria summa re-  
 quiritur: nec enim mediocri virtute, neq; me-  
 diocri diligentia tantum munus obiri atque  
 sustineri potest, quid euenturum suspicamur,  
 cum summa temeritas & iniustitia, cum sum-  
 ma decoris totius negligentia & obliuione, in  
 animū Regis inuaserint? necesse profectò est,  
 omnia tunc permisceri, atque perturbari, &  
 indignissima clade consumi. Nihil est igitur  
 in tanta re negligenter, nihil dissolutè geren-  
 dum: nullum enim mediocre erratum in pri-  
 mis regis disciplinæ rudimentis committi po-  
 test; multa enim in principio leuia atque ludi-  
 cra putantur, quæ tandem magnum malorum  
 omnium pondus, cum multis lachrymis impor-  
 tant. Nec enim cogitandum est, quàm parum  
 Reip. nocere possit regis pueri negligenter e-  
 ducati flagitium: sed quantâ pestem sit illi re-  
 gis libido, postquam adoleuerit, allatura; quò  
 igitur munus est amplius, & insidiæ plures, &  
 periculum grauius: eò diligentius instituen-  
 dus, fingendus, & informadus, & ab omni tur-  
 pitudinis contagione custodiendus est; in pri-  
 mis igitur ex omni Repub. homo grauis, & sa-  
 piens, & omni virtute ornatus eligendus est, qu  
 illi

DE REG. INSTIT. ET

illius affectiones regat atque moderetur. Is autem in eo industriam suam consumat, ut in rege puero, quantum fieri potest, indoles virtutis & moderationis emineat. Sæpè enim iam diximus, omnem qui vir magnus futurus est, his duabus virtutibus, nempe animi magnitudine, & modestiæ laude imprimis ornandum esse. Cùm autem omnis immoderata cupiditas, tribus modis frenanda sit, nempe timore, lege, atq; disciplina; & puerorū ætas tenera nō possit legib<sup>9</sup> alligari, disciplina verò robustior etiam animū, & ingeniū cupiditate maximarū artium incensum desideret, reliquum est, ut pueri solū metu contineri debeant; Metus autem duplex est, vnus dedecoris & ignominia, alter doloris & acerbitatis: vterque autē metus est, cū opus ita fuerit, abijciendus; opera tamen danda est, quantum fieri potest, ut regum filij non tam virgarum, quàm ignominia metu coerceantur. Doloris enim metus cū extra modum procedit, frangit atque debilitat animi vim, & à studio dignitatis abstrahit; metus autem ignominia, continet indolis excellentis indicium. A principio igitur sic Principes institui cupio, ut rarò virgarum formidine, sæpissimè autem infamiae timore à flagitio reuocentur, cū verò simus omnes natura ad voluptatem propensi, maximè autem pueri, omnis eorum disciplina, quantum illius ratio patitur, est voluptate condienda; ea autem ratione *παίδεια* à Græcis appellatur, à Latinis item ludus, illa puerilis institutio, quia per ludum quodammodo traditur & inculcatur, ut  
 facilius

facilius in eorum animis imprimi & insculpi possit. quod quidem eò diligentius in principum institutione faciendum est, quò eorum fastidium est magis delicatū: ita vt maiore quodam artificio sint in officio continendi; vt igitur doctores (inquit ille poëta summus) crustula blandi, dant pueris, elementa velint vt discere prima: ita Regum filij, dulcedine laudis alliciendi sunt, vt velint facilius ad officiū paulatim institui. Ad hūc etiam modum sunt ignominiaē timore à flagitio deterrendi: istamen modus seruandus est, ne vel nimia laude inaniter efferantur, vel nimia vituperatione frangantur, & spem dignitatis abijciant. Nec enim arrogans & insolenter elatus, nec abiectus atque demissus animus poterit vllō modo in Regia dignitate versari, omnis igitur institutio ad regiam dignitatem, & amplitudinem conferatur. Quemadmodum igitur (vt ante diximus) pueris, qui opifices futuri sunt, vtile est illis ludis oblectari, quibus ad artem illam percipiendam magis prompti & expediti sint: sic etiam, qui Rex futurus est, in pueritia ludendo discat æquitatem, discat liberalitatem, discat modestiam, discat virtutem, & aliquod honestum certamen ineat, ex quo laudem aliquam sibi vendicare conetur. Caveatur autem diligentissimè ne fabulas quidem audiat, quæ ab hoc instituto nimis abhorreant; sed omnes ita compositæ sint, vt ex illis etiam intelligat iniuriam & iniquitatem esse rem tetram, odiosam & detestabilem, sempiternoque supplicio vindicandam. petulans & obscœ-



DE REG. INSTIT. ET

num verbum ex ore illius non exeat; imò cum alios obscœnè loqui perspexerit, id indignè patiatur. Ad quod quidem multū refert, quales sint nutricis mores. Vellem equidem in omnibus naturæ instituta seruari, quæ non minus Reginis, quàm reliquis mulieribus binas mammas attribuit, quibus filios, quos partu ediderunt, sui lactis vbertate sustentarent; sed quando tantum deliciæ atque perditii mores potuerunt, vt nō reginæ solūm, sed omnes fermè honestæ mulieres, illud dulcissimum matris nomen potius mallent cum alijs mulieribus cōmunicare, quàm laborē aliquem in nutriendo suscipere; id saltem cauendum est, vt non ea nutrix sit, quæ verbum petulans & obscœnum efferre minimè vereatur. Id enim, q̄ primūm puer infans arripit, perpetuò in illius animo infixum permanet. Quod si praua consuetudine infectus, obscœnè loqui didicerit, multa etiam cum obscœnitate & impudentia geret. Loquendi enim consuetudinem, mores & instituta vitæ sequuntur; leue namque & tollerabile flagitium illud videtur, quod in ore frequenter habemus. Et quamuis nullum aliud incommodum ex hac sermonis obscœnitate proueniret, quàm pudoris interitus; id tantum malum est, quantum verbis explicari non potest. Amisso enim pudore, totum etiam studium dignitatis & honestatis extinguitur; ad pudorem autem conseruandum, illud est etiam vtilissimum, vt non solū parentes summa pietate colat, & eorum offensionem valdè vereatur, neque solū magistrū

& pædagogum metuat; verùm etiam senes auctoritate, & prudentia graues in honore habeat; & ne in illorum offensionem incidat, se multis in locis; à concessis etiam iocis abstinere. Præclarè enim illud, quod est apud Xenophontem, ita enim Cyrum Magnum, cum mors instaret, loquentem cum filijs inducit, vt cum eos multis verbis ad omnem virtutem erudiret, tum præcipuè illis studium pudoris & modestiæ commendaret. ait enim, Patrijs quidem institutis & moribus sic institutus sum, vt semper natu maioribus, non fratribus solùm, sed omnibus ciuibus cederem via, sede atque sermone. Similiter autem ô filij sic vos à primis annis institui, vt ij, qui vobis antiquiores essent, vos etiã honore præcederent: ijsque tantùm vos præpositos esse putaretis, qui vobis iuniores essent. Non igitur nouum aliquid & inusitatum vobis præscribo, sed antiquum morem, & publicè receptum atque legitimũ. Hæc quidem Cyrus ille ( qui virtute sua à paruis initijs, ad tantam amplitudinem peruenit, vt imperium suum extremis Asiæ terminis definiret; & cui sanctæ literæ diuinæ virtutis testimonium dant; & cuius nomen ab Isaia multis antè sæculis quàm nasceretur, egregiè celebratum fuit) moriens filijs suis dixit, atque testificatus est. Nec enim regiæ dignitatis interitum fore putauit, si senes se coram filijs suis non abijcerent: imò in ea sententia fuit, vt censeret fieri non posse, vt filij sui regio nomine digni aliquando essent, si in prima ætate non senibus grauitate præditis assurgerent. Intelligebat

DE REG. INSTIT. ET

bat enim vir sapientissimus, maximum regie virtutis fundamentum pudore & verecundia puerili contineri. Pueris autem vtile esse regi, non regere: vereri alios, non metum incutere: assurgere senibus, non senum assentationibus inflari. Hoc igitur præceptum siue Cyrius liberis suis dedit; siue Xenophon ad effigiem institutionis regie atque legitime datum fuisse finxit, ego diuinum puto: quod tamen quantum à nostris moribus abhorreat, vos ipsi considerate. Theodosius Magnus Arsenium (virum eo tempore, eruditionis & eloquentie nomine florentissimum) Roma accersuit, vt filios suos Arcadium & Honorium imperij successores, omnibus optimis artibus atque disciplinis erudiret. Constantinopolim igitur profectus Arsenius prouinciam suscipit, & Principes docere incipit. Cum autem Theodosius quadam die vellet oculis cernere, qualiter filij sui erudirentur, ad illos ingressus est, eo tempore, quo Arsenius suum munus obibat. Offendit autem filios in solijs sedentes, stantem autem Arsenium: id videns Theodosius, ira grauissimè commotus est, filijsque præcepit, vt surgerent, magistro autem vt sederet, imperauit: deinde filijs ne vnquam coram magistro sederent, magistro autem, vt quoties ei videretur, eos verberibus caderet, nec vnquam in eorum erratis vlla ratione coniueret. Hac quidem vir ille fortissimus, & omni virtute ornatus, qui orbem terrarum imperio continebat, filijs atque filiorum doctori præscripsit, in quo quidem, si illi permansissent,

patris



patris certè vestigijs insistere potuissent, neq;  
 tantum naufragium imperij factū fuisset. Sed  
 cū pater bellis implicitus necessario abes-  
 set, & illi in potestate mulierum, & hominum  
 lautorum relinquerentur, euenit, vt magistrū  
 à se minis expellerent, & delitijs effoeminarē-  
 tur: ita vt nemo eorum posset ad laudem pa-  
 rentis optimi principis aspirare. Nos tamē eo,  
 vnde defleximus, redeamus. Cū igitur in prin-  
 cipis institutione magna verecundiæ ratio ha-  
 benda sit, ad eam verecundiam cōfirmendam  
 valdè interesse censeo, cōstipari regem homi-  
 nibus prudentia & auctoritate grauibus, quos  
 tanquam parentes vereatur, & magistri offen-  
 sionem metuere: ne si illum contemnere cœ-  
 perit, frustra in illo instituendo omnis labor  
 impendatur. Volo præterea scurris aditum in-  
 tercludi: intempestiuis enim iocis verecundiā  
 tollunt, & conuitijs multos homines hone-  
 stos exagitant: quorum vtrumque est nimis à  
 regijs moribus & institutis alienum. Est enim  
 boni principis vrbanitatem à scurrili loqua-  
 citate discernere: & ita delectari facetijs, vt  
 semper impudentiam atque petulantiam exe-  
 cretur; ita laxare animum festiuè dictis; vt con-  
 iuitia plectat, & maledicendi licentiam vlcif-  
 catur. Maledictum igitur ipse neque conijciat  
 vnquam in aliquem, nec ab alio conijci patie-  
 tur. Præterea mendacium odio maximo perse-  
 quatur opus est is, qui est ad magnam nominis  
 regij laudem peruenturus. Est enim veritas bo-  
 num stabile atque sempiternum Deo gratissi-  
 mum; ad amorem hominum alliciendum ap-  
 P tist-

tissimum, ad præsidia comparanda firmissimum. Omnes enim se illi libentissimè tradunt, quem sperant summum vitæ discrimen potius aditurum, quàm aut datam fidè violet, aut mendacio quempiam circumueniat. Mendacium præterea est, animi parui & angusti flagitium, omnia quantumuis leuia pericula metuentis. Omnes quidem natura veritatis appetentes sumus, eamq; summa diligentia peruestigandam arbitramur, eoq; studio ducti pro veris verisimilia interdum libenter arripimus. Magnum profectò signum est nihil esse magis aptum humane nature, quàm veritatem, quòd illius etiam fallaci specie delectemur. Quàm turpe autem mendacium, quàm indignum hominis præstantia sit, ex eo liquet: quod ij etiam qui sæpè mentiuntur, maximum laborem, atque solitudinem in mendacio concinnando atque cælando suscipiunt, manifestoq; deprehensi vehementer erubescunt. nunquam certè eos mendacij puderet, nisi vi naturæ victi iudicarent, foedum atq; flagitiosum esse mentiri. Si igitur omnes natura veritatem exquirimus, & mendacium turpitudini semper affine iudicamus; quid est, quod tam multos homines mentiri cogat? nihil aliud profectò, nisi metus. Omnes enim, qui mentiuntur, aut pœnam, aut incommodum, aut offensionem, aut aliquid aliud eiusmodi pertimescunt; & ea de causa mendacij sibi perfugia comparant. Cùm verò metus hominum sit animi fracti, & abiecti, atque turpiter seruiantis ægritudo; in animos liberos, & excelsos cadere non potest: sed in

seruos

seruos furaces atq; fugitiuos, minas & verbera  
 metuentes Rex autem hoc nomine dignus es-  
 se non poterit, nisi fuerit animo magno & ex-  
 cello, omnia horribilia dignitatis gratia con-  
 temnente; & ita colligitur illum nulla condi-  
 tione adduci debere, vt mentiatur. Præterea  
 mendacij totius origo est in animi tenebris,  
 & amentia constituta. Animus enim lumine  
 mentis orbarus, ignorantiaq; tenebris & cali-  
 gine demersus, sibi ipsi mentitur, se ipsum fal-  
 lit, & in capitalē fraudem impellit. Cum autē ni-  
 hil sit amentia detestabilius; sequitur omne  
 mendacium esse detestabile. Quod enim à pe-  
 stifero fonte profluit, pestiferū sit necesse est.  
 Sed inquit multi, vt M. noster assererat, rei-  
 pub. rationes interdum postulare, vt Rex inue-  
 recundē mentiatur. Quo nihil flagitiosius di-  
 ci potest. Primū enim nulla utilitas est cum  
 turpitudine coniuncta: nec enim ea est utili-  
 tas appellanda, quæ multo magis nocet, quàm  
 iuuat. Qui autem utilitatis gratia mentitur,  
 nulla utilitate potest id, quod damni facit, re-  
 sarcire. Dignitatem enim, qua nihil in rebus  
 humanis præstantius est, amittit: vt vel pecuniā  
 auget, vel imperij fines dolo atque fraude, p-  
 pagaret. sic igitur fit, vt quod lucratus est, nō sit  
 cum eo, qd' amittit, vlla ex parte comparandū.  
 Vt enim, qui, vt stannū coaceruet, aurum atque  
 gemmas effundit, non est in re familiari dili-  
 gens existimandus: ita qui vt aliquod lucrum  
 faciat, dignitatem abiicit, nō utilitati seruire;  
 sed omnes utilitates euertere putandus est.  
 Qui autem mentitur, dignitatem suam abiicit;



## DE REG. INSTIT. ET

auari enim atque perfidi, & iniusti famam col-  
 ligit: nullo igitur modo mendacium utilitatem  
 constituit: sed magnum potius detrimentum  
 sibi, atque rebus suis importat. Quid illud? quod  
 etiam ea, quorum cupiditate is, qui nimis uti-  
 litatem respicit, desciscit à dignitate, frequen-  
 ter amittit. Præclare Aristoteles ait, falsum bo-  
 num in principio, verum malum esse, tempo-  
 ris progressu conuinci. Quàm falsum autem  
 bonum sit id, quod mendacio comparatur, ip-  
 sius mendacij nomen aperte declarat. Præterea  
 nihil stabile potest esse, quod non est hominū  
 fidelitate munitum. Qui autem fidem sanctè  
 non colit, non potest aliorum fide muniri. ne-  
 mo enim illi credit: sic autem fit, ut omnes v-  
 tilitates mendacio partæ, facillimè dissipen-  
 tur. Ut enim mercator, qui specie præsentis v-  
 tilitatis illectus aliquem fraudat, illud, quod  
 fraudulenter auertit, animo securo non possi-  
 det, & omnes sibi vias pecuniæ maioris inter-  
 cludit; nemo enim cum illo commercium ha-  
 bere vult, quem semel fidem violasse constat:  
 ita princeps, qui ut aliquam ad suas opes acces-  
 sionem faciat, mendacij turpitudinem subire  
 non metuit, nec illud quod fraude parauit, fir-  
 mo præsidio retinere poterit, & omnem sibi  
 in posterum spem amplioris utilitatis incidit.  
 Sed inquis, multos mentiendi artificio, fuisse  
 nomen sapientiæ consecutos. Verum id quidè  
 est, sed quàm falsa esset illa opinio, rerum exi-  
 tus comprobauit; illæ namque opes, quæ erant  
 nixæ mendacio, vastatæ sunt: illæquæ solùm sta-  
 biles atque firmæ permansère, quæ veritate  
fuerant

fuerant stabilitæ, quandiu veritas ipsa inuiolata permansit. At Lyfandri dictum de vulpis pelle, quam Hercules, vt dicebat, pelli leonis affuerat, vt argutum atque festiuum ridetur. Verum. Sed intra breue tempus illam dicti festiuitatem, & risum multæ ciuitatis illius, cuius Lyfander Princeps erat, lachrymæ consecutæ sunt. Postquam enim Lacedæmonij priscae virtutis atque simplicitatis obliti, illam astuti ducis calliditatem secuti, multis iniurijs socios alienauerunt, à socijs relictî; Epaminondæque virtute fracti ita conciderunt, vt nunquam post Leutricam pugnam pristinas opes, & imperium recuperarint. Idem de reliquis omnibus, qui dolis & fraudibus ad summas opes peruenere, iudicandum est. malè enim parata (vt est in veteri prouerbio) malè dilabuntur. Quem enim fructum (vt de reliquis sileamus) Principes illi, qui nostris temporibus mendacijs, & fraudibus vsi sunt, sibi aut rebus publicis attulerunt? sibi quidem perfidiæ & calliditatis infamiam, hominum odium & offensio-nem, Rebus autem publicis inopiam, egestatè, vanitatis exemplum, & flagitiorum omnium ex diuturna militum impunitate licentiam. ex quo sequitur, rationem imperij tuendi, & augendi totam esse in veritatis studio constitutam; omnes enim facilè deserunt eos Principes, quorum fidem suspectam habent, & ad eorum nomen, quos fideles esse vident, se libenter adiungunt. Postremò omnis beatæ vitæ ratio, vna veritate continetur. Cùm enim omnes homines beatæ vitæ cupiditate tenean-

DE REG. INSTIT. ET

tur, & ea in bonorum virorum copia constituta fit; sequitur, ut qui beati esse volunt, verissima bona summo studio consecrari debeant; falsum enim bonum, ut dictum est, verum malum esse constat. Omnes igitur qui ex mendacio & inanitate pendent, miseri sunt existimandi: ex falsa enim voluptate, verus dolor existit: ex honore falso verum dedecus exoritur; ex utilitate falsa vera perniciēs erumpit. vana igitur & inanis species illudit hominibus amentissimis, eosque ita omni sensu spoliat, ut abiecta dignitate umbram fallacissimæ utilitatis sequantur: qui si splendorem, & magnificentiam, & utilitatem, & stabilitatem verissimæ dignitatis oculis aspexissent, nunquam tā amentes fuissent, ut vllis opibus & imperijs illecti, honestatem contemnerent, nempe præ cuius studio vita etiam contemnenda sit. merito igitur plerumque & honestate, quam despexerunt, & utilitate, quam securi sunt, spoliantur; & dignas amentiaē pœnas luunt. Ut igitur ad Regem nostrum redeamus, cū nemo possit Regis nomen atque personam tueri, nisi sit & virtute magnanimus, & honestate splendidus, & fide firmus, & sapientia moderatus, & opibus veris opulentus: mendacium verò flagitium sit animi pusilli, & turpis & malitiosi, & amentis, omnibusque veris bonis euerſi: constat certè nihil esse magis Regis officio & dignitati contrarium. Sic igitur assuescat opus est à teneris annis Princeps execrari mendacium, ut appareat illū fore semper vanis hominibus, & perfidis, & fraudulentis infestū. quod si fecerit, adu-

latorum



latorum opes, quæ mendacio fulciuntur, labefactabit: & Deum, qui veritatis tutor & parens est, sibi coniunget. Obsidione igitur perditorum hominū liberatus, diuinoq; præsidio munitus cum summa facilitate vitam deget, & regnum faciliter administrabit. Maxima igitur institutionis regię pars in eo posita esse debet, vt intelligat à primis annis Rex, totius calamitatis & pestis initium esse in mēdacio & vanitate cōstitutum. In primis autem est regis animus religione imbuendus, & ad cœli conspectum frequenter excitandus; vt si fieri possit cum lacte nutricis disciplinam pietatis hauriat, nec enim impudēs, neq; pusillo animo præditus, nec iracundus, nec inhumanus, neq; mēdax, nec vlli deniq; flagitio affinis esse potest is, qui religionem vnice colit. Omnium enim virtutum fons & origo, & incrementū, & perfectio: deniq; & absolutio, vna religione continetur. Illius igitur fundamētum est à primo statim ætatis initio ponendum, vt facilius omne genus virtutis extrui & exaggerari possit; præcipuè autem Regibus, quo munus illorum altius & difficilius est, & magis ad dignitatem diuini muneris accedit: ita vt, quemadmodū ostendimus, sine diuina virtute obiri nō queat. quò igitur magis Rex ætate progressus fuerit, eò magis intelligat se diuino beneficio susceptum fuisse, vt in terris vice illius sempiterni Rectoris imperium gereret; cū igitur diuinum munus administret, diuinis opibus atque præsidiis indigere. Neminem vnquam Principem magnum, bellorumq; omnium victorem,

ctorem, sine diuino auxilio fuisse; Deum namque solum esse, qui mentem dat, qui animum confirmat, qui opes elargitur, qui fraudes intestinas comprimit, qui hostium impetum retundit, qui victoriam omnibus, qui pietatem & iustitiam colunt, & Rempub. virtute & vigilantia tuentur, cum magna nominis gloria concedit. Multum autem iuuabit ad religionis studium commendandum, eorum Principum, à quibus Rex originem ducit, res gestas & illustres victorias exponere; quas intelligat, non tam hominum viribus, quam armis diuinis partas fuisse. votis autem, & precibus cum magno studio pietatis adhibitis, opē numinis impetrasse. Discat tamen interim iniquitatem, & intemperantiam, & ignauiam atque desidiam, & reliquas animorum labe, esse Deo vehementer inuisas; ea autem ratione fieri, vt neque improborum, nec incontinentium, neque timidorum, neque inertium preces exaudiat. Omnibus igitur Principibus, qui cum illo summo atque sempiterno Principe amicitiam firmare velint, vtrumque necessarium est; vt integra vita sint, & laude fortitudinis excellant: aliter enim sine vlllo fructu, in religione procuranda laborabunt. Quamuis igitur ædes sacras ædificent, & dona ingentia templis offerāt, & Deum precibus assidue venerentur: si tamen scelus, quo sunt infecti, non detestati fuerint, & non omnem virtutem, & industriam ad Reipub. defensionem contulerint, Dei numen placare non poterunt. Prauā enim opinionem de nomine diuino concipiunt

unt ij, qui cum in iniquitate perseverant, illud tamen donis inflecti, & à seueritate ad lenitatem traduci posse confidunt. Qui enim hoc credit, Dei iudicium pecunia corrumpi posse credit; quo nullum grauius in Deum scelus excogitari potest. Rursus autem, qui à Deo postulat, vt sibi dormienti, omnemque laborem fugienti opes, & dignitatem, & omnia ornamenta conferat, iniquitatem Deo attribuit. Poscit enim vt præmia industriæ atque virtuti debita, ad ignauiam, & desidiam transferat, vt igitur agricola, qui neque terram arat & subigit, neque semen tempore spargit, neque denique diligentiam adhibet in agri cultura, frustra frugum copiam & vbertatem à Deo petit: ita Princeps, qui non summo studio in Rempub. incubit, neque, cum armis res gerenda est, diligentissime bellum comparat, sine vlllo fructu opem à Deo postulabit. Deum enim grauiter offendit, qui putat illum ignauix, & timiditati fore propitium. tantum enim abest, vt fœcordiã & ignauiam caram habeat, vt sit etiam omnibus timidis, & negligentibus, & in Rempub. gerenda dissolutis vehementer infensus. Caput igitur religionis est vitæ castimonia cum fortis & inuicti animi virtute coniuncta. Admonendi præterea sunt Principes, vt cum res secundæ sunt, tunc diligentius dent operam religioni atque pietati. vt enim, qui opem hominum, nisi in rebus perditis requirunt, & non se fidelibus amicitijs multò ante cõmuniunt, sæpenumero ab illis, quos sero sibi amicos parare contendunt, excluduntur: ita qui secundis



DE REG. INSTIT. ET

dis in rebus religionem negligunt, frustra sæpenumerò in aduersis opem diuinam implorabunt. Is enim, quem metus tantùm religiosum facit, ficto plerumq; animo ad placationẽ numinis accedit; & cùm primum tempestas, quæ illum terrebat, sedatur, religionis memoriam deponit, & ad pristina flagitia redit. Hac autem ratione fit, vt nõ semper Deum exoret. Ne id igitur regibus accidat, frequenter admonendi à pueritia sunt, vt tunc vel maximè, cū res ad voluntatem fluunt, Deũ sanctè venerentur: intelligantq; nihil esse Dei amicitia, nec ad nominis amplitudinem clarius, nec ad opes firmandas vtilius. Discant autem à rectoribus suis, multa quidem esse dona atq; munera, quibus Dei gratia conciliari possit: sed nullũ esse iustitia, & humanitate præstantius. Principem enim, qui nunquam ius & fas vllò modo violauerit, omniaq; studia vitæ ad populi salutem contulerit, amicitia profectò cū summo illo Domino & optimo parente foedere sempiterno confirmaturum. Audiant etiã Deum semper præsentem esse, & per omnia commeari, & ea etiam, quæ sunt densissimis occultata tenebris, intueri. Valet enim hoc multum & ad pudorem, & ad vitæ puritatem, & animi constantiam. si enim cùm nos oculis hominũ notari posse suspicamur, cupiditates omnes continemus: certè multò diligentius, cùm cogitauerimus nos Dei aspectum effugere non posse, nos ipsos ab omni flagitio & turpitudine reuocabimus. Religionis igitur studium cõtinet verissimam iustitiæ, virtutis, humanita-

tis,

tis, pudoris, honestatis & constantiæ disciplinam. & idcirco nihil est principibus tanto studio, cura, & assiduitate tradendum, & inculcandum. Perficiendum est etiam, ut paulatim intelligant, quantum religio à superstitione inter sit, atq; differat. Superstitio enim est inanis metus numinis, cum animi quadam imbecillitate coniunctus: Religio verò, cultus Dei sanctissimus, illius maiestati debitus, animum simul & pio quodam timore deuinciens, & inuicto robore confirmans. Qui verò nimiam religionem vituperant, non intelligunt se, quod est superstitionis proprium, religioni tribuere. vera namq; religio non est anilibus curis implicita: non inani formidine cõturbata: non diffidentia quadam fracta & impedita, quò minus opem diuinam sibi in tempore ad futuram confidat. Quod enim rectum & honestum est, acutius videt, & fortius suscipit, & constantius exequitur, & feliciter absoluit: nihil enim sine diuino consilio, & ope, & gratia molitur & efficit. Cùm verò ad ætatem peruenerit, quæ iam est habilis ad pueriles saltem disciplinas capiendas, summo studio & diligentia magister querendus est, qui nec indoctus, nec infans, neque quod caput est, immoderatus sit. Magistrorum enim vitia, discipulos quasi quadam lue, & pestifera contagione contaminant. Quantus vir fuerit Philippus, Alexandri Magni pater, omnes norunt, qui Græcam historiam legunt. Virtutes autem, quibus ornatus extitit, eo tempore, quo obles traditus Thebanis fuit: a viro summo Pythagorico, cui simul cum

DE REG. INSTIT. ET

Epaminonda operam dedit, & ex æmulatione Epaminondæ didicit; Pater enim Epaminondæ, cum esset Thebis summa auctoritate præditus, illum communi suffragio totius ciuitatis asseruabat. Quamuis igitur Philippus multis laudibus abundaret, nescio an quidquam fuerit in illo maiore laude dignum, studio illo, quod in Alexandro instituendo & erudiendo posuit. Cum enim Alexander ortus esset, ad Aristotelem scripsit, se non tantas dijs gratias agere, quòd filium ex vxore Olympia suscepisset, quàm quod eo tempore suscepisset, quo posset ab illo clarissimis disciplinis institui. Nec solum id scripsit, sed re etiam præstitit. Ex Aristotelis igitur disciplina tantus vir euasit Alexander, vt orbem terrarum imperio suo subiugaret; aut vt rectius dicam, innumerales orbis terrarum nationes, à morum feritate, ad humanitatis cultum imperij sui mansuetudine & lenitate traduceret. Optimorum namque principum victoriæ ipsis etiam victis salutem afferunt. Res enim illorum perditas recreant, & mores atque disciplinas conferunt, & tyrannides vbique delent, & innocentia patrocinium suscipiunt. Quod cum Alexander præstitisset, eueniebat, vt carior interdum victis, quàm ciuibus suis esset. Victi enim illius clementiam amabant, ciues autem virtuti illius inuidebant. Quod nunquam euenire potuisset, nisi doctissimus vir Aristoteles, Alexandri naturam acrem atque vehementem, & studio omnia vincendi mirabiliter inflammata, multarum rerum cognitione, & disciplinarum  
 humani-



humanitate moderatus fuisset. Sæpe enim iam  
 diximus, animi vim & acrimoniam, sine mo-  
 destiæ temperamento furorem esse, non virtu-  
 tem nominandam. Si igitur Alexander Aristo-  
 teli operam non dedisset, tantas victorias ob-  
 tinere minimè potuisset; nec optimus impera-  
 tor & Rex: sed fulgur, & fulmen, & Græciæ pe-  
 ftis appellandus esset. Quod quidem vbi pri-  
 mum à doctoris institutis & placitis desciiuit,  
 facilè declarauit; ea namque furoris & ametiæ  
 signa dedit, vt si in eo perseuerasset, omnia in-  
 temperantia sua peruertisset. Quam diu verò  
 doctoris instituta persecutus est, nō plura vir-  
 tutis, quàm humanitatis vbicunque vestigium  
 impressit, monimenta constituit. Vellem igi-  
 tur vt aliquem Aristotelem, si fieri posset, eli-  
 geretis, qui Sebastianum optimis artib<sup>9</sup> atque  
 disciplinis instrueret; & ad omnia officia opti-  
 mi principis & moderatoris erudiret. Quia  
 verò difficilimum est magistrum Aristoteli pa-  
 rem inuenire, id saltè curate, vt magister, quē-  
 admodum ante dixi, & doctus & disertus, &  
 moribus rectè constitutus sit. In omnibus au-  
 tem pueris instituendis, non solùm doctorum  
 imperitia: sed etiam arrogantia summopere  
 detestanda est. multi enim sunt, qui in Gram-  
 maticæ rudimentis ingenia puerorum Gram-  
 maticorum subtilitatibus obtundunt, & am-  
 bitione quadam inflati, dum se ipsos ostētant,  
 fastidio pueris sunt, & illorum odium in lite-  
 ras accendunt. Fit igitur sæpenumerò, vt pri-  
 usquam pueri aliqua literarum suauitate alli-  
 cī queant, tantum in illas odium, & tam imma-  
 ne con-

ne concipiant, vt nulla ratione possint ad illatum studiũ impelli. Principis igitur magistro maximè curadum est, vt illum, quoad fieri poterit, inutili labore leuet. Deinde vt necessarium laborè & laudis dulcedine, & nõ inutili sermonis vrbantate iucundũ efficiat. Deinde cauendum est, ne illi multos auctores interpretetur; sed paucissimos eosq; selectissimos, è quibus nõ solũ emendatè loqui & scribere discat, sed etiã multa percipiat, ad regium munus obeundum vtilia. Habeat igitur rationem ætatis, habeat vtilitatis, & tẽporis, ne aut pluribus præceptis illum oneret, quàm ætas illa ferre possit; aut aliquem auctore explicandum suscipiat, qui regni nullum fructum ferat, aut multũ tempus in Grammatica cõsumat, quod alijs etiam artibus tribuendum est. Si quæritis autem, quos illi auctores enarrandos censeam, ex historicis vel Cæsarem, vel Sallustium, vel Liuium deligendos existimo. Sunt enim in rerum gestarũ explicatione prudentes, & Romani sermonis elegantiam, & puritatem, cũ sententiarum grauitate cõiungunt; & quilibet in suo genere, summã eloquentiæ laudem consecutus est. Iam verò Cicero noster non solũ eloquentissimus, sed etiam optimus Princeps extitit: ita vt non solũ summus dicendi, sed summus etiam Reip. moderandæ magister habendus sit. Volo etiam vt Vergilij summum ingenium, & orationis magnificentia admirari discat, & Horatij etiam sententijs, & vrbantate delectetur. Quid ais, inquit T. poetas etiam vis regibus notos & familiares esse? an non dicebas;

bas, nō debere Principem vlla ratione eos, qui mentiuntur, in familiaritatem recipere? cūr igitur nunc poëtas admitti vis, cū summos mentiendi artifices esse constet? immeritō, inquam, hominibus eruditissimis atque summo ingenio præditis malè dicis. Non enim mendaces habendi sunt, qui solidam & expressam veritatem, fabulis aptè cōpositis imitari cōnātūr. Vt enim pictores cū animantium imagines delineāt, & illustrant, mendaces habendi non sunt; nec em̄ id faciunt vt illa, quæ extant, & eminent in tabulis, vera animantia esse credamus, sed vt quàm aptè vera animantia referant, cogitatione iudicemus: ita cū poëtæ aliquid versibus & oratione depingunt, cū non id agant, vt nobis id, quod scribunt, verū esse persuadeant, sed vt veritatis ipsius imaginem oculis penè subijciant, minimè vanitatis insimulandi sunt. id enim, quod receperunt, optima fide præstiterunt: id autem receperūt, vt hominum mores, bellorū tempestates, instituta ciuilia, virtutis amplitudinem, sceleris deformitatem verbis luculenter exprimerēt; & quò magis id, quod animis infigere volebant, firmitus & constantius adhæresceret: portenta etiam finxerunt, vt non solū amplissimo & dulcissimo, sed etiam admirando genere orationis vterentur. Ea namq; maximè animis imprimuntur, quæ simul cum iucunditate admirationem incutiunt. Non est autem mendaciū vel in imitatione, vel in imitationis amplificatione, sed in fraude, & in malitia constitutū. Is igitur tantū, qui fingit oratione aliqd,



DE REG. INSTIT. ET

vt lædat, & errorem perniciosum imperitis obijciat, mendax existimandus est: non is, qui faciem atque vultum rei alicuius exprimit, & vt magis, & cum maiore vtilitate intuentes oblectet, id quod vult, grandioribus verbis, & illustrioribus ornamentis exaggerat. Nō sunt igitur omnes poëtæ à Regis aditu repellendi; sed illi tantum, qui facile possunt Regis animum rerum turpissimarum imitatione deprauare. Sunt enim quidam petulantes, obsceni, molles, effœminati lasciuus & impuris carminibus animos à pudore & industria, ad libidinem & ignauiam turpiter auocantes, qui quidem quò dulciores sunt, eò peius nocent, & tanquam Syrenes quædam omnibus, qui aures illis præbent, perniciem & interitum moluntur. In rebus enim turpibus ille capitalior est, qui maius ingenium adhibet, quod in poëtis valdè perspicitur. Vt enim durum, & incultum, & ineptum carmen auribus, & animis aspernamur: ita concinnum & elegans libenter legimus, & ediscimus. Facilimè igitur lasciuus carminis venenum in animos influit, & elegantię suauitate conditum prius interitum dignitati affert, quàm aliquod remedium adhiberi possit. Quod si rectè philosophi statuerunt, omnes picturas, quæ possunt incitare & inflammare libidinem, esse à iuuentutis aspectu remouendas; quid est de carminibus lasciuus & obscenis statuendum? Est enim poema viua quædam pictura, multò magis animos, in quamcunque partem se contulerit, impellens, quàm omnes excellentium pictorū tabulæ; omnes  
igitur

igitur poetæ qui non honestatem, sed turpitudinem mollibus & lasciuis carminibus exprimunt, non ab aula tantum regia, sed à totius patriæ finibus exterminandi, & eijciendi sunt. Principibus autem illi tantum sunt enarrandi, quorum omne studium in regia virtute, & honestate describenda consumitur. Nec enim satis laudari potest id, quod Philippo filium eius Alexandrum quidam dixisse commemorant; cum pater de illo quæreret, cur nullum alium poetam nisi Homerum in manus sumeret; quia, inquit, solus Homerus mihi poeta regius esse videtur. solus enim regiam disciplinam tradit. Qua quidem sententia haud facile dixerim, magis ne Homerum laudauerit, an firmissimam spem suæ virtutis, atque futuræ claritatis ostenderit. Iam enim in ætate puerili sapienter admodum iudicabat, omnem otij iucunditatem disciplinæq; liberalis oblectamentum esse ad regiam virtutem & gloriam conferendum. Sed ut ad regem nostrum reuertamur, necesse est, si nobis per M. licet, qui palæstræ nimis infensus est, ut legem etiam Solonis obseruemus. Quam legem, inquit T. Eam inquam, quæ cum literarum studio palæstram atque musicam coniungebat. Omnem enim (ut iam ante dictum est) liberalem eruditionem ad duas illas virtutes, nempe animi magnitudinem, & moderationem referebat. Quavis autem magnitudo animi, spe proposita magni nominis excitetur, & clarorum hominum exemplis augeatur; mirum tamen est, quãtam alacritatem ad res acriter & animosè gerendas

DE REG. INSTIT. ET

fanitas, atque robur corporis adiungat. Vt enim corpus infirmum animi vires frangit atque debilitat: ita robustum corpus, animum acriorem reddit, multoque magis in omni labore & periculo confidentem. Est igitur corpus Regis cursu, saltu, palæstra, armorum exercitatione atque venatione firmandum; sunt illi nemorum lustra peragrandæ; sylvarum exitus difficiles explorandi, frigus, æstus, sitis, inedia, lassitudo, multaque alia incommoda eiusmodi perferenda; quæ quidem venandi studium paulatim facilia reddit. Hæc autem omnia quantam vim habeant ad bellicos vsus atque militarem disciplinam, vix explicari potest. Qui enim venandi studio tenentur, de multa nocte vigilant, insidias moliantur, saltus omnes obsident, alas scienter instruunt, cursu feras insequuntur, easque telo confodiunt; multaque alia facere coguntur, quæ non multum à bellicis laboribus, & disciplinis abhorrent. Sed cauendum, quod sapienter M. dicebat, ne dum nimis venationibus oblectatur, plus nimio duretur; & ex nimia sylvarum consuetudine nimis agrestis & immanis euadat. Est igitur, ut ad illam alteram laudem, quæ modestia continetur, simul erudiri possit, à syluis auocandus & humanitatis artibus excolendus. ut enim ex acuto & graui sono, medijs intervallis aptissima ratione coniunctis, dulcis concentus elicitur: ita ex animi robore & firmitate, & clementis naturæ lenitate, suavis quædam animorum symphonia, atque modi inter se mirificè concinnantes oriuntur. non igitur in-

commodè



commodè poetæ finxerunt, ex Marte atq; Venere harmoniam fuisse procreatâ. Mars enim acris animi vim atque robur: Venus autem animi clementiam, & suauitatem designat. Omnis autem virtutis elegantia, & naturæ concinnitas est in harum duarum virtutum modulatione constituta: vt quasi quibusdam musicæ medijs pro rata portione distinctis Martis acutus sonus, cum Veneris graui (vt ita dicam) sono, & humanitatis suauitate consentiat. Aliter enim animi status non poterit vlllo modo gratus esse Musis. Aut enim erit nimis acer & infestus, aut nimis lenis & dissolutus. Quod ne Regibus accidat, & illius vis & acris industria, musicæ etiam suauitate temperanda. Quid? inquit M. Musicam etiam Regibus perdiscendam censes? Ego verò inquam. Musicæ namque odium est barbaræ immanitatis argumentum. Nisi fortè probatis illam Atæ Scytharum Regis feritatem, qui, cum Ismeniam aulædum ad epulas canere iussum omnes, qui aderant, cum voluptate audirent, & magnis laudibus ornarent, testatus est, sibi multò iucundiorē esse hinnitum equi omnibus Ismenia cantibus. In quo quidem declarauit, sibi nihilo plus humanitatis esse, quàm in quauis immani quadrupede. Qui enim à musica alienus est, humanitatis expertus habendus est. Non igitur immeritò omnes summi viri, qui Respublicas condiderunt, ingenuam iuuentutem illa imprimis institui voluerunt: vt illius dulcedine molliti atque mitigati, facilius ad omnem laudem moderationis & humanitatis

## DE REG. INSTIT. ET

aspirarent. Lycurgi enim atque Solonis legibus, erant omnes adolescentes musicis eruditi. quod etiam in alijs Græciæ ciuitatibus, non mediocri studio fiebat. Aegyptios prætereo, & Hebræos, & alias nationes, apud quas hæc disciplina in summa laude floruit. Plato autē in *Repub.* quam finxit, ea iuuentutem ad humanitatem excoli præcepit, atque ad omnem rationem virtutis & honestatis paulatim institui. Aristoteles prætereà & alij quàm plurimi Philosophi, multa de huius disciplinæ studio sanxerunt, quasi de illo, quod valdè pertineret ad animorum cultum, & liberalem nobilitatis institutionem. Nam primùm quidem Musica continet honestatem, voluptatem, quæ quidem cùm valdè necessaria sit cunctis ciuibus, quod enim caret alterna requie (vt inquit Ouidius) durabile non est; tum imprimis Regibus, quorū assidui labores sunt aliqua suauitate atque incunditate leniendi. Deinde animum paulatim sedat & mitigat, & vim regiam moderatur, & ab immanitate ad humanitatem reuocat; qua quidem nihil aptius ad amorem conciliandum cogitari potest. Postremò, quod multo maius est, in cantibus discere possumus, quanta vis sit in legibus; quanta in ordine vitæ commoditas; quanta denique in animi moderatione suauitas. Quo tãdem modo? inquit T. Non vides, inquam, vocē sine modo profusam, esse dissonam & absurdam, audiendique sensum vulnerare? Video inquit; sed quid id ad legis & ordinis rationem facit? Multum sanè, inquam. ex eo enim intelligimus,

non

non esse suauitatem positam in vocibus, sed in lege, numero, atque modo, qui vocem moderatur. Ex quo facilius apparet, tum demum animum suauitate compleri posse, cum omnes suas partes habuerit modo, & ordine atque lege deuinctas, & inter se aptissimè congruentes. Immò tantò suauior erit animi concentus, quantò nobiliores sunt partes illæ, quæ musicæ numeris vincuntur. Si igitur tantum præstat vis animi vocibus corporis, quantum explicari non potest, ne explicari quidem poterit, quantum hæc animorum harmonia illam, quæ est in vocibus, suauitate superet, maximè verò cum vocis concentus repentè fluat, animorum verò harmonia constans & fixa permaneat. Non igitur solum Regi colenda musica est, vt animum à labore recreet, aut naturæ vehementiam leniat, atque temperet: sed etiam vt ex musicæ legibus intelligat, florentem atque beatum statum, in iuris & ordinis moderatione consistere. Duo autem vitia in cantibus Regi vitanda sunt; primum quidem ne dum vocis harmoniam studiosè persequitur; harmoniam animi temerè dissoluat. Nec enim tãtam gratiam à Musis inibit, leniorem harmoniam componendo: quantum offensionem illis afferet multò præstantiorem harmoniam dissipando. Nò intelligo, quæ dicis, inquit M. Iam intelliges inquam. diximus omne verbum petulans, & obsecro esse præstantia Regis indignissimum. Ea autem de causa poëtis lasciuus, & mollibus, & enervatis aditum ad Regem omninò præclusimus;



DE REG. INSTIT. ET

quò enim sententia poëtarum numeris astricta concinnior, & elegantior, & dulcior est; eò sunt lasciuui poëtae nocentiores ijs, qui sine carminis vllius venustate, impuris sermonibus vtuntur. Quid si vocis etiam suavis concentus accesserit? Tanta certè vis erit mali, vt sustineri non possit. Oratio enim contorta numeris, & musicæ viribus emissa, quasi vibratum telus, in animo vehementius adhærescit. Sic verò fit, vt cum sermo impurus noceat: molle atque lasciuum carmen animi statum labefactet: cantio flagitiosa animum perturbet: omnesq; virtutis neruos incidat. Nihil est enim ad animu commouendum & flectendu cantu atque numeris efficacius. Sapièter igitur Plato, cum videret mores immutari cum cantibus, seueras musicæ leges sanxit, atque prohibuit, ne quis quo vellet genere cantionis vteretur; id igitur tantum genus musicæ probat vir ille sapientissimus, quo vel Dei numen celebratur, vel virtus diuinis laudibus ornatur, vel clarorum hominum fortia facta referuntur. Memoriae traditum est, cum Alexander se Ilium contulisset, vt fortissimorum hominum, qui Troia expugnarunt, monimenta cerneret, & quasi impressa vestigia notaret: fuisse illi oblatam citharam Paridis, quæ ab incolis summa religione seruabatur. hoc ille donum reiiciens, Achillis, inquit, citharam inuenire cupio: Paridis cithara non indigeo. Præclara certè vox, Alexandrique virtute dignissima, qua significauit nihil languidum, & molle, & effœminatam, ne in cantu quidem & fidibus Regem de-

cere,

cere. Quare hominis flagitiosi, & adulteri citharam, qua ille Veneris impuræ dona atque munera canebat, aspernatus est: Achillis verò citharam, qua is, vt est apud Homerum, illustria fortium hominum facta celebrabat, se dignam existimauit. Ad hunc autem modum vellem, vt Reges omnem musicam lasciuam, & flagitiosam non solùm non admitterent; sed etiam ab omnibus patriæ finibus ablegarent. Vt igitur sermo impurus, ita lasciuum carmen & molles etiam in cantu flexiones, & falsæ vocolæ Regibus detestandæ sunt: illudque solùm genus musicæ illis colendum est, quod optimis verbis, & præclaris sententijs, & certa atque seuera cantus lege, & ratione cõficitur. Aliter enim si mollibus & lasciuis cantibus aures præbuerint, animi ordinem & conuenientiam peruertent, atque moderationis harmoniam dissoluent. Sic igitur dulcedine musæ fallacis irretiti, veram animi musicam euertent, & exemplo nequitix totam Rempublicam in magnum discrimen iniicient. Vt enim lentum venenum suauibus cibus admixtum, prius vitam eripit, quàm mortifera illius vis sentiri atque reprimi possit: ita turpes & effœminati cantus, prius Rempub. vniuersam pestifera tabe inficiunt, quàm malum, quod afferunt, ratione præcaueri queat. Hoc igitur vitium est Regi in musica maximè fugiendũ. Alterum vitium est, nimia opera in musicæ studio consumpta, quod etiam vitare debet. Nec enim est illi tantum operæ in illa ponendum, quantum illis, qui nihil aliud agunt. In vni-

## DE REG. INSTIT. ET

uersum autem omnes artes Rebuspub. vtilis & necessariae sunt, in Principum tutela & patrocinio constitutae: ita tamen ut quaedam nullo modo sint ab illis tractandae, quaedam vero mediocriter attingendae, aliae postremo summo studio colendae. Quae enim in fabrilis artificii versantur, indignae sunt Principis amplitudine & dignitate: quae autem honestum aliquod oblectamentum, & cognitionem nobilitate dignam continent; dignae quidem sunt regibus; non ita tamen, ut in illas tanquam in munus & officium sibi praecipue delatum, omne studium & industriam, & omnes curas, & cogitationes conferendas existiment. Aliae postremo sunt, in quibus omne regis studium consumi debet, nempe quae ad Rempub. tuendam & conseruandam, omnibusque bonis egregie cumulandam diriguntur. Musica vero neque fabrilis, neque sordida est: sed in primis honesta atque liberalis disciplina, non tamen ita splendida, ut in illius cognitione patrie salus atque dignitas collocanda sit. Est igitur ex illis artibus & disciplinis, in quibus mediocre studium regis erit, iure laudandum: nimium vero in summa vituperatione ponendum. Auertit enim animum a rebus gerendis, & efficit multo molliorem, quam salutaris seueritatis ratio postulat, & tempus, quod erat Reipu. tribuendum, in voluptate illa immoderata consumit. Merito igitur cantor ille laudari solet, qui cum Rex Philippus cum illo de solertissima modorum ratione disputaret, nunquam diu inquit, o rex, tibi tantum mali faciant, ut tu me canendi atque



que pfallendi artificio vincas. Acutè enim regis ineptam ambitionem, ad laudem, quæ Regis propria non erat, aspirantem fregit. Neque regitantum musica modicè colenda est; sed omni etiam nobilitati. Intra modum enim reprimit animi impotentiam & ad moderationem mirabiliter instituit; cùm verò extramodum procedit, emollit paulatim animos, & nobilitatem à studio sui muneris abducit. Hoc enim nobilibus impositum munus est, ut Rempub. armis atque virtute tueantur, & artibus omnibus, quæ ad regni custodiam necessariae sunt, instructissimi sint, quod efficere certè non poterunt, si nimiam operam in canendi artificio atque musicæ subtilitate posuerint. Hoc impulit Aristotelem, ut præciperet ciues institui eo genere musicæ, quod nec nimium studium, nec operam flagitaret. Tam seuera autem fuit olim apud Lacedæmonios musicæ disciplina, ut Timotheum Milesium, summum citharædum, quem ad erudiendam iuventutem asciuerant, eo solum nomine in exilium pellerent, quòd vnâ chordam septè chordis, quibus illi utebantur, addidisset. indignum enim statuebant, cùm musicam omnè ad animorum modestiam conferri vellent, id musicæ genus institui, quo ciuium animi paulatim ad mollitiem laberentur. Idem secutus Plato in legibus sanxit, ut genus musicæ non esset multiplex & effœminatum: sed simplex, & seuerum, & graue ad institutionem moderationis & virtutis accommodatum. Nos quidem in omni genere disciplinæ, volumus esse

DE REG. INSTIT. ET

in Republica artifices excellentes, quorum industria ij, qui mediocriter in ea versari volunt, erudiantur. Nec enim facile mediocris in re aliqua eruditio, nisi ab ijs, qui sunt artifices summi, percipitur. Hoc tamen dicimus summam canendi laudem Regibus minimè conuenire, neque aliud quidquam quod animos illorum possit à summo studio Regiæ dignitatis abstrahere: Musicæ tamen prorsus imperitos esse, minimè ferendum arbitramur.

LIBRI QVARTI FINIS.

DE

REGIS IN-  
STITVTIONE ET  
DISCIPLINA, LL  
BER QVINTVS.



HAEC autem, quæ de musica disputauimus, eò pertinent, vt dictum est, vt Regis animus possit honesta voluptate perfundi, & ad humanitatem paulatim institui, & quanta sit vis in legibus & moderatione, auribus iudicare. Sed illud est intelligendum, cum musica illa, quæ animorum Symphonia cõtinetur, sit multò iucundior ea, quæ in vocum & sonorum modulatione consistit, & ex ea, quæ modulatis vocibus constat, tam multæ utilitates oriuntur: illam certè, quæ animorum concinnitate perficitur, multò plures utilitates allaturam. Omnis igitur opera & studium, omnis cura & industria eò conferenda est, vt Rex moderationis atq; temperatię laudibus excellat. Ad hanc autem modestiæ laudem facilius comparandam, vix quidquam vtilius esse potest bonarũ artium disciplinis: acuum enim ingeniũ, mentemque ad veritatis notitiam instruunt, & ad honestatis considerationem egregiè viam muniunt. Continent enim ordinis, & modi, & conuenientiæ rationẽ, totiusq; dignitatis, quæ tota posita est in certa numerorũ dimensione,  
decus



DE REG. INSTIT. ET

decus & elegantiam. Qui igitur sine illarum præsidio modum & ordinem in vita cõseruat, opinione tantùm cæca ducitur; & ita facillimè potest perditorum hominũ machinis in fraudem impelli. Id enim tantùm in animo fixum permanet, quod est perceptum & cognitum, & constitutum, & firma atque stabili ratione confirmatum. Ergo quemadmodum is, qui sine recta morum constitutione, sapientiæ institutis viuere conatur, importuna vi libidinis ab eo conatu repellitur: ita qui sine certa ratione moribus honestis imbutus est, facilè potest à recto cursu dimoueri. Vtrumque igitur opus est ad vitæ constantiam: nempe recta morum cõstitutio, & artium bonarum cognitio; alterutrum enim sine alterius ope imbecillum est. Homo enim incontinens, qui ad bonas artes ingenium applicat, intelligit quidem artibus illis adiutus, nihil esse dignitate præstantius, illud tamen iudicium vi libidinis victus, diu seruare nequit: qui verò sine certo iudicio continens est, facilè poterit fallaci quadã specie voluptatis, aut vtilitatis abiecta, à studio honestatis abduci. Vtroque igitur modo fit, vt animus sit varius & inconstans, sibi que dissimilis, nec vnquam in vlla certa officij regione consistat. Pugnat enim sæpenumerò voluptatis aut vtilitatis species, cum honestate; tunc igitur animus illius, qui vel honestatem sine disciplina colit, vel sine studio honestatis sese ad præclaras disciplinas adiungit, quasi in bivio constitutus hæret, & dubitat, & se interdum reuocat, & hac ratione sæpè à recto sensu deduci-

deducitur. Quod certè non fecisset, si simul & bonis moribus ornatus, & optimis disciplinis excultus fuisset. intellexisset enim tunc nullã partem veræ & liquidæ voluptatis, aut vtilitatis attingere posse id, quod est ab honestate seiunctum. Quæ enim voluptas purior & constantior esse potest ea, quam ex honestate homines bene morati, & eruditi percipiunt? Cumulatur præterea gaudio animus illius, qui fuerat antè moribus & vita rectè constitutus, cùm disciplinis eruditus intelligit, id quod antea consuetudine faciebat, esse id, quod est pulchrum, & honestum, & naturali lege atque diuina sancitum. Si verò vtilitatem querimus, omnis profectò ratio vtilitatis est in veritatis cognitione (vt iam diximus) collocanda: at istæ disciplinæ caliginem paulatim dispellunt, tenebrasque discutiunt, aciemque mentis illustant; vt faciliè possit vera atque simplicia bona contueri: falsa autem & insidiosa modis omnibus aspernari. Cùm igitur artes præclaræ tantum valeant ad honestatis constantiam, Regemque conueniat summis honestatis opibus exornari, & dignitatem singulari constantia retinere: possumus ne quidquam elegantius, si per homines quosdam licuerit, excogitare, quam vt is artibus istis imbuatur, quibus facilius ad summum tandem regis virtutis gradum perueniat? Nihil, inquit T. si tantam vim habent artes istæ ad honestatem retinendam, quantum tu illis attribuis. Id quidem inquam, cerni iam poterit: primum quidem igitur censeo vt Rex Arithmeticam discat. Quid, inquit ille, tu

DE REG. INSTIT. ET

le, tu pro Rege nobis mercatorē institues? Mercatorem inquam minimè, sed Principē in rep. tuenda & administranda vigilātem. Nec enim Regis officio dignusest, qui numerare nescit. quomodo enim sine exacta numerandi ratione, exercitum in bello recensabit? quo ordine castra locabit? aut qua ratione pro numero militum aciem instruet, si numerandi fuerit imperitus? deinde quomodo præmia pro virtutis ratione distribuet? æquitas enim in præmijs atque munerib<sup>9</sup> rata portione & numero cōtinetur, ita vt sine Arithmetica iuris constantia conseruari non possit. Iam verò in pace, quam rationem vectigalium habebit is, qui numerandi artem prorsus ignorat? Vt enim paterfamilias domum suam tueri atque sustētare nequibit, nisi in re familiari diligens & attentus fuerit: ita neque Rex poterit vllō modo Rempub. saluam & incolumem conseruare, nisi vectigaliū rationem penitus explorata habuerit; aliter enim neque bellū mouere, nec vrbes munire, neque dignitatem tueri, nec hostes repellere, neque pericula propulsare poterit. Vt enim aliquod clarū facinus moliri velit, copiæ tamen illum in medio apparatu deficient; & ita cum magna & imbecillitatis, & temeritatis infamia superabitur. Sunt igitur illi, ne quidquam temerè moliatur, omnes pecuniarum & sumptuum rationes exactissimè putandæ; quod si non fecerit, omnia officia cōturbabit. Multa enim donabit indignis, multa denegabit ijs, qui sunt præclare de Repub. meriti, multa cū magno Reip. detrimento largietur,



tur, quod non mediocre flagitium existimandum. Nec enim par est, nec vlllo modo ferendum, vt quod est in reip. custodiam impendendum, in potentium hominum priuatos vsus, & magnificentiam odiosam & inuisam conferatu: nec vlla ratio patitur, vt vectigal rebus ferijs atq; necessarijs destinatum, rebus ludicris seruiat, & quod est populi fructibus ereptum, ad paucorum tyrannidem referatur; neque sit publicę salutis, sed intemperantissimę cupiditatis instrumentum. Ne autem tam indigna flagitia committantur, oportet regem esse in vectigalium ratione, & in tuendo erario vigilantem, quod quidem faciet, si intellexerit illam pecuniam non esse suam: sed publicam, sibi tamen creditam atq; commissam, ad populi ipsius, qui eam arrogauit, custodiam. Secus autem necesse erit, omnes regni opes ministrorum auaritia & improbitate auerti, comminui, dissipari, multa perditis hominibus condonari, multa per luxuriam & dedecus effundi, intolerabiliaq; tandem tributa populis imperari, & miseros homines infinitis incommodis affligi. Tres autem virtutes in rege, qui numerare nescit, locum habere non possunt; prima quidem est prudentia, altera iustitia, tertia liberalitas. Quod enim ad prudentiam attinet, quid amentius esse potest, quam presentem pecuniam sine vlla necessitate consumere, & cum necessitas vrget, absentem frustra requirere? Quid magis temerarium esse, quam inopia gazę furenter absumptę, totum regnum in summum discrimen salutis iniicere? Iustitia deinde intereat opus est.

DE REG. INSTIT. ET

est: Rex enim, qui Arithmeticam ignorat, non tenet vlllo modo rationem, qua pro virtutis magnitudine præmia diuidat; & vniuscuiusq; meritum ea, qua debet, muneris æquabilitate compenſet. Iam verò liberalitas nulla potest esse, vbi neque dantis facultas expenditur, nec accipientis dignitas æſtimatur; qui enim dat, quod non potest, stultus & amens est, non liberalis existimandus: qui verò munus aliquod elargitur indigno, flagitium hominis impuri temeraria largitione confirmat. Non erit igitur tunc vlla ratione liberalis æſtimandus: sed amens & flagitiosus iure atque meritò reputādus; nā si liberalitas virtus est, ea certè temeritati & flagitio affinis esse nō potest. Is igitur tantum liberalis est, qui & facultates suas respicit, & pretium rei illius, quam donat, expēdit, eam tamen summa voluntate virtutū meritis elargitur, & frugalitati etiam studet, vt bene de Repub. meritos queat debitis muneribus afficere. Neque hoc solū præstat Arithmetica, vt Rex & prudentiæ, & iustitiæ, & liberalitatis officio perfungatur: sed ad maiora etiam paulatim viam aperit. Esse ne potest, inquit T. aliquid virtute amplius? Est quidem inquam, status diuinus. diximus autem (si meministis) hominum pastorem, non hominem tantum esse debere sensibus humanis præditum: sed etiam diuinis instructum, ad rerum cœlestium considerationem; inde enim necesse est, vt similitudinem ducat, ad quam totam Reip. formam (quoad fieri potest) effingat. Ad hanc autem similitudinem diuinitatis arripiendā, necesse

necesse plerumque est, animum à sensibus auocari, & à cōsuetudine corporis abduci; vt possit ordinem & pulchritudinem earum rerum, quæ nullam in omni æternitate mutationem subeunt, intueri. Ad hoc autem mirum est, quantum valeat Arithmetica. Abstrahit enim paulatim mentem ab ipsis rebus, quæ sub numerum cadunt; vt ipsos per se numeros, sine vlllo respectu, ad res corporeas exactè cōsideret. Intelligit deinde facilius omnem decoris & dignitatis elegātiā, omnem mundi ornatū, omnem iustitiæ atque virtutis splendorem, numerorum lege atque ratione cōtineri. Quo tandem modo? inquit T. An non vides inquā, omne quod numeris astringitur, esse aptum, & venustum, & omnium ad se oculos & voluptates allicere? quod verò est numerorū lege solutum, esse foedum, & flagitiosum, & idè omnes illud & oculis, & animis aspernari? Quid est enim pulchritudo, nisi partium apta compositio, numerorum ratione deuincta? Quid est venustas in motu? Quid in voce dulcis concentus & harmonia, nisi numerorū prorata portione distinctio? Quid sanitas in corpore? nisi humorū certa numerorum lege, atq; dimensione consensus? Quid est denique (ne plura singulatim persequar) animorum concordia, virtutis elegantia, mundi quæ totius ornatus, nisi numerorum modus, quo non solū cohærent & permanent vniuersa, verū etiā ita concinna sunt, vt nihil in suo genere possit elegantius excogitari? Hæc qui diligenter animaduernerit, modum in vita conseruabit,



DE REG. INSTIT. ET

& ita Remp. reget, vt nihil in ea patiatur existere, quod non sit ad numerum reuocatum, atque certa moderatione definitum. Multi fuimus in Arithmetica laudāda, reliqua breuius perstringemus. Geometria sequitur, quæ eandem propemodum vim habet, & ad vsum vitæ, & ad vniuersæ naturæ cognitionem, & ad iuris constantiam: nec enim sine illius ope agri rectè diuidi, castra locari, vrbes edificari, arces muniri, iudicia constitui possunt. Si metiendi rationem sustuleris; & iustitiam & ciuium cōcordiam multasq; utilitates è vita tolles. Deinde quod de Arithmetica diximus, illa paulatim animum à cogitatione earum rerum, quas metimur, abducit, vt ipsam metiendi rationē, & modum, quo res singulæ terminantur, inspicat. Assuefacit enim mentem, res cœlestes atque diuinas intueri, & fœdus illud, quo omnia inter se cōnexa sunt, & quo cælū terris per media cum extremis aptissima ratione dimensis copulatur: admirari itaq; sentit cuiuslibet rei mensuram & rationem, modo atq; ordine terminatam, & cum reliquis naturis mirificè congruentem esse, quæ omnes mundi partes consensione deuincit, & amore conglutinat: ita vt ea sublata, necesse sit mundū ipsum funditū interire. Vnde percipitur omnem Reip. concordiam & stabilitatem iuris ordine, & equabilitate contineri. Quid hic dicam de illa disciplina, quæ astra contemplatur? an patiemur Regem nostrum tam præclaram artem ignorare? magno certè illum afficiemus incommodo, si tanto fructu nostra culpa caruerit.

Nec

Nec enim mediocris illa utilitas habenda est, quam animus capit, cum cælum suspicit, magnitudine immensum, splendore clarissimum, ordinata varietate pulcherrimum, constantia & stabilitate firmissimum. Itaque illius contemplatione fit animus altior, & moderatior, & in omni vitæ ratione constantior. Qui enim rerum cœlestium amplitudinem & immensitatem cogitatione peragrat, terrestrium Regionum angustias admirari non potest; & qui definitos siderum cursus, & ordinatas conuersiones ad numerum cadentes, quo cœlestia mouentur, mente cernit: facile sibi atque vitæ suæ modum constituit; & qui cœli firmam stabilemque naturam, in omni temporum varietate considerat, nulla rerum varietate, aut vlllo motu, de mentis statu deturbatur: assidua namque rei alicuius excellentis animaduersio, imitandi studium incendit: ita verò fit, ut qui cœlestia animis spectat, cœlestis etiam virtutis splendore colliceat. Accedit etiam admirabilis naturæ diuinæ cognitio, quam ex cœli contemplatione percipimus. Illud enim nobis quanta Dei potentia sit, quam singulari ornatu omnia distinxerit, quanta benignitate generi humano prospexerit, apertè demonstrat. Nostris enim utilitatibus omnia, quæ in cælo perfecit, seruire videmus. Ex cœlestium igitur rerum studio pietas extitit: inde benignitas exorta est: inde reliquæ virtutes extiterunt. cœli namque splendor, & ornatus, & utilitas, virtutis diuinæ imitandæ studiū incitauit, & homines amore immortalitatis incendit. Adde nunc eximiam

DE REG. INSTIT. ET

illam voluptatem, quam percipit animus supera atque cœlestia cōtuendo. flagramus enim omnes scientiæ cupiditate, & ea quæ latet obscuritate inuoluta naturæ, peruestigare nitimur, & ea de causa cū aliquid antea nobis ignotū cernimus, ingēti gaudio cumulamur, maximè verò cū ea, quæ euoluta perspicimus, magnitudine claritatis antecellūt. Non solū igitur cœli consideratio facit animos excelsos, & moderatos, & cōstantes, & pios atq; benignos: verū etiā homines summo ingenio præditos, voluptate quadam eximia permulcet. Vnde perspicitur hanc etiam disciplinam, esse maximè cum Regis amplitudine & dignitate congruentem. Illud tamen animaduertendum est, illum modum in his disciplinis Regi adhibendum esse, vt ex singulis ea tantūm carpat atque delibet, quæ magis necessaria sunt; vt illis tanquam gradibus, ad omnem rationem Regiæ disciplinæ, & diuinæ cuiusdam virtutis ascendat. Nolo vt in singulis insistat, vt illi faciunt, quibus nihil aliud est in vita propositum: nolo rursus eas negligenter attingat: negligentia namque est tarditatis, aut diffidentia, atque timiditatis argumētum. Qui enim non videt, quàm honesta hæc studia sint, hebes & stupidus: qui verò illa pulchra & eximia putat, eorum tamen cognitionem se assequi posse diffidit, ignauus & animo pusillo præditus existimandus est; quorum vtrum minus Regem deceat, haud facilè dixerim. Vt igitur minimè probo, multum tempus à futuro Principe in harum artium studio consumi; ita negligentia  
in tam



in tam honesta disciplina vitupero. Nihil est enim ab eo, qui vir magnus esse, & haberi velit, segniter & pigrè gerendum. Sed hic occurrit mihi illud argumentum, quo uti posse dicebas eos, qui minimè patiuntur Principes artibus ingenuis atq; literis infici. Si nō multū temporis (inquiunt) in earū studio contriuerint, aut eas minimè percipient, aut ea, quæ perceperint, è memoria confestim elabentur. Quod nō est ita: imò si non oīa ex singulis disciplinis, sed necessaria tantum; & ad vsum magis accommodata didicerint, omnes facillimè cum fructu & iucunditate percurrent, & quæ ex singulis hauserint, multò facilius memoria continebunt. Diligentiam igitur & acrem attentionem in istis artibus à Principe flagito: diuturnum verò in singulis studiū, valdè alienum Principis officio puto. Sapienter enim admonent viri doctissimi omnes, qui ad tractandam Rempub. accessuri sunt, ut orbem istarum disciplinarum ita conficiant, ut intelligant non esse præter modum in singulis immorandum. Perinde igitur, atque illi, qui ut multos hominum mores, & instituta cognoscant, peregrinantur, tantum temporis in qualibet vrbe consumunt, quantum sat esse putant, ad prudentiam ex multarum nationum facili notitia comparandam: similiter Principi tantum est è qualibet istarum artium sumendum, quantum sat sit ad egregiæ virtutis vsum, & ad regiæ sapientiæ disciplinam. Si enim omnes earum minutias, & subtilitates persequi voluerint, exitum nullum inuenient: si verò illarum mo-

## DE REG. INSTIT. ET

dum utilitate terminauerint, non mediocrem  
 utilitatem ex illis capient. Reliqui quibus est  
 maius otium, dent, si velint, operam, vt earum  
 perfectionem consequantur, quod facit hic  
 noster Franciscus Portugallensis. In Mathema-  
 ticis enim (vt de reliquis artibus sileam) tantum  
 progressus est, vt ad laudem Petri Nonij ( cui  
 parem & æqualem in artibus istis non noui-  
 mus) aspiret. Sed nos non de illis, qui abundat  
 otio, & qui non alio grauiore onere premun-  
 tur: sed de Regis disciplina & officio disputa-  
 mus. Regi igitur futuro has disciplinas traden-  
 das, & hac ratione tradendas existimo. Velim  
 deinde in ea se arte exerceat, quæ rem definiē-  
 do explicat, & in partes exacte distribuit, & ar-  
 gumentum ratione concludit, & consequen-  
 tia, & repugnantia videt, ambiguaque distin-  
 guit, & in omni sermone quid verum, quid fal-  
 sum, quid verisimile, quid absurdum, minime-  
 que probabile sit, animaduertit. Quam rem a-  
 gis, inquit T. ridens, regem etiam in Dialecti-  
 ca exerceri vis? ego verò inquam, si id mihi per  
 vos licuerit. Per me, inquit, minime licet. Nec  
 enim decorum est, vt is, qui principis personam  
 induit, importunam loquacitatem Sophistarum  
 imitetur, & clamet intempestiue, & aures ho-  
 minum obtundat, & veritati impudentissime  
 repugnet, vt ij faciunt, qui isti studio dediti  
 sunt. Quo quidem fit, vt ego illam interdum  
 non artem liberalem homineque ingenuo di-  
 gnam: sed impudentiæ atque fraudis discipli-  
 nam putem. Iam verò quid minus nostris mo-  
 ribus conuenit? aut quid esse poterit regiæ vir-  
 tutis

tutis candori atque simplicitati magis aduersarium? quomodo id igitur nobilitas vniuersa feret? aut quali animo id viri militares natura, & volúate literis infensi patientur? quare vide, ne si fuerit aliquo rumore disseminatum, te huius sententiæ auctorem esse, vt leuissimè tecum agatur, risum plerisque moueas, & omnium sibilis eijciare. Equidem, inquam, id metuens Dialecticæ nomē reticebam, vimque illius tantum indicabam; & tamen neque sic offensionem, quam vitare cupiebā, quiui efugere. Quod si te hominem literis & vrbani- tate limatum, & bonis disciplinis deditū hæc sententia offendit: quid ij facient, qui literas omnes oderunt? Quid facient? inquit ille. Profectò vereor, nisi ab ea destiteris, ne te tanquā publicæ salutis euersorem exterminandū curent, vel saltem, vt rusticanum hominem, & vitæ communis ignarum, ludis atque iocis exagitent. Quid inquam, non mihi afferetis opē? ne illud saltem ab hominibus istis impetrabitis, ne me indicta causa condemnent? Vereor inquit, vt difficile sit, vellem tamen scire, quibus argumentis adductus, censes Dialecticam artem dignam esse, in qua principes elaborēt. Num obliti estis inquam id, quod est inter nos firmè constitutum: omnem beatæ vitæ rationem in veritate consistere? Minimè inquit. Cùm igitur inquam, planè constet, beatam vitam viris bonis contineri, & huius vitæ beatæ rex effectus & architectus sit: omnem artem & disciplinam, quæ falsam speciē veritatis à veritate secernit, vtilē regibus esse confirmo. At



DE REG. INSTIT. ET

Dialecticæ hoc munus est, vt omnem sermonis fallaciam atque fraudem aperiat, & sophistarum insidias exploret, & veritatem demonstraret, eamque validis argumentis sepiat. Neque si multi eorum, qui hanc artem se tenere profiterentur, imprudentes & inepti sunt, eaque ad corroborandam imprudentiam sanè diligenter abutuntur, id cōtinuò artis vitium est, sed eorum, qui contra ipsius artis disciplinam faciunt. Artis enim huius munus est, lucē rebus obscuris afferre, confusa modo & ordine collocare, mendacium & vanitatem reprimere, veritatem argumentis firmissimis stabilire, rectamque rationem & sententiam valido præsidio confirmare. Ergo cū regis sit, odio acerbissimo mendaciū persequi, & veritatē summo studio & cōtentione tueri: quid magis illius muneris & officio consentaneū esse potest illa disciplina, quæ obsistit fraudibus, & mendacijs, & veritatē diligenter inquirit? nec enim solū in studijs artium maximarum occurrere solēt multa, quæ sunt impedimento, quo minus veritas explorari & perspici queat, verū tam in familiari sermone, quàm in consilio maximis de rebus initio sæpè rationes afferuntur, specie quidem probabiles, re autem vera fallacissimæ, quibus Reges impulsī fraudes capitales in Repub. gerenda concipiunt, quas vitare potuissent, si Dialecticæ armis atque præsidijs circumtecti fuissent. Præterea Dialectica est eloquentiæ fundamentum; rectè enim dicendi finis est, fidem facere; fides autem vi argumentorum, & copia exemplorum fit; Dialecticaverò do-

rò docet, vnde argumenta sumenda sint, qua ratione concludenda: quo etiam artificio exēpla tractanda: vsque adeò, vt sine Dialecticæ præsidio, omnis plerumq; oratio inepta, ieiuna, elumbis, & eneruata sit. At Regem minimè decet infantem esse: sed eloquētia non vulgari præditum. Ita ne censes, inquit T. Rhetoricā artem esse Regibus instituendis accommodatam? ego verò inquam, & id multis de causis. Primum quidem, quod nihil ineptum & stolidum, nihil nisi purum, & elegans, & ornatum in Regibus tolerandum arbitror. Vt enim nihil est in communi vita Regum amplitudine magnificentius; ita conuenit, vt nihil sit illorum cultu decentius & elegātius, maximè verò in rebus illis, quæ vi & vtilitate præstant. Quid autē esse potest oratione sententijs grauius, & verbis splendidis ornata & instructa vehementius? quid ad alliciendas voluntates, & animos impellendos vtilius? quid ad Reipub. multis in locis constituendam efficacius? est enim eloquentia dicendi prudentia. Rex autem & prudentissimus sit necesse est, & omnem prudentiam ad Reipub. vsum conferat. Prudentiæ verò vsus est in verbis, & in operibus constitutus. Vtrumque igitur regium est, & prudenter dicere, & officio prudenter incumbere. In vtroque autem studio, & benè dicendi, & rectè agendi olim omnis regia disciplina consistebat, vt auctor est Homerus, apud quem Phoenix ait, sibi Achillem à Patre Peleo traditum fuisse, vt illum & verborum oratorem, & rerum actorem efficeret. Quod

## DE REG. INSTIT. ET

quidem fuit ab illis priscis hominibus satis sapienter excogitatum. Multa enim sunt, quæ Rex sapienter & fortiter, & vigilanter administrare per se debet: multò tamen plura, quæ alijs facienda præscribit, quod quidem non est semper imperio & nutu, sed accurata sapè oratione faciendum. Non enim seruis imperat, sed liberis; liberi autem non tam minis atque metu cogendi, quàm explicatione communis utilitatis incitandi sunt. Vt enim (quemadmodum ait Plato) non eodem modo, quo medici liberis medentur, seruos curant: liberis enim assidue & morbi vi penitus explorata curationem instituunt, cuius rationem ægrotis explanant; seruis autem stantès verbo tantum imperant, quid illis faciendum ita sit: non simili ratione leges omnibus imponendæ sunt. cùm liberis enim populis dantur, ratio communis utilitatis exponenda est, cùm verò aliquid ijs, qui tyrannide oppressi sunt, imperatur, id nõ est ita necessarium: sed id tantum inculcandum, quod est à Iuvenale de mulierum tyrannide elegantè scriptum:

*Sic volo, sic iubeo, sit pro ratione voluntas.*

Cùm verò ea communis salutis explicatio, sine eloquentia fieri commodè non possit, concluditur eloquentiã Regis munus esse, valdeque ad illius amplitudinẽ & officium pertinere. Est enim illi opus, ut animos suorum ad se alliciat, & amorem excitet, fidemq; faciat, ea, quæ sancit atq; decernit, ad Reip. salutem conducere, neq; sibi quidquam esse studio communis utilitatis antiquius. Nec enim in bello tantum



tum milites Regis oratione cohortandi sunt: sed ciues etiam multò sæpius in pace, studio iuris incendendi, & firmo vinculo concordie, & ciuilibis societatis alligandi. Vtrumque enim regium est, & hostis impetū virtute reprimere, & statum Reip. æquitate tueri. quæ cum sine multorum auxilio facere nõ queat, necesse profectò est, animos eorum, qui illi operam nauaturi, vi & amplitudine orationis incendi & incitari. multò enim alacrius homines id exequentur, quod volūtate suscipiunt, quàm id, quod imperio & metu coacti faciunt. Cum autem magna vis sit in oratione ad impellendas voluntates, tum verò cum ab homine virtutibus ornato, & eo, qui multum auctoritate valet, habetur, mirum est quantas vires habeat ad animos variè flectendos. Quid igitur fiet cum Rex hoc nomine dignus, suis, quibus est propter virtutem carissimus, & propter auctoritatem grauissimus, oratione sapiente stimulos admouerit? quantam illis alacritatem afferet? quo ardore illorum mentes inflammabit? quantum & quàm honestum inter illos certamen instituet? Quilibet enim tunc summa contentione laborabit, ne ab alijs sedulitate atque diligentia superetur. Verissimè quidē dictum est, non dicentis orationem, sed probitatem fidem facere. Nemo enim sanus improbo credendum existimat. Illud tamen est etiam verissimum, probitatem eloquentiæ præsidio nudatam inermem esse. Homines enim infantes, quamuis optimè sentiant, non possunt tamen propter hæsitantiam linguæ, multa Reipubl.

vulne.

DE REG. INSTIT. ET

vulnera sanare; multaque pericula propulsare, qui si fuissent orationis armis instructi, facillimè depulissent. vt igitur in bello turpe est, armorum inopia vinci: ita in pace turpissimum, infantia iustitiæ & æquitatis causam deferere. Quod si hæc orationis inopia dedecus affert omnibus, à quibus aliquid opis Reipub. flagitari solet, quid fiet, cùm is, cuius auctoritate summa totius Reip. salus innititur, fuerit infantissimus? Præterea cum multò magis regium sit (vt antè dictum est) alacritatem voluntarijs addere, quàm inuitos cogere; illudque eloquentia fiat, hoc minis atque supplicio; quis non videt, multò clariora munera esse regi, vi orationis, quàm iure imperij sæpenumerò sustinenda? Postremò (vt etiam antè diximus) quo pacto ferendum est, vt Reges, quorù vita nihil clarius & illustrius esse debet, hoc tam egregio cultu & ornatu careant? quid enim minus decet, quàm nimiam operam in corporis vestitu & ornatu consumi; summamque diligentiam adhiberi, vt Regius cultus mirificè inter omnes excellat: quàm ornatè verò aut incultè Rex loquatur, id pro nihilo putare? an aliquis purpuræ nitor, aut auri splendor, aut gemmarum pulchritudo est cum splendore eloquentiæ conferenda? aut aliquid mirabilius esse potest, quàm ea re, qua homines brutis animantibus præstant, vnum hominè reliquis hominibus antecire? ferendum ne igitur est, vt Rex hoc tam admirabili ornatu & cultu nudatus incedat? Non profectò. Omnibus enim rebus splendeat opus est ille, qui est splendor

rem

rem ijs, qui illius ditione & imperio continen-  
tur, allaturus. itaque primùm necesse est, vt a-  
nimus illius sit cultus disciplinis, & ornatus  
virtutibus. Deinde vt ex illustri animi cultu,  
illustri etiam efflorescat oratio. Postremò vt  
omnes illius actiones eodem nitore splende-  
ant; vt sic demum animi decus, cum orationis  
elegantia; & actiones præclaræ, cum orationis  
claritate consentiant. Non solùm igitur in re-  
gibus eloquentia ad vsum Reipub. desideran-  
da est, sed ad regium decus, & elegantiam, exi-  
miæque dignitatis amplitudinem. Illud tamē  
est animaduertendum, tam in Dialectica, quā  
in Rhetorica Principibus tradenda, summam  
doctoris prudentiā requiri. sunt enim in Dia-  
lectica quædam nimis spinosæ subtilitates o-  
mittendæ, verborum quorundam insolentia  
fugienda, negligenda denique omnia, quæ ma-  
gis ad ineptas Sophistarum concertationes,  
quàm ad rectum differendi vsum valent; illa-  
que tantùm inculcanda; quæ argumentorum  
copiam suppeditant, & rationis iudicium con-  
firmant. Nec enim licet Principibus tantum  
otij, quantum reliquis hominibus, in hac disci-  
plina consumere. Similiter de Rhetorica sta-  
tuendum est, non esse Principes multis præce-  
ptis nullū vsum habentibus obruendos. Quā-  
nis enim nunc in foro atque iudicijs eloquen-  
tia dominaretur, vt olim; non tamen esset Re-  
gis officium, lites intendere, crimina obiecta  
diluere, iudicibus oratione blandiri, humili-  
ter supplicare, lachrymis seueritatem ad mi-  
sericordiam inflectere. Nec illud quidem ora-  
tionis



DE REG. INSTIT. ET

tionis genus regibus aptum est, quod olim in laudandis primarijs hominibus illi, quos Græci Sophistas appellabant, ingenij ostentandi gratia sequebantur; tam elaborata numerorū concinnitate perpolitum, & tam crebris verborum & sententiarum luminibus illustratū: vt omne illorum studium eò conferri videretur, vt auditores sine vllō fructu nimia voluptate perfunderent. Nec enim regis amplitudini conuenit lites persequi, aut aliquid suppliciter atq; demissè rogare, aut adulari & assentari, aut in orationis flosculis pueriliter colligendis exerceri. Illud igitur tantum eloquentiæ genus auctoritatis, & dignitatis plenissimum illi relinquitur, quod est in consultando, & deliberando, & in sententia sapienter explicanda; & in ciuium animis à flagitio deterrendis, & ad officium incitandis constitutum. Itaque nihil subdolum, nihil veteratorum, nihil astutum & fallax, nihil nimis depictum & elaboratū, nihil multis verborū lenocinijs instructū in oratione regis emineat. Hęc enim omnia sunt simplicitatis inimica, regiæ bonitati contraria, & magis ad hominū voluntates alienandas, quàm ad alliciēdas apposita. Genus igitur tantum dicendi colat, rectū, purum, elegans, enucleatum, verbis grande, sententijs graue, oratione pressum, nō redundans & affluens, nec inuerecundis verborum festiuitatibus expolitum. Hoc iacentes excitet, afflictos recreet, languentes stimulet, vigilantes inflammet, bonis præmia constituat, improbis periculum denunciēt, & omnes denique, quan-  
cum

tum poterit, efficiat legibus obsequentes. Materia enim, quam Regem præcipuè tractare dicendo conuenit, est ea, quæ iustitiæ studio continetur; qua nulla maior, & amplior, regisquæ officio dignior esse potest. Finis enim quem intueri, & in quem studia vitæ cōferre debet, in eo consistit, vt oēs ciues iustos efficiat; hoc autem vel iudiciorum metu, vel honestatis amore fit: metus autem iudiciorum, est remedium necessarium illud quidem, minus tamen firmum & stabile, multisq; fraudibus & dolis obnoxium. Amor autem honestatis, prudentia orationis incenditur; quæ quidem oratio tantò maiores vires habet, quātò status illius, qui loquitur, excelsior est, omniumq; virtutū opibus opulentior. Nihil igitur esse poterit, ad præsidium & ornamentum Reip. splendida oratione optimi Regis accommodatius. Sed venit in mentem mihi interdum admirari, cū in eloquentia tanta regiæ dignitatis ornamenta atq; præsidia sint; cur illius studiū in plerisque Principibus ita refrixerit, vt paucissimi illam attingant? quod quidem olim non ita fiebat. Vt enim Homeri reges omittamus, & de illis etiam fileam<sup>9</sup>, qui propius à Troiani bellitemporibus absuerunt: certè constat Philippum Macedoniæ regem eloquentiæ operâ dedisse; quod exemplū strenuè etiam secutus est filius Alexander. Multi deinde illius successores dicendi laude floruerunt; & ne omnes antiquos reges oratione commemorem, omnes fermè sic instituti sunt; vt non infirmum status sui præsidium, in dicendi facultate cōstitutum

## DE REG. INSTIT. ET

tum arbitrarentur. Iam verò in liberis populis ea semper floruit, atque dominata est, usque adeò, ut nemo Principem locum in illis obtinere posset, nisi eloquentia Princeps esset. Ut enim hic præteream Athenas, Spartã, Thebas, Carthaginem, & alias imperiosas nationes, quæ huic dicendi prudentiæ plurimum semper honoris atque dignitatis detulerunt; in ea profectò ciuitate, quæ orbis terrarum finibus imperium terminauit, innumerabiles ciues summam auctoritatem & potentiam dicendo consecuti sunt. Tantum enim Romæ postquã imperium latissimè propagatum est, eloquentia valuit; ut nemo consideret, quamuis & nobilitate, & rebus fortiter gestis excelleret, facilem sibi aditum ad summam potentiam datum iri, nisi dicendi laudem cum militari virtute coniungeret. Inde illi Claudij, Lælij, Scipiones, & Galbæ, Catones, multiq̃ue alij in dicendo principes extitêre, donec gradibus quibusdam, ad illud perfectum & absolutum eloquentiæ specimen peruentum est, ad quod nemo deinceps aspirauit. Sed nos hic non de Ciceronis eloquentia, sed de mediocri differimus, quam in Rege desideramus. Iã verò postquam Respub. in vnus potestatem peruenit, num fuit in Principibus eloquentiæ studium neglectum? Non certè. ut enim de Iulij Cæsaris elegantia, & urbanitate nihil dicam: Octavianum certè constat, fuisse dicendi laude præstantem: ne Tiberius quidem, quamuis multis vitijs coopertus fuerit, hac dicendi laude caruit. Nec solùm Principes humaniores hanc v-

nam



nam artem summo studio coluerunt: sed etiã, quod est magis admirandum, immanes tyranni, qui non persuadendo, sed cogendo omnia sibi conficienda putabant, multum operæ & studij in dicendi peritiam cõtulêre. Nec enim Caligula, neque Nero, neque Domitianus, nec aliæ pestes hominum, quas dirum Reipub. fatum in imperio collocauerat, sese ab hoc studio remouerunt. Quod etiam de Græcis tyrannis affirmari potest. Quod si tyranni, quorum imperium erat vi atque metu, non æquitate & humanitate fundatum, existimabant tamẽ esse sibi necessariam eloquentiam; quid regibus faciendum est, qui non vt seruile iugum subditis imponant, sed vt pro eorum libertate pugnent, sunt in tam alto honoris & imperij gradu locati? Quid igitur, inquit T. causæ censes, cur si ars ista tam utilis atq; præclara est (vt dicis) qua multi perditî hõmines abusi sunt, apud bonos Reges obsoleuerit? vt enim cupio linguam hominibus sceleratis abscindi: ita erat optandum, vt boni dicendi gloria præstarent, maximè verò Reges, quorum oratio, vt probare contendis, innumerabiles utilitates populis afferre potuisset. Primùm quidem inquam, vitæ mollitiem, & luxum, atque defidiã in causa fuisse puto. Eloquentiæ enim laus nõ sine labore & studio paratur. Deinde suspicor eorum animos, qui otium nimis in principio fuerant amplexi, diffidentia totum hoc studium abiēcisse. Otij namq; & languoris comes, extrema desperatio est. Accesserunt adulatores, qui à populi totius rationibus principes

## DE REG. INSTIT. ET

abstraxerunt, in eamq; opinionem eos addu-  
 xerunt, vt arbitrarentur id, ad quod imperio  
 cogere possunt, non esse oratione flagitandũ.  
 Postremò diuturna temporis consuetudo, tan-  
 tas vires apud imperitos habet; vt quod est in  
 summa laude ponendum, vitio detur; & quod  
 vitio vertendum, grauitatis & amplitudinis  
 laudi tribuatur. Sic autem factum est, vt Regis  
 infantia, summa quædam auctoritas existime-  
 tur. Qui autem in hac sententia sunt, non mi-  
 hi videtur regem: sed regis imaginem habere  
 velle. quid enim inter infantem Principem, &  
 mutam imaginem intersit, nõ video. Sed mul-  
 ti in huius disciplinæ utilitate explicanda fui-  
 mus; quare ne diutius aures vestras eloquentiæ  
 minimè necessarijs laudibus obtundam, ad re-  
 liqua veniamus. Hoc tamen in vniuersum dicã  
 de omnibus artibus, quas sumus oratione per-  
 secuti, multæ quidem ex illis utilitates oriun-  
 tur; sed ego in duas potissimum respicio: qua-  
 rum vna est ingenij acumen: altera modestiæ  
 concinnitas. vtrumque autem armat animum  
 contra perditorum hominum fraudes & insi-  
 dias; qui enim ingenio valet, facilius verum vi-  
 det, & mendacium acriori animi contentione  
 repellit: qui verò moderationis laude floret,  
 non facilè perturbari atq; de constantia depel-  
 li potest. Quomodo autem artes istæ acuat in-  
 genium, satis perspectum & cognitũ est: quo-  
 modo verò ad humanitatem erudiant, non est  
 exploratu difficilimum. Quidquid enim nu-  
 merum, modum, atque rationem in omnium  
 rerum peruestigatione considerat; quidquid  
naturæ

naturæ constantiam & pulchritudinem summo studio cōtemplatur; quidquid verum à falso diligenti examine secernit; quidquid se ad hominum mores civilemque societatem accommodat; necesse profectò est, ut animi partes numero definiat, moderatione componat, amore conglutinet, & ad humanitatem instituat. non igitur is, qui artibus istis deditus est, facile in fraudem induci, aut temerè insolenter efferri poterit. Multi tamen illas insectantur. Scio, sed ego hoc potissimum argumento illas salutem atque dignitatem regibus allaturas confirmare possum: quod tanto odio & contentione ab hominibus profligatis atque perditis oppugnentur. Ut enim quod laudandum censent, est Reip. vniuersæ pestiferum: ita rationi consentaneum est, ut intelligamus; id, quod ab illis vituperatur, esse Reipub. saluberrimum. Redigite quæso in memoriã, quod in principio dixi, mihi eam principis institutionem maximè probari, quæ fuerit maximè adulatorum institutioni cōtraria. Quam quidem certè rationem, in nostra disputatione secuti sumus. illi enim vitam umbratilem & delicatam regibus dignam esse perhibent: nos solem & puluerem, & laborum patientiam, regem decere censemus. Illi ad effrenatam libidinem Reges instituunt; nos ad summum studium honestatis & laudis excitamus. Illi ad superbiam & odium hominũ Principes instruunt: nos illos ad omnem rationem temperatiæ & humanitatis excolimus: illi postremò principes sensib⁹ & iudicio spoliare conantur: nos veid



DE REG. INSTIT. ET

illorum mentem acuerè & illustrare contendimus. Ea autem de causa fit, vt quemadmodù illi omnes bonas artes regib<sup>9</sup> indignas esse cõfirmant: ita nos liberalem eruditionẽ dignissimam esse regis amplitudine iudicemus. Sed vt illis spem omnem decipiendi Regis incidamus, cauendum est, ne illud adulationis initium, quo impuri homines innituntur, nimis excitari & exurgere patiamur. Iam enim, si meministis, à nobis dictum est, non tam facilè fieri posse, vt in hominum potentum sensus adulatorem irreperent, nisi prius societatem cum adulateore illo primario, qui intra pectus vniuscuiusque latet, inirent. Hoc quidem, inquit T. rectè memoria tenemus. Nec illud quidem, inquam, vos oblitos arbitror, adulateorem illũ summum, qui in suam familiaritatem adulateores aduentitios admittit, esse amorem illũ, quo se quisque nimis insanè complectitur, qui tanto vehementior esse potest in regibus, quanto status illorum est amplior, & opulentior, magisque ad diuinitatem quandam inter homines accedit. Rectè inquit, sed quorsum hæc modò repetantur, expecto. Periculum igitur, inquam, est, ne se tantum amēt, vt omnem imbecillitatis humanæ memoriam deponant, & quemadmodum poëtæ fingunt Narcissum ex sui ipsius amore contabuisse: sic ipsi amore sui pereant. Nam cum omnis amor errorem imperitis obijciat, tum is, quo sibi quisque blanditur, atque lenocinatur, animum omni sanitate spoliat. Eò igitur magis principum animos excæcabit, quò se illi amant acrius atque vehementius

mentius. Quare prius hoc intestinum malum sanandum est, quam externa, & aduentitia repellamus. hoc autem multis rationibus fieri poterit. Est igitur statim à primis annis operanda; ut principum arrogantia minuat. Itaque, dum pueri sunt, videamus, an possimus impetrare ab illis, qui principi in nutricis adhuc gremio constituto, quasi coelesti numini hostijs propemodum litant, ut aliquid de tam immodica superstitione detrahant. Deinde in ætatis progressu, velim delicias paulatim imminui, & seueriorem disciplinam adhiberi; tum etiam illorum cultum, ita temperari, ne vel nimio vestium nitore inaniter efferantur: vel fordido & obsoleto animū demittant. Illud etiam admonendi sunt omnes, qui Principes instituunt, ne minimi faciāt ea, quæ, postquam sunt adulta, & vsu vitæ confirmata; sensim ad perniciem publicæ salutis illabuntur. Quid autem est, quod maiore aditum ad omne malum patefaciat, quam crebra legum atque morum commutatio? quam Reipub. varietas & inconstantia? quam frequentes rerum, sine magna aliqua utilitate nouitates? ut enim arbor crebrius agitata, & à loco in locum mota, altas radices agere nequit: ita Resp. stirpe firmari non poterit, si fuerit sæpè legum mutatione & varietate cōuulsa. Accedit quod cū leges sæpè mutantur, facillimè contemnantur; legibus autem contemptis, vitæ perturbatio sequitur, & fœda morum confusio, Reipublicæque totius exitium. Quod ne eueniat, statim à primis annis Rex admonendus

## DE REG. INSTIT. ET

est, vt patriæ mores amet, & patriæ leges, & instituta, & patriæ etiam cultum atque vestitum: hoc enim primùm est regiæ grauitatis & constantiæ. Deinde continet amoris in patriam argumentum; deinde sumptibus immodicis modum statuit; omnes enim non in moribus tantùm atque vita, sed etiam in vestitu reges suos imitari cupiunt. Si Rex igitur vestitum sæpè mutauerit, omnes idem certatim facient: & ita opes, quæ erant in vitæ præsidium conferendæ, in leuitate consument. Quis autem nõ videt ex profusis sumptibus egestatem, ex egestate desperationem, ex desperatione facinorosa capitalia, quibus Respub. in extremum discrimen inducitur, exoriri? Quid illud deinde, quantum mali est? diuites enim culti paulò elegantius insolescunt, pauperes autem vel animos abijciunt, vel vt possint similiter vestiri, furantur & latrocinantur; aut ne illam indignitatem subeant, patriæ interdum insidias molliuntur. Postremò hæc animorũ mutabilitas, qua potètes homines principũ vestigijs ingressi, diebus propè singulis externis cultibus ornari gestiunt, facit vt moribus etiam externis oblini gaudeant, inde igitur paulatim legum & Reip. immutatio nascitur, quod cum fit, ne mihi dubiũ esse potest, quin patriæ fatalis exitus appropinquet. In omnibus autè rebus, qui maximum malum vitare cupit, opus est, vt malum exoriens extinguat; postquam enim fuerit vetustate corroboratum, frustra illud depellere conabitur. Cum igitur hæc vestiũ crebra mutatio, tantum in se malorum seminari-



um contineat: caueant omnes qui Regū filios moribus informant, ne illi vestium externarū varietate gloriantur. Multa quidem remedia animi turgētis attulimus, sed nullum eorum, meo quidem iudicio, adeò efficax est, vt omnē tumorem sanare possit. Alia igitur remedia vehementiora nobis videnda sunt; sed valdè timeo, ne mihi malè procedat hæc medicina. Quomodo, inquit. T. Quia inquam, hæc leuio- ra, quæ perstrinximus, vix homines vrbanī at- que lauti ferre possunt; quo igitur modo gra- uiora tolerabunt? Quid? inquit ille, offensio- nis alicuius metu aliquid, quod ad commodū publicum pertineat, silentio præteribis? Nul- lo inquam modo: veruntamen ad hanc senten- tiam à moribus nostris abhorrentem explicā- dam, cum timore ingredior. Vereor prætereà, ne fastidio vobis sim, si tā sæpè eandem itera- bo sententiam. Sed fieri aliter non potest. Di- ctum est non semel, fieri non posse, vt aliquis imperare sciat, nisi obedire multò ante didice- rit. Nec enim bonus gubernator nauis extitit, qui nō prius multis annis nauta fuerit: nec im- perator egregius esse quisquā potuit, qui non prius diu sub aliquo bono imperatore milita- uerit: nec architectus quidem, nisi multis an- nis operā alicui architecto præstanti dederit. & ne singula recenseā, nemo cum laude alicui artificio præesse vllō modo poterit, nisi prius diligentissimè artis illius magistro paruerit. Quid igitur de rege dicendū? nōne videtis quàm difficilè sit alios regere illum, qui nulli- us vnquam imperium passus est? quò igitur

## DE REG. INSTIT. ET

Regis munus est amplius, & difficilius: eò diligentius obtemperare debet, & alacrius imperata conficere, vt imperandi scientiam facilius consequatur. Hoc enim obediendi studium, & regendi scientiam efficit, & animo moderatur, quorum vtrumque tam necessarium est, vt aliter regnũ feliciter administrari nequeat. Nec enim Rex imperitus, nec immoderatus, ferri vllò modo potest. Est igitur necesse, vt non modò parentes sanctè colat: sed etiam magistris obediat, pædagogum timeat, senes vereatur, monitoribus auscultet, & omnibus denique, qui illum bonis morib<sup>9</sup> informare possunt, morem gerat, obsequatur, obtemperet. Seruiat deinde (vt iam diximus) pudori, seruiat laudi, seruiat honestati. Cũ verò ætate processerit, intelligat etiam, se multo magis esse legibus, quàm omnes, qui illius imperio continentur, alligatum. Omnes enim eum intuentur, & mores quisque suos illius exemplo & imitatione conformant. Si viderint igitur leges ab illo contemni, illas etiam percurrere conabuntur: si verò eas sanctè ab illo conseruari perspexerint: nemo illarum religionem violare audebit. Præterea Regis officium est omnia, quæ Rempub. conseruant, summo studio, cura, vigilantia, sedulitate tueri. Nihil est autem, quod magis Rempub. conseruet, quàm leges. Est enim lex mens omni perturbatione vacua, à mente diuina hausta atq; delibata, honesta atque salutaria præscribens, prohibensque contraria. Rex igitur est legum custos, & vindex, publicique iuris administer. Ergo cū  
leges

leges transgreditur, officiū suū prodit, Remp. fidei illius commissam labefactat, Dei in se nomen acriter incendit. Deinde quid proderit ciuibus legis metum iniicere; si eosdem ciues exemplo nequitiae ad contemptionem publici iuris induxerit? nec enim metus diu in officio homines continere potest, maximè verò cū ea opinio accepta fuerit, non esse dignitatis legibus parere; at vbi leges à populi rectore negliguntur, omnes qui aliquid in Repu. opibus & gratia valent; opinantur ignominiosum esse legibus astringi. Itaque vbi viderint violandi iuris facultatem oblatam, eam minimè præteribunt. Rex igitur qui leges contempserit, vniuersam Rempub. exemplo sceleris, & iniuriæ dissepabit. Præterea, quæ maior dementia potest esse, quàm id dedecus existimare, quod decus & dignitatem constituit? sunt enim leges diuinæ benignitatis munera, sapientiæ decreta, humanæ societatis fœdera sacrosancta. Illæ iniquitatis violentiam coercent: insidijs & fraudibus obsistunt: honestatis disciplinam continent: turpitudini & flagitio repugnant: discordiarum materiam amputant: belli subsidia comparant: pacis & otij dignitatem constituunt: totumque Reipub. statum firmo præsidio corroborant: multisque opibus & ornamentis afficiunt. Qui igitur se legibus addicit, seruit sapientiæ, seruit honestati, seruit immortalitati, seruit officio & religioni, illustribusque in Rempub. meritis viam in cœlum præclare munit. Quid igitur seruire flagitio & impuritati, hoc dignitatem habebit? & Principes,



DE REG. INSTIT. ET

qui suis effrenatis cupiditatibus fuerint obsecuti, dignissimi habebuntur, quibus reliqui homines vitam atque salutem suam permittant? parere autem legibus, hoc est, honestatis & officij sanctissimi disciplinæ, id regem dignitate spoliabit? Græci quidem olim statum Reip. κόσμον, id est, ornatum appellabāt, in quo quidem Homerum sequuti sunt, qui reges κοσμητήρας nominabant, quasi ornamentorum, quibus populi excolūtur, effectores. κόσμος autem nomine Græci mundum etiam significāt, propter naturæ pulchritudinem & concinnitatē. Eodem igitur nomine, quo naturæ vniuersæ ornatum & conuenientiam nominabant, statuerunt hominū coetum iure deuinctū appellari posse. nec enim dubium est, quin status Reipu. legibus fundatus, moribus ornatus, in quo ciues oēs inter se publico fœdere colligati, de publica salute vna mente & voce consentiunt, ordine, conuenientia, & pulchritudine, mundi ornatum, & constantiam imitetur. Neque malè Lacedæmonij, qui rectores populorum ἀρμοσῶς, appellabant, quasi harmoniæ & publici cōcentus architectos, & concordie, mutuxque ciuium inter ciues coniunctionis auctores. At hunc ornatum Reipub. hanc pulchritudinem & elegantiam, hunc admirabile animorum concentum & harmoniam leges efficiunt. Principes igitur, qui leges contemnūt, Rempublicam omni ornamento nudant, & de statu conuellunt, & omni crudelitate dilacerant. Non igitur inconsideratè quidam homines doctissimi hoc discrimen inter regem atque

atque Tyrannum esse decreuerunt, quod tyranni imperium legibus solutum & infinitum sit; Regis verò imperium legibus & æquitate definitum. itaque præclare Theodosius, ut ostēderet quàm longe à tyranni immanissimis moribus abesset, se legibus alligatum esse professus est. Præterea quæro, quis vnum hominem ad tantam dignitatem extulit, ut reliqui omnes illum venerabundi suspicerent, colerent, obseruarent? illius imperium sine vlla recusatione sequerentur? quis illius statum omnium ciuium studio, caritate, atque fidelitate muniuit? quis autem, ut de reliquis sileamus, efficit, ut omnes nos Regem puerum, qui decem annos natus est, certatim amemus, obseruemus, veneremur, atq; ad eò pro illius salute, & dignitate mori cupiamus? Leges profecto. cum leges dico, non leges tantum, scripto, quod volunt, sancientes: sed etiã publicè receptos mores, qui eandem omninò vim habēt, intelligo. Princeps igitur, qui legibus interitum affert, impius atque parricida est. Leges enim, quæ eū in lucem ediderunt, aluerunt, & auxerunt, quantum in se est, de medio tollendas curat. Deinde furiosus & amens est; status enim sui præsidia conuellit, potentiæque suæ neruos elidit, cum leges, quibus illius salus, & dignitas, & imperium nititur, euertit. Possunt illæ quidem ferri, si nondum latæ sunt; aut emendari, si ita tempus & ratio flagitat; aut æquâ interpretatione molliri, si duriores visæ fuerint; negligi vero, aut violari, aut contemni, sine summa Principis ignominia, sine dignitatis

DE REG. INSTIT. ET

nitatis totius interitu, sine Reipub. peste atque  
 pernicio non possunt. Sed occurrit alia adula-  
 torum turba, prudentiæ nomine commenda-  
 ta, qui vt se in gratiam regum insinuent : illis  
 persuadent eos esse supra leges. Cambyses Cy-  
 ri filius, cum vellet sororem, quam perditè a-  
 mabat, sibi matrimonio coniungere, de Magis  
 quæsiuit, vtrum id legibus liceret. negant illi  
 matrimonium illud apud Persas esse commu-  
 ni iure concessum, esse tamen apud illos legē,  
 quæ decerneret, regibus licere quidquid libe-  
 ret; ea igitur lege matrimonij illius licentiam  
 Regi permitti, quæ erat alijs omninò præcisa.  
 Anaxarchus cum Alexander ob Clyti necem,  
 quem occiderat, in summo luctu versaretur,  
 his verbis Regem à mœrore auocauit; Num i-  
 gnoras ô Rex Themim atque iustitiam aside-  
 re Ioui, vt quidquid illi cordi fuerit, cōfestim  
 fanciat? quod quidem ille sic interpretaba-  
 tur, vt omne, quod Regibus facere collibui-  
 set, ius & fas esset, quamuis id nefarium & in-  
 iustū multis esse videretur. Trasymachus Cal-  
 cedonius Principum utilitate & libidine ius  
 omne definiebat; iustitiam enim in eo sitam  
 esse dicebat, vt subditi Principum iussis obtē-  
 perarent, Principes autem omnia ad utilitatem  
 suam reuocare; & ita fieri, vt nihil aliud esset  
 ius, quàm eorum, qui plurimum in Repu. pos-  
 sunt, utilitas, vnde concludebat iustitiam esse  
 bonum alienum, & malum proprium. mihi e-  
 nim, si iustitiam colerem, iustitiam nocere, il-  
 lisque tantum prodesse, quorum utilitati ser-  
 uiebam. Sed quorsum hæc in medium attuli-  
 mus?



mus? vt planius intelligatur, nunquam in regnis, & ciuitatibus homines sceleratos defuisse, nec hodie deesse, nec vlllo vnquam tempore defuturos, q. Principes errorib<sup>9</sup> turbulētis inficiant. Quibus quidem illi annumerandi sunt, qui, cū se iure consultos existimari velint, Regibus persuadent, illos omninò solutos esse legibus. At inquires Cæsarem Octavianum olim senatus decreto fuisse legibus solutum. Quid mirum? Armis enim, & potentia Cæsaris afflictā Respubl. nihil aliud poterat liberè decernere, nisi se libertatem amisisse: cū igitur Cæsarem legibus soluebat, illum planè tyrannum nominabat. Fuit quidem ille natura clemens, atque benignus; qui tamen tyrannum fuisse negauerit, mētis expers existimandus erit, si enim Tyrannus est, qui imperat inuitis, qui non populi vtilitatem præcipuè, sed propriam dominationē & emolumentum respicit; quo modo tyranni nomine carebit is, qui oppressit armis Rempub. qui omnia consilia ad amplificationem suæ potentia reuocauit? cuius imperium non fuit vlllo iuris termino circumscriptum? nos autem hoc in loco nō de Tyranno, sed de Rege differimus. Regis autem officium esse disputamus, leges sanctas habere, earum mentem intueri, illarum sanctionibus obligari. si enim Lex est rectoratio deterrēns à flagitijs, & ad studium honestatis impellens, regisq. officium sit omnes flagitorum labes à Republica summa contentione repellere, & studia laudis & dignitatis excitare; quid magis illius muneri consentaneum esse potest,

DE REG. INSTIT. ET

potest, quàm se legibus astrictum profiteri? sic enim magis exemplo, quàm imperio Republicam facillimè gubernabit. Inquit tamen adulator, imminuis tu quidem principis maiestatem. imò tu auges amentiam. Parui & angusti animi est, vereri leges. Imò profligati atque perditì eas despicere. Non est regium habere voluntatem alligatam. Imò nihil magis regium est, quàm vinculis arcere libidinem. Miserum est non facere omnia, quæ velis. Miserius certè multò est, velle facere, quod non licet: id tamè longè miserrimum, posse facere, quod ita velis. Ut enim amens & furiosus, quò se confidentius ferro succinxerit, eò faciliùs in se pestem machinabitur: ita tyrannus quò maiores opes habuerit, eò grauiorem sibi calamitatem importabit. hoc autem statuendum est, fieri nulla ratione posse, vt non seruiamus. Aut enim legitimum rationis imperium sequimur; aut importunæ tyrannidi libidinis obtemperamus; si rationem sequimur, laudis & diuinitatis serui efficimur: si verò libidinem, dedecoris atque turpitudinis dominatu preminur. Plurimum verò inter vtramque seruitutem interest. seruitus enim, qua honestati paremus, non est propriè seruitus: sed libertas appellanda. si enim libertas est facultas viuendi, vt velis; certè cum natura mentis nostræ sit honestatis appetens, & à turpitudine vehementer abhorreat; sequitur vt cum seruit honestati, id faciat quod vult; cū verò seruit libidini, id in vita moliatur, quod eam importuna vis cupiditatis facere compellit. Ego igitur cū

Regem

Regem legibus astringo, illius libertatem atque dignitatem tueor, tu verò cum eum legibus soluis, eum efficis assentatione tua libidinis effrenatæ mancipium. Præclare Demaratus, cum apud Xerxem exularet, eum admonerat, ut Lacedæmoniorū, qui Thermopilas insidebāt, congressum formidaret: non enim inquit, omninò liberi sunt, legibus enim seruiunt: ita ut pro illarum sanctitate minimè dubitent vitā profunderere. Quod autem Demaratus prædixit, euentu cōprobatum fuit. omnes enim pro libertate Græciæ, ut eos leges facere admonerant, fortissimè dimicantes occubuerunt. Vnde colligitur, leges non modò in pace Rempub. florentem, omnibusq; bonis affluentē reddere; verum etiam in bello fortem, strenuam, & inuictam. Tollunt enim discordias, animosque militum foedere firmo consociant, ignauiam plectunt, virtutem remunerant, signa sequi, ordines seruare cogunt. Vnde factū est, ut omnes Respublicæ, quæ fuerunt olim legibus optimè constitutæ, imperium latissimè propagarent, & tamdiu in eo permanerent, quamdiu leges apud eas plus rebus omnibus valuerunt. At postquam leges hominum potentium libidine conuulsæ sunt, ne vestigium quidem pristinæ dignitatis & imperij in aliqua illarum remansit. Cum igitur Reipublicæ salus, dignitas, ornamentum: cum Regis ipsius officium, maiestas, & amplitudo: cum pax, libertas, omniumque bonorum affluentia: cum regni securitas, imperium, & propugnaculum, in legibus constitutum sit: possumusne quid-



## DE REG. INSTIT. ET

ne quidquam facere conuenientius, non solū ad tollendam inflatæ elationem: verū etiam ad ipsius Regis statum valido atque firmo præsidio muniendum, quā inculcare illius animo, vt neque se, neque quenquam alium plus in Repub. valere patiatur, quā leges? Hoc igitur remedium, quod in iure consistit, non opinor negabitis esse commodum atq; salutare. Sed aliud adhuc restat, ad arrogantiam sedandam (vt arbitror) efficacius. Quid? inquit T. aliquid ne potest esse ijs remedijs, quæ attulisti; ad arrogantiam morbum sanandum vehementius? Potest quidem inquā, meo iudicio. Quod illud tandem inquit est? Pulchritudinis inquā veræ cognitio; vos igitur admoneo, vt me nūc multò attentius audiatis: de pulchritudinis enim elegātia, & venustate, de decoris excellentia, de amoris vi atque ratione, de morbis, qui amorem sæpenumerò cōsequuntur, edisseram. Hic M. ridēs inquit, quod ad pulchritudinem & amorem attinet, auditores habes minimè ab ista materia, quæ tractandam suscipis, alienos; nimis enim diu nos amor, atque vehementer affixit. Nunc autem partim, quia suspicor eam disputationem nobis non mediocri voluptate fore: partim verò quia scire aueo quid amor, aut pulchritudo valeat ad arrogantiam minuendam, multò libentius tibi operam dabo. Id quidem inquā, ostendam, si poterō. Dixi, si meministis omnem timorem animi, omnem insolentiam atque fastidium ab illo amore nasci, quo se quisque plus omnibus rebus amat. id quidem, inquit T. memoria tene-

mus:

mus . Id etiam (inquam ) velim recordemini positum esse, amoris insani vi, mentem excæcari; id secuti quidam sunt, vt amorem cæcum fingerent. Cùm verò hic amor, quo nos ipsi amamus, omnium vehementissimus plerumq; sit; consequens est, vt nos omninò, nisi fuerimus in nostri custodia vigilantes, mentis oculis orbet; animisque nostris maximas tenebras offundat. Qui quidem tantò plerumque maior est in Principibus, quàm in reliquis hominibus: quantò plura illis suppetunt amoris huius lenocinia. Sic autem euenit interdum, vt is, quem sapientissimum esse oportet, summa amètia perturbetur. Possumusne igitur quidquam elegantius facere, quàm amorì oculos restituere? nec enim ferendum est, vt venustatis & elegantia, & totius pulchritudinis ardens studium, execranda cæcitate laboret: ita vt pro pulchris sæpenuerò deformia furenter amplexetur. Quod ne eueniat, vtilissimū arbitror demonstrare, quæ sit vera pulchritudo. Amor enim nisi specie pulchritudinis obiecta, excitari non potest. Est enim amor ( vt iam dictum est ) pulchritudinis, & honestatis appetitus, cum ardenti cupiditate illius fruenda coniunctus. Vt igitur omne, quod est turpe, ineptum, & indecorum, offendit oculos, alienat animos, & ab amore auertit: ita quidquid est venustum, & elegans, oculis gratum & iucundum est, & animos ad se amandum inuitat & allicit. Qui igitur se nimis amat, se valdè pulchrum opinatur; auster enim se amare non posset. Nunquam ne vidistis deformem

T / & insul-

DE REG. INSTIT. ET

& insulsam mulierem, amore sui ipsius infanire? hoc certè fieri non posset, nisi se pulcherrimam iudicaret; hac autè stultitià fit, ut iucundè interdum uiuat: ita tamen, ut risum multis moueat. Ad hunc modum statuite hominem, qui sibi valdè placet, hæc secum cogitare: ne ego bellus sum, & mihi pulchrè est, lepore emi & venustate circumfluo: huius autem morbi remedium, quod salutaris excogitari potest, quàm veram pulchritudinem oculis intueri? fiet enim ut qui se sine ratione atq; sine rivali (ut aiunt) amabat; multum de illo amore aut potius insania remittat. Quod si regi hoc persuaderi (ut confido) potest, totum negotium confectum existimabo. Vultis ne igitur illi pulchritudinis rationem tradamus, ne vnquam sine ratione, vel se, vel quidquam aliud amet? Imò, inquit T. percipimus. Meditabor inquam, igitur, an illum possim in meam sententiam hac ratione traducere; sic igitur existimate mecum illo loqui. Sæpenumerò Princeps maxime & potentissime, venit in mentem mihi admirari; quid sit illud, quod impulerit hominum multitudinem, ad tantum honorem vni homini deferendum: ut illum omnes amet, illi obtemperent, illi seruiant, ex illius vultu pendeant, illum denique in Dei loco venerentur. Quod quidem non temerè, neque sine causa fieri videtur; id enim, quod in omni loco ab omnibus tanta consensione fit, nec ad fortunæ temeritatem, nec ad hominum statuta, sed ad naturæ legem videtur esse referendum. Quæ autem gens est aut tanta humanitate culta, aut  
tam



tam immanis & barbara, apud quam Regis nomen non sanctissimum habeatur? in quanto autem amore reges sint omnibus, vel ex hoc intelligi potest: quod quoties pedem extra limen efferunt, pueri cursitant, viri festinant, senes quantum possunt accelerant: virgines etiam, & honestæ mulieres pudore teneri non possunt, quo minus exeant, ut illius aspectu fruantur. Quacunque autem vehitur, omnes illi omnia bona precari, manus in cœlum tendere, & faustis acclamationibus studium suum apertissimè profiteri. Hoc igitur cum non raro, sed plerumq; non ab vna gente; sed ab omnibus fieri videamus, tanti amoris causa est nobis diligentius exploranda. Nô enim aliquid humanum; sed diuinum videtur esse id, quod tam ardens studium multitudinis incendit. Et re vera, cum imperandi munus diuinum sit, cōsentaneum est, ut arbitremur illud ipsum, quo Reges excellunt, non mortale & caducum esse, sed cœleste atque planè diuinum. Illa igitur tam clara & illustri Regum species, quæ tam admirabiles amores excitat, velim scire ubi consistat; num in summis opibus & imperio? Minimè: non enim Regis dignitas ex imperio pendet: imò totius imperij decus est ex regis amplitudine petendū; nec enim summū imperium principē flagitiosum exornat: princeps autem honestate præcellens, plurimum toti regno dignitatis, & honestatis adiungit. Et opes quidem per se, non conciliant amorem, sed inuidiam constant; at nos in rege quærimus id, quod homines illius amore in-

cendit. Quod si imperium totius honestatis regiae causam contineret : sordidissimus quisque posset, si aliquo Reipub. peccato ad imperium perueniret, potētia & opibus infitas sordes eluere. Quod lōgè secus est, si enim quoduis munus viro alicui permissum, qualis sit ille vir ostendit; certè multò magis regium munus, quis sit illo vel dignus, vel indignus, indicabit. Ibi enim maximè conuincitur amentia, vbi sapientia summa requiritur : ibi facilius deprehenditur ignauia, vbi virtus eximia flagitatur: ibi dedecus animos grauius offendit, vbi maius exemplum decoris & honestatis expetitur. Idcirco factum est, vt quamuis immanes Tyranni ingētes opes habuerint, nullū ex imperio decus assequerentur, sed omnes sceleris infamia conflagrarent. Prætereà aliud est ipsa dignitas, aliud id, quod dignitate comparatur. Ineptissimum igitur est, cū inquirimus quid illud sit, quod reges imperio dignos efficiat; ipsi imperio causam totius dignitatis ascribere. Prætereà id, quod regem honestum & admirandum facit, non est extra regem, sed in ipso Rege collocandum. Aliter enim non Regi honorem, sed opibus illius haberemus. Quò igitur indignius est tua maiestate, te non propter te, sed propter opes tuas obseruari, eò pluris facere debes obsequium hominis, qui tam sedulò peruestigat illud, quod nomen tuum luculēter exornat, vt omnes honores post hac non opibus tuis, sed tibi ipsi deferantur. Summa autem hæc est, cū de Regis pulchritudine differimus, vt non pulchrum imperiū, neque

neque pulchrum aurū, neque pulchras vestes, neque pulchra monilia, sed pulchrum Regem exquiramus. Illa igitur pulchritudo tua, quæ tantum tibi amoris & gratiæ conciliat, ubi sita est? num in corporis istius specie? fateor e- quidē neque tibi formam regiæ dignitati congruentem, neque oris decus & elegantiam de- esse, sed illud cogitare debes, si tantum esset corporis formæ tribuendum, cum multæ vir- gines sint, & non pauci forsitan adolescentes, qui te corporis venustate superent: sequi ne- cessario, ut vniuersa ciuium multitudo te re- licto, eos, qui te pulchriores essent, admirati- one quadam attonita sectaretur. Prætereà qui- uis morbus (quod omen Deus auertat) facile istum candorem inficere, & speciem deforma- re potest. Ut autem nihil aliud interueniat, æ- tas certè ingrauescens faciem istam rugis exa- rabit, omnemque florem venustatis extinguet; quod si propter formam corporis amāus es- ses, cum formæ interitu, tuorum in te amor, & studium tui nominis interiret. Nos igitur in te, non virginis speciem & venustatem, sed re- gis excellentem dignitatem intueri cupimus; eamque minimè regiam formam arbitramur, quam morbi vis contaminat, ætas de flexa cor- rumpit, vitæ pestis interimit, sed quæ semper eodem lumine splendet, & ne morte quidem extingui atque deleri potest. Restat igitur ut hæc tam illustris species, quam non præsentis tantum, sed etiam absentes admirentur, quæ non paucos homines, sed innumerabiles ad sui amorem excitet, quæ non in vita tantum,



## DE REG. INSTIT. ET

sed multò etiam clarius post mortem omniũ  
 commemoratione vigeat; non in corpore, sed  
 in animo collocanda sit. Opus est igitur, vt al-  
 titudinem tuæ mentis excites, & ingenium i-  
 stud præclarum ad considerationem regiæ for-  
 mæ conuertas; itaque operæpretium erit; vt id  
 fieri facilius possit, vim & rationem pulchri-  
 tudinis explicari. Est autem pulchritudo for-  
 ma conueniens & apta, modo & ratione dimē-  
 sa, claritate coloris illuminata, omnes partes  
 continens inter se mirificè concincentes: & ra-  
 tio quidem pulchritudinis eadem propemo-  
 dum est in rebus omnibus, quæ pulchræ sunt:  
 ita tamen, vt quo res natura præstantior est, eò  
 pulchritudo illius admirabilior sit. Sint igitur  
 pulchræ vestes, pulchri torques, pulchræ  
 gemmæ, fulgentes etiam & instratæ sellæ pul-  
 chræ sint: dũ modò intelligatur corporis spe-  
 ciem & pulchritudinem, multũ inter omnes  
 res pulchras, quæ oculis cernimus, excellere.  
 Inde factũ est, vt nemo vnq̃ amore vestis pul-  
 chræ, vitam in discrimen intulerit: & multi  
 pulchri corporis amore mortem sibi consci-  
 uerint. Non enim, vt est apud Plautum, vestem  
 amatores mulieris amant, sed vestis fartum.  
 Quod si tantas vires habet amor insigni specie  
 corporis excitatus, vt multos stupore mentis  
 opprimat, & ad insaniam redigat: quantam tã-  
 dem admirationem commouebit animi pul-  
 chritudo, mentis oculis vsurpata? an non est  
 consequēs, vt quemadmodũ nihil esse potest,  
 in omni natura, mente & ratione præstãtius: ita  
 nullũ decus sit animi decore magnificentius?

accedit

accedit quod nemo ex amore huius pulchritudinis insanit: sed potius miros sapientiæ fructus excipit. Vt autem melius possimus, quanta sit animi dignitas, intueri, commodum erit illius partes oratione perstringere. Prima igitur pars est mens & ratio, cum mente diuina & muneris similitudine, & cœlesti (vt ita dicam) agnatione coniuncta. Huic deinde pars illa subiecta est, in qua irarû ardor existit, contumeliâ & indignitatē acri contentione repellens. Tertia pars est voluptatis appetitio, ea quæ videntur suauia atq; iucunda vehementer arripiens. His autem singulis partibus aliæ subiiciuntur, quas, ne longior sim, quàm instituta ratio postulat, omitto. Cùm verò hæ partes omnes & numero continentur, & ratione coniunguntur, & mentis lumine collustrantur: tantus ex illis ornatus exoritur, vt diuinâ pulchritudinem & dignitatem referant. Nec em̄ flagitiosa voluptas animo dedecus inurit: nec inanis dignitatis species mentem de statu conuellit: nec vllus tumultus excitatur, qui rationem perturbet. Honoris enim studium rationis imperium sequitur: voluptatis autem libido, honestatis moderatione comprimitur; mens autem, & ratio clarissimum lumen præfert, atq; pro iure suo: obtinet enim natura in animo principatum: partes languêtes incitat, impotentius elatas coêrcet, & singulas sedibus proprijs continet, & quousque illis progrediendum sit, lege præscribit. Itaque dissipata coniungit, dissoluta cōglutinat, omniaq; lege & ordine moderatur, & magnitudine diuini

## DE REG. INSTIT. ET

cuiusdam splendoris & claritatis illuminat, sic autem fit, ut nihil impedire possit ratione, quo minus vitæ finem videat; & quo sint omnia studia referenda cognoscat: & quid sit verum, & rectum, & simplex, sapienter exploret; & statui totius animi consilio salutari prospiciat. Illa verò pars, in qua summa decoris appetitio & turpitudinis acris offensio viget, nunquam temerè ruet, illudque tantum certamen inibit, quod rationis imperio fuerit institutū. Nec illa quidem pars, quæ voluptates exquirat, immoderatè iactabitur: nec ita se proiciet, ut animo dedecus inurat, & pro voluptate grauem dolorem efficiat. Ergo cum voluptas cum honoris appetitu consenserit; honoris autem & laudis studium à rationis imperio minimè descinerit; extabit & eminebit illa summa dignitas & pulchritudo, admirandaque honestatis elegantia, qua nihil possit aptius, & conuenientius, & illustrius excogitari. Hinc autem colligitur, illos tantum esse pulchros, qui sunt sapiētes, & fortes, & moderati. Quid enim esse potest amentia & temeritate deformius? quid vel præcipiti ambitione turbulentius, vel timiditate & ignauia turpius? quid libidinis immanitate flagitiosius? hæc enim mala animi totius statum euertunt; decus insigni flagitiorum omnium labe maculant; omnemque pulchritudinis elegantiam fœdè atque flagitiosè contaminant. Accedit illè angor & cruciatus, quibus assiduè torquentur illi, qui animi flagitijs deformatum gerunt. Ut enim animi pulchritudo est cum alijs omnibus, tum  
illi



illi ipsi, in quo inest, amabilis atque incunda: sic deformitas & turpitude non alijs tantum, sed etiam illis ipsis, qui ea deprauati sunt, est odiosa & inuisa, grauissimisque in omni vita supplicijs obnoxia. Ex quo sequitur, omnes deformes esse miseros & calamitosos; pulchros autem, florentes atque foelices, omniq; stabili, & firma voluptate, & singulari gaudio cumulosos. Cum igitur nemo diu amari possit, nisi pulcher sit; pulcher autem nemo sit; nisi qui & sapiens & magnanimus, & in omni vita moderatus est: efficitur, si verè te omnes tui amant, ut his laudibus omnibus cum omnium admiratione circumfluas. Præterea cum pulchritudo nihil sit aliud, quam illarum partiū, quas memorauimus, lumen, consensus, & conspiratio: Iustitia verò sit animorum concordia, partium conuenientia, stabile foedus, atq; firma conuentio, & prudens & fortis & apta moderatio; concluditur omnem clarissimæ formæ dignitatem, splendore iustitiæ contineri. Primum igitur videamus an sis iam sapientiam assecutus: labi enim, errare, decipi cum omnibus flagitiosum & turpe sit: tū illis, qui reliquos homines prudentia & moderatione suatuendos suscipiunt, longè turpissimum. Quod si nondum sapientiam es adeptus, nec alijs quidem laudibus ornari poteris. Nec enim fortis est is, qui non intelligit non esse contra animi dignitatem: sed pro dignitate dimicandum, & omnem viam verissimæ dignitatis ignorat: neque moderatus is, qui modum & rationem, quo est coercenda libido, omnesq;

DE REG. INSTIT. ET

partes animi in officio continendæ, nõ tenet. Iustitiæ verò laus cùm in illarum partium cõuenientia & moderatione consistat, qua tandem ratione extare poterit in illo, cuius animus fuerit partim dissensione perturbatus, & immoderatione cupiditatis euersus? ergo vbi sapientiæ studium non viget, ibi nullus splendor honestatis eminebit. Sin autem iam tibi sapentiã parasti, quã non te solùm, sed vniuersam Remp. foeliciter regas, quæro rursus, vnde illã accepisti? Benignitate tua singulari fretus, ô Princeps humanissime, hæc omnia scrutor, omnibusq; vestigijs indago, confidoque futurum, vt cùm intellexeris, quo animo hæc adeò curiosè vestigẽ, mea sedulitas minime tibi molesta sit; non mediocrem enim opinor fructum ex ea percipies. Hoc igitur scire sanè velim, num tu ipse sine vllõ magistro sapientiam assecutus sis: an illius magistrum habueris. Si per te nixus ad sapientiam peruenisti, vehemèter admirabor. Si enim ne alea quidem ludere quisquã potest, nisi sibi magistrũ ludendi peritum adhibeat; quo tandem modo quisquam sapientiam, rem vnam omnium clarissimam atq; difficilimam, sine doctrina percipiet? Si verò sapientiæ regiæ magistros habuisti: rursus quæro, an illi fuerint ostentatione tantùm & leuitate: an verissimo studio, & vitæ grauitate & constantia sapientiæ disciplinam professi. Deinde quomodo id cõstare tibi potuerit. Vt autem planè constiterit, cupio scire, quãta illis attentione aures præbueris: postremò quantũ temporis in artẽ tam vtilem

lem & necessariã contuleris. Nec enim res tam præclara à quouis magistro tradi, aut quavis animaduersione percipi, aut breuissimo tẽpore perdisçi potest. Ergo cùm vt alia omnia tibi fuerint ad sapientiã comparãdam valdè oportuna, tamẽ & ætate puerili impeditus, & temporis angustis admodũ spacijs exclusus, sapiẽtiam assequi nequueris; reliquum est, vt minimè tibi sapientiã arrogare debeas. Quod si nondũ sapiẽs es (pace tua dixerim) ne pulcher quidem habendus es. Quid igitur est, quòd te tã vehementer amemus? ingeniũ mirabile, indolem ad virtutẽ planè regiam, spem denique ipsã, quam de futura sua pulchritudine & dignitate concipimus. Nec em̃ dubitamus, quin si istius præstantis naturæ vim excitaueris, & te diligẽter ad disciplinã honestatis applicueris, & homines ad tuã familiaritatẽ in omni genere virtutis excellẽtes asciueris, sis ad illũ sapientiæ gradum peruẽturus, in quo diuinæ in te formæ splendor eluceat. Tibi igitur tũc dulcis, & amabilis, atq; iucundus esse poteris, hominumq; admirationem cõmouebis, tuorũq; voluntates ad te amandum vehementer allicies; nec enim tunc te libidinis impuritas inquinabit, neq; mortis metus à pulcherrimis factis auocabit, nec vlla dementia te opprimet: & cùm firmè cõstitueris aut honestè viuendũ, aut honestatis retinẽdæ gratia moriendũ, nullum periculum, qd' ad augendã & amplificandã dignitatem pertineat, effugies. Nulla igitur tunc labe cõmaculari poterit, tam excellentis decoris amplitudo. Et cùm omnes turpitudinu. n



DE REG. INSTIT. ET

dinum notas summa contentione vitaueris,  
 tum vel maximè illud infigne dedecus à te lô-  
 gissimè propulsabis, quod superbia & arrogā-  
 tia continetur. Nihil est enim inani mentis e-  
 latione & leuitate furiosius atque detestabi-  
 lius. Si igitur hæc tam dira pestis in animum  
 tuum inuaserit, & tibi falsa specie grauitatis  
 illuferit, omnes opes honestatis tibi detrahet,  
 odiumque in te omnium hominum acerrimè  
 concitabit. Vt enim voluntates humanitate &  
 modestia conciliantur: ita fastidio & insolentia  
 offenduntur. Præterea si perditorum homi-  
 num sermonibus inductus existimaueris ni-  
 hil iam tibi ad summam gloriam deesse; lan-  
 guescet industria tua, studiumque virtutis om-  
 ninò restinguetur, nec ad eam laudis amplitu-  
 dinem, ad quam te naturæ præstantia vocat; a-  
 spirabis: sed fallaci honestatis imagine delu-  
 sus, sempiternum dedecus & ignomiā subi-  
 bis. Quò enim indoles animi tui clarior est, eò  
 turpius erit ignauix detestandæ flagitiū. Nul-  
 lam igitur opem afferunt tibi quidam homi-  
 nes perditissimi, qui ita omnia tibi tribuunt,  
 quasi iam pridem sis dignitatem istam, de qua  
 differimus, affecutus: imò tibi pessimè nocēt,  
 excellenti enim mentis istius altitudini impe-  
 dimento sunt, quo minus decus immortale si-  
 bi comparet. Quomodo enim summa conten-  
 tione pugnabis, vt ad amplitudinem dignita-  
 tis summæ peruenias, si te iam eam planè con-  
 secutum esse suspicatus fueris? at sine ardenti  
 studio, sine summa industria, sine acri totius a-  
 nimi contentione, nemo vnquam poterit spe-  
 cie &

cie & claritate regiæ dignitatis excellere. Quare tam sceleratam hominum nationem, qui tibi dedecus æternum imprimere volunt, à te repelle, tuæque naturæ bonitatem confule; & quantum opibus excellis, tantum te submitte, omniumque te cōmoditatibus, qui imperio tuo continentur, accommoda. nec enim in summis opibus inaniter extolli; sed in maxima potentia animum moderari, maximam dignitatem conciliat: neque plurimum sibi quemquam tribuere, sed ad altissimum dignitatis gradum eniti, excellētem gloriam parit. Quatuor autem vitijs illos contaminari necesse est, qui insolenter efferuntur; amentia nempe, & humilitate, & inhumanitate, & impietate. Quid enim amentius, quàm minimè videre, quàm fluxa & caduca sint omnia, quæ versantur in vita; quàm breui res humanæ commutentur; & quàm graues & inopinati casus opes valdè florentes euertant? quid humilius & abiectius, quàm humi defixam mentem habere, nec cœlestia atque sempiterna, sed terrestria tantum & mortalia contueri, opibusque fluxis & interituris extolli? quid inhumanius, quàm homines reliquos contemnere, nec vlllo sensu communis doloris ad misericordiam commoueri; sed vltrò etiam in alienis calamitatibus insultare? quid scelestius, quàm ita quemquam in opibus suis gloriari, quasi eas non à Deo accepisset, sed ipse viribus & industria sua omnes illas sibi parauisset; itaque homo superbus & insolens in odium hominum irruit; & odium grauiissimum in se cœlestis numinis

## DE REG. INSTIT. ET

minis accendit. Non igitur poterit vllō modo, vlla veræ pulchritudinis species esse cum superbia coniuncta. Is igitur tantum, qui est sine ostentatione sapiens, sine temeritate fortis, sine desidia moderatus, sine auaritiæ suspicionē frugalis, sine leuitate magnificus: ita grauis vt non insolescat, ita modestus vt non contemnatur, qui omnes opes suas in communem vtilitatem conferendas arbitratur, neque se niti, sed patriæ natum existimat, & pulcher, & honestus, & clarus, & illustris est, & gratus, & amabilis atque iucundus, summoque imperio & gloria immortalī dignissimus. Hæc autem tam diuina forma, facilius haberi, quam simulari potest. Vt enim mulieres falsi candoris atque ruboris medicamentis infectæ, acres etiam interdum amatores immunditia metiti coloris offendunt, & cum primum illitus fuco color eluitur, id vitium, quod illæ emendare conabantur, magis apparet: ita qui sapientiam & virtutem simulant, ipsius picturæ fallacis odio homines à se abalienant, & cum breui omne, quod est simulationis artificio tinctum, ad naturam suam redeat, euenit vt flagitia, quæ latere videbantur, in odium multo acerbius incurrant. & mulierum quidem fraus multo leuior est: minus enim nocet; & damnum illud ad pauciores pertinet, & in eo sunt aliqua venia dignæ, quod eam pulchritudinem, quam vehementer experunt, si deformes natura fuerint, studio adipisci nequeunt, ita vt quodammodo faciē medicamentis illinere cōpellantur. At qui honestatis personam

induunt,



induunt, cum sint flagitiosi & impuri, capitales sunt, & pestem in Remp. vniuersam machinantur, & illius rei simulatione sustinere contendunt, quam studio & disciplina consequi potuissent. Formam enim corporis fingere non possumus: animi vero formam possumus. Cum igitur nihil amari constanter atque diligere possit, nisi pulchrum & elegans, & decens sit, verissimamque dignitatis opibus illustratum: & cum dignitas & pulchritudo non in amplitudine imperij, nec in magnitudine pecuniae, nec in venustate corporis: sed in animi cultu sita sit, qui quidem in sapientiae splendore, in virtutis robore & constantia, & in modestiae laude & ornamento consistit; quid aliud in omni vita faciendum est ijs, qui amari, qui diligere, qui in omnium ore versari, qui gloria immortalis frui cupiunt, nisi ut rebus alijs neglectis, malis suis oribus repudiatis, & bonis & sapientibus ad suum nomen adiunctis, arrogantiam & fastidium execrentur, totoque pectore in studium sapientiae, virtutis, & moderationis incumbant? Ergo si laude circumfluere, si omnium praedicatione celebrari, si ardentem ab omnibus amari pulchrum existimasti, si usque ad cupiditatem immortalitatis exarsisti, sapientiam inflammato studio consectare, virtutis inuictum robur assume, toto animo elegantiam moderationis amplectere, easque laudes omnes ad Reipublicae tibi commissae fructum accomoda; & sic demum eam formam indues, quam omnes amet, admirentur, atque suspiciant, immortalique laude celebrent. Habes summum ingenium,  
habes

DE REG. INSTIT. ET

habes naturam ad res maximas strenuè gerendas aptam, & habilem, habes animum gloriæ studio ardentissimè concitatum, habes opes summas: fac igitur vt cùm tantis & naturæ & fortunæ opibus abundes, tibi ipsi ne desis, & cùm aliquod pulchrū facinus obieris, aliquod præclarior & excellentius esse cogita, ad quod fit tibi omnibus viribus enitendum. Parui nãque animi est mediocri laude esse contentum, & non maiora semper & altiora moliri. Eueniet igitur, vt si identidē ad tuas pristinas laudes aliquid addēdum curaueris: in animo tuo nouus quotidie ornatus oriatur, & dignitatis tuæ species clarioribus indies opibus illustretur. Quamuis autem ad excellentem dignitatem, acri quodam studio & summa contentione peruenias, illud tamen reputare debes, nihil esse tam excelsum atque magnificum, quo non sit illud, ad cuius exemplum effectum & informatum fuit, multò altius & magnificentius. Vt enim in reliquis rebus est quædam naturæ perfectio, cuius participatione & similitudine res singulæ coherent, & in natura consistunt: ita in pulchritudinis ratione, est quædam species sempiterna, ad cuius similitudinem omnia, quæ honestate excellunt, effecta sunt. Hæc est illa pulchritudo, quæ nulla labe maculari, nullo vitio contaminari, nulla egritudine corrumpi, nulla vetustate deleri potest, cùm summa atque sempiterna sit, sibi quæque similis in omni æternitate permaneat, totiusque honestatis in se fontem & principium contineat, & omnibus rebus splendidis & honestis

tis claritatis & honestatis causam afferat.  
 Hanc igitur intueri, hanc amare, hanc imi-  
 tari conuenit omnes, qui magni viri futuri  
 sunt, & hominum immortalis memoriæ con-  
 secrandi. Non solum igitur opus est, ut ma-  
 iorum tuorum exempla tibi imitanda pro-  
 ponas, sed multò etiam magis in diuina pul-  
 chritudine mentem tuam defigas, ut illius si-  
 militudine conformari, & opibus excitari  
 possis ad summam decoris & laudis excellen-  
 tiam. Sic autem te præsentibus intuebuntur,  
 absentes tui desiderio flagrabunt, de te om-  
 nes loquentur, laudes tuas in cœlum ferent,  
 nomen tuum nulla vnquam inobscurabit ob-  
 liuio. Hæc me Regi dixisse putate, vestrum  
 autem est admonere, quæ sint huic orationi  
 detrahenda, vel adijcienda: ut si fuerit ali-  
 quando necesse illa uti, non prorsus ineptus  
 existimer. Quamquam ineptiarum suspicio-  
 nem vitare non potui, cum in ficta causa tam  
 longa oratione usus fuero. Sed soli sumus,  
 & otio nunc abundamus, & si quid ineptum  
 nobis exciderit, secretum tenebimus. Ora-  
 tio quidem inquit M. bene longa fuit, sed  
 ea iucunditate conspersa, ut confidam fo-  
 re, ut facillè in animum Regis influat. Id qui-  
 dem, inquam, si fiet, non tam orationis iu-  
 cunditate, quam Regis ipsius benignitate  
 fiet. Sed velim intelligatis quid actum sit.  
 Tribus enim rebus (si meministis) diximus vir-  
 tutem tradendam esse: institutione, legibus,  
 & disciplina. Primum enim est animus mori-  
 bus honestis imbuendus: deinde legibus insti-  
 tuendus:



DE REG. INSTIT. ET

tuendus: postremò ratione atque disciplina confirmandus: de morum constitutione non pauca diximus; de legum etiam sanctionibus multa disputauimus, non mediocrem verò sapientiæ disciplinam in honestatis ratione positam arbitramur, de qua à nobis hæc oratio habita est. Quod si hæc omnia ad Regis eruditionem conferantur, fieri certè poterit, vt nihil illo clarius existat. Cùm enim ratio & disciplina non pugnat cum legibus, & leges cum institutione puerili consentiunt: non potest animus tumultuari, & in contrarias partes distrahi, & ita fiet, vt omni perturbatione vacuus, quid optimum factu sit in vita perspiciat. Quamuis igitur nihil aliud dicerem, hæc mihi satis esse viderentur. Sed hominum impudentium insidiæ, quas extimesco, faciunt, vt plura mihi dicenda putem. Quare nisi vobis aliud videtur, reliquum est, vt statum regis, moribus, & legibus, & ratione optimè constituti, validis etiam præsijs muniamus. Vt libet, inquit M. totum enim hunc diem tibi dicatum existima, vt institutam disputationem absoluas. Hic Portugallensis mea inquit sententia, sermo in pomeridianum tempus differendus est, vt commodius ad finem perducì possit: nunc enim commodum videtur, vt Solis ardorem vitemus, & valetudini consulamus. Tu verò, me autem nominabat, apud nos hodie manebis. Nescio inquam, an id mihi per hospites liceat: & prætereà erat mihi sermo de rebus magnis cum Michaelè Valentino (homine religionis opi-  
nionè

nione præstante ) statim post prandium habendus. Non poteris inquit, villo modo tergiuerfari : nam quod ad culpam attinet , ego pœnam , si qua tibi fuerit imposita, sustinebo; & sermo iste, quem dicis, poterit in aliud tempus commodè reseruari. Non repughabo inquam voluntati tuæ , maximè verò ob eam causam , vt longioris temporis opportunitate , possimus intra hunc diem totam de Regis institutione disputationem concludere. Hæc vbi dicta fuère, in villam deducti ab illo sumus:

LIBRI QVINTI FINIS:

DE  
REGIS IN-  
STITVTIONE ET  
DISCIPLINA, LI-  
BER SEXTVS.

**P**OST prandium verò paulu-  
lum quieuimus, & varijs ser-  
monibus animos ab illa dis-  
putandi contentione relaxa-  
uimus; inclinato deinde in  
pomeridianum tempus die,  
admonitus ab illis sum, vt impositum mihi  
munus exequerer. quod quidem differre no-  
lui: sic igitur interruptam orationem conte-  
xui. Iam & naturam Regis, & institutionem,  
& studium, & mores, & disciplinam oratio-  
ne persecuti sumus; nunc verò restat, vt gene-  
ra præsidiorum, quibus regis status munien-  
dus sit, oratione etiam complectamur; quod  
vt rectius videre possimus, referamus animos  
ad eos homines, quos plerique Reges in de-  
licijs habent: & intelligamus, quæ sit eorum  
mens, qui sensus, quod studium, quid velint,  
quid nolint, quid sperent, quid metuant: vt tū-  
demum statuere possimus, quæ nobis præsidia  
comparanda sint. Hoc quidem, inquit T. scire  
cupio, quid faciat ad Regis præsidium, nosse  
mentem eorum, cum quibus Reges iucundis-  
simè viuunt. Dixi inquam, vobis me non tan-  
tū ingenio valere, vt possim excogitare, quid  
Regis



Regis statum conseruet: cùm tamen videam omnes hominum istorum machinas ad Regis perniciè comparari, opinor quidquid fuerit illis aduersarium, salutem regibus allaturum. Si enim constat, nihil esse tam infestum regibus, quàm adultores; consequens est, vt nihil magis regium statum firmet, quàm id, quod maximè est adulatorum menti, studio, cupiditati contrarium. Sunt enim adultores maximi amatores Regum ( vt ante diximus. ) Amatoris autem est, multum de propria voluptate, parum autem de rei, quam amat, utilitate & existimatione cogitare. Quid enim quæso ( vt illa similitudine vtar, qua iam superius vsus sum ) cupit nefarius & flagitiosus adolescens, qui virginem amat? num vt singulari pudicitia sit? vt bene atque diligenter asseruetur? vt parentibus offensionem asferre non audeat? vt infamiam magis, quàm mortem horreat? vt denique religionem vnice colat? Non certè. Quid contra parentes, fratres, cognati, & omnes, quibus illius vita atque dignitas cara est? nihil aliud profectò, nisi id tantùm, quod amatores exhorrent; nempe vt bene morata & singulari honestate prædita sit: vt nunquam ad suam familiaritatem mulieres impuras admittat: vt honestarum foeminarum familiaritatibus implicetur: vt exitus earum, quæ sunt amatorum libidinibus obsequutæ, reformidet: vt postremo sanctissimam religionem violare non audeat. Hoc idem igitur nobis faciendum est, quando aliam magis exquisitam rationem excogitare nõ possumus. Vt igitur, qui

## DE REG. INSTIT. ET

virginis famam tutam ab omni labe conserua  
 re nituntur, id efficiūt, quod amatores mole-  
 stissimè ferūt: ita & nos quibus Regis dignitas  
 cara est, in eo pugnare debemus, vt Rex sit illis  
 virtutibus ornatus, & illis præsidijs circumse-  
 ptus, quibus faciliè possit armatorum effre-  
 natas libidines, à suis opib<sup>9</sup> atque dignitate co-  
 hibere. Est autem exploratum adulatorib<sup>9</sup> inu-  
 tilem esse regis pudorem, honestatem, vigilā-  
 tiam, acumen, modestiā atque scientiā. Dan-  
 da igitur opera est, vt his laudibus omnibus  
 cumuletur; & in omnibus artibus, & studijs  
 id videndum & faciendum est, quod valdè sit  
 ab adulatorum moribus & institutis alienum.  
 Cùm verò nihil sit, quod eos magis excruciet,  
 quàm riualitas; fit vt perinde atq; reliqui ama-  
 tores nimis anxie reformidant, ne riualem ha-  
 beant pulchriorem vel vrbaniorem, vel ditio-  
 rem, vel aliqua alia re præstantem: ita qui gra-  
 tiam Regis ambiunt, solliciti sunt, ne quisquā  
 in regis familiaritatem veniat, qui illos digni-  
 tate superet, & diligentissimè cauēt, ne Prin-  
 ceptis vlllo studio & amore teneatur, qui illū ab  
 eorum coniunctione diuellat. Non igitur so-  
 lūm omnes homines virtute præstantes ode-  
 runt, sed omnes etiā præclaras artes suspectas  
 habent, & tanquam riuales molestissimos exe-  
 crantur. Dāt igitur (vt iam dictum est à nobis)  
 obnixè operam, primū quidē, ne Rex se mul-  
 torum hominum sapientia, atque virtute præ-  
 stantium fidelitate & beneuolentia sepiat: de-  
 inde ne statum suum literarum cognitione &  
 maximarum artium disciplina cōmuniat: po-  
 strēmò

stremò ne regnũ & imperium summo religionis studio, diuiniq; nominis auxilio & ope corroboret. hæc enim omnia illorum fraudib<sup>9</sup> aduersantur: & sunt eorum cupiditatibus vehementer infesta. Quid igitur aliud est nobis, qui omnia ad Regis dignitatem conferimus, faciendum: quàm vt hoc triplici præsidio, quod adultores minimè volunt, regis statum muniamus? Hoc igitur saltem hominibus istis tam lepidis & vrbanis nos debere fatendum est; quod nobis regis nostri non ornandi tantum, sed etiam tuendiviam monstrant. Admovent enim dum Regẽ euertere conantur, quid contra nobis ad illorum insidias præcauendas comparandum sit. Triplici igitur præsidio regis opes muniendas statuo, bonorum hominũ coniunctione, artium maximarum cognitione; & religione atq; sanctitate. Vt autem de hominum auxilio primùm dicam, hoc certè constat, nullum negotium, quod aliquam utilitatem vitæ contineat, sine multorum hominum auxilio confici posse. nec enim ex agro quisquã vberes fructus colligere; nec in re pecuaria cum magna utilitate versari, neque mercatura rem augere poterit: nisi multorum hominũ opera & industria fuerit adiutus. Magister autem nauis nisi multorum nautarum operis vsus fuerit, quo modo cursum tenere, & nauem appellere ad portum optatum poterit? quid imperator, num sine multorum militum robore & alacritate, & sine bonorum præfectorum opera & consilio, bellum feliciter administrabit? ne autẽ reliqua munera vitæ recẽ-



DE REG. INSTIT. ET

seam (nec enim necesse est) hoc planè liquet, neminem posse in aliquo negotio & munere cum laude versari, nisi multos muneris illius socios fideles asciverit. Hoc tamen animadvertendum est, temerarium esse, cum sint aliqui in muneris alicuius societatem conuocandi, non peritos, sed imperitos accersiri. Veluti cum is, qui bellum aliquod difficile suscipit, non veteres duces, sed mercatores in consiliū adhibet, aut cum mercator ad suas rationes decidendas, non alios mercatores, sed milites accersit; similiter qui in agricultura, non agricolas, sed homines à rebus rusticis, abhorrentes consulit, mentis expers habendus est. Hoc igitur manifestum est, in omni negotio, quod magnam vtilitatē contineat, multorum hominū qui periti sint, operam esse summo studio flagitandam; nec enim homo solus, nec imperitorum turba constipatus, poterit vlllo modo quidquam vtiliter administrare. Quid igitur de maximo omnium atque difficillimo munere, cuius administratione & prouidentia reliqua omnia continentur, existimandum est? fieri ne potest, vt Rex aliquis tantam personā tueri, tam multa negotia conficere, tantum statum incolumem conseruare queat; nisi fuerit multorum hominum prudentū consilio, virtute, fidelitate munitus? Nullo modo. Quo pacto enim vno tantum ingenio cūcta, quæ sunt regibus excogitanda, prouideri, aut vnis oculis omnia, quæ sunt in Repu. diligenter speculanda cerni, aut vnis auribus omnium postulata & querelæ audiri, aut vnis postremò manibus

nibus res innumerabiles effici, & ad exitū destinatum perducī possunt? hoc qui fieri posse credit, stultus; qui periclitatur, insanus & furiosus; qui in eo perseverat, miser & infœlix est. non solum enim illius amentia conuincetur, sed vniuersam Rempub. funditū perdet. Rex igitur, qui munere suo cum laude perfun- gi cupit, multos Reges muneris socios habeat necesse est; aliter enim frustra studium, & industriam, atque ad eò vitam in regno tuendo consumet. Reges autem appello, qui virtute regia ornati sunt, quamuis regnum minime possideant. Vt enim citharœdum non citharæ faciunt; sed citharæ pulsandæ artificium; ita non qui regni opes possidet; sed qui regnandi scientiam tenet, merito Rex appellandus est. Quis autem ille est? Is certè qui (vt antè diximus) & sapiens, & magnanimus, & in omni vita moderatus est: quem nulla vexat amentia, nullus motus de statu deiicit; nulla cupiditas immoderata labefactat; qui nullas proprias opes publicis commodis & æquitati iuris anteposit. homines igitur, qui his quærendi & vestigijs omnibus persequendi, ex tenebris etiā extrahendi sunt; vt regibus operam suam nauare possint. Nec ij tantum, qui in omni regia virtute excellētes extiterint; sed ij etiam, qui mediocribus officijs ornati fuerint, sunt ad familiaritatem & obsequium Regis admittendi, vt omnium operis vti possit, & ex maiore bonorū numero seligere eos, qui virtute præstiterint, quorum consilio & auctoritate facilius officio suo fungatur. Sed ij, quos Regi familia-

DE REG. INSTIT. ET

miliares & domesticos esse volo, ex vno tantū ordine hominum deligendi sunt? an ex omnibus, si in illis specimen aliquod virtutis atque probitatis eluxerit? sed vt de hac materia melius differamus, statuendum est, tribus rationibus quempiam à plebis turba segregari; diuitijs nempe, aut nobilitate, aut virtute. & quemadmodum refert Aristoteles, omnes ciuiles dissensiones, harum trium rerum contē-tione excitari plerumq; solent. Iustitia quidē ciuium animos deuincit, iniuria verò dissoluit, & ad intestinum bellum impulit. Iustitiæ verò munus est, vnicuique dignitatem suam tribuere; summa enim iniquitas est, non ponderari vniuscuiusque dignitatem: sed vel ijs, qui minus digni præmio sunt, maiora præmia condonari; vel saltem, æqualia præmia & munera dignitatibus inæqualibus statuere. Quātum enim quisque reliquos dignitate antecellit, tanto par est eum maioribus præmijs atque bonis honorari. Rectē igitur Achilles apud Homerum, de Agamemnonis iniquitate conqueritur, quòd eodem honore, & homines obscuros, & claros afficeret. Hac autem querela vtuntur omnes, qui se putant reliquis dignitate præstare, cū se præteritos animaduertunt; aut nihilo sibi plus quàm cæteris, quos ipsi dignitate vincunt, attribui. Inde igitur odia, inde dissidia, inde clandestina colloquia, inde fraudes in Repub. capitales, inde ciuiles tumultus erumpunt. Omnes enim illud bellum legitimum arbitrantur, quod pro dignitate suscipitur: dignitatem autem suam violari



lari & imminui putant ij, qui plurimum possunt, cum se reliquis hominibus exæquatos esse vident. Causa tamen ciuiliſ discordiæ concitandæ, non eadem est apud omnes. aliæ namque alibi maius momentum habent. vbi enim multum valet pecunia, ibi qui ditissimus est, minimè ferendum arbitratur, homini egenti eundem honorem haberi, quo se affectum cernit. Vbi verò multū nobilitati tribuitur, quoties homo nouus è tenebris emergit, & honoribus illustratur, indignum facinus esse clamitant omnes nobiles, hominem è terra natum ad honores nobilitati debitos aspirare. vbi tamen virtus in honore est, ibi quamuis interdū virtute excellentes præteriti sint & honoris repulsam iniuria patiantur, minimè molesti sunt. Virtus em̄ se ipsa contenta est, & honoris cupiditati facilè modum cōstituit: neq; valdè gloriā à populari celebritate petendā arbitratur, cū se vera & stabili gloria florentē cōsiderat. Illi igitur solū seditioes nō excitāt, q̄ soli iure, de facta sibi iniuria queri poterāt. Sed q̄a nō semper de virtute perfecta loquendum nobis est; sed est etiam ad virtutē popularē oratio nobis accommodanda, militaris etiam virtus cum plerumque sit intemperans, & nullam indignitatem pati possit, hac etiam ratione Rem pub. perturbare solet. Quoties enim vir militaris sibi antelatum aliquem cernit, quem se virtute superare censet, id mortis instar esse putat. Homines igitur etiam fortes & magno animo præditi, sæpenumero hac specie indignitatis offensi, tetra dissidia moliuntur,  
& pa-

DE REG. INSTIT. ET

& patrias interdum suas euertunt. Nos verò, qui sub Rege viuimus, minus sumus his motibus expositi, propterea, quod Rex est quasi quidam ludorum Gymnicorum præfectus, vt præmia diuidat, & omnes contentiones æquabilitate summa dirimat, & nos ita sumus illius placitis addicti, vt illius etiam in iudicâdo iniquitatem multò patientius tolerandam arbitremur. Quamquam & in regno etiam soleant hac de causa seditiones atque dissidia concitari, & coniurationes contra Regis statum atque vitam ferri: quemadmodum sub Ioanne Rege hoc nomine secundo (viro multis virtutibus ornatissimo) maiorû nostrorum memoria factum fuit. Ne tamen id sæpius eueniat, est impedimêto & nominis Regij maiestas, & muneris amplitudo, & ciuiû fides erga reges sanctè culta, & diri proditorum exitus, & sempiterna perfidiæ & proditiõis infamia, in qua posteri non mediocriter erubescunt. Quamuis tamen id rarò accidat, vt in regno, qui se læsos esse putant, dissidia concitent, & interitum vel Regi, vel Reip. moliantur; non tamen mediocre malum existimandum est, cû multi de Regis iniuria queri meritò possunt. Vt enim nullum aliud incommodû Respub. subeat, illud non leue reputandum est; quod multi homines fortes & industrii, cû vident virtutis dignitatem minimè perpendi, multû de virtutis ipsius alacritate remittunt. Fieri quidem non potest, vt Rex omnibus ex æquo satisfaciat: id tamen illi prouidendû est, quoad fieri poterit, ne quisquam iustis querelis vtatur,

tatur ; aliter enim neque suum officium faciet: & homines industrios, quorum opera plurimum iuuari potuisset, alienabit. In Lusitania verò, cum summum honoris præmium videatur esse in Regis familiaritate & gratia constitutum ; nec enim Lusitani dignitatem tam in opibus & facultatibus, quàm in Regis hilari vultu ponendam arbitrantur; videndum est maximè nostris Regibus, quales sunt ij homines, quos ad suam familiaritatem admittant, quos rursus excludant. Videamus igitur, cum non placeat homines inæquali dignitate præditos æqualibus præmijs atque muneribus donari : & indignis intromissis, homines fortes excludi, quibus sit ponderibus vniuscuiusque dignitas examinanda. Omnes autem, qui se honore dignos existimant, aut diuitijs abundant, aut nobilitate generis efferuntur, aut virtute præditi sunt. Quos igitur familiaritate digniores esse iudicatis? An id dubium est, inquit T. eos esse præferendos, qui virtute præstant? Quod virtuti inquam, summum præmium honoris adiudicas, laudo: quod indicta causa reliquos eijcis, non probo. Si placet igitur antequam feramus sententiam, eos audiamus. Rectè mones inquit. Par igitur inquam est, vt illos loquentes audiamus, vt facilius, quod æquum est, statuere possimus : experiamur igitur, an diues possit ad hunc modum causam suam tueri. Ego inquit, cum essem in magnis opibus enutritus, fui admodum liberaliter educatus, & artibus homine ingenuo dignissimis institutus. Nunquam enim egestate cõpulsus  
fui



DE REG. INSTIT. ET

fui opus aliquod fordidum & vile suscipere, quod me ab honestatis studio retardaret, ut ij faciunt, qui rei familiaris angustia laborant. Reliquis igitur vitę curis expeditus honestatę vnice colui, illisq; me disciplinis dedidi, quibus instructus facilimę possem magnam Reip. opę in magnis rebus afferre. Multa igitur präclara didici; multum operę & studij in remilitari consumpsi; multum patriam consilio & armis adiuui; nec mihi in opibus meis materiã libidinis, sed instrumentũ virtutis inesse constitui. multos namq; milites alui: multos bello captos redemi: multos ære alieno liberaui; maximisque sumptibus maxima & difficilima munera diligenter obiui: opę mea Regi difficilimis temporibus semper prompta atq; parata fuit. Nec enim vnquam exercitum scribi, aut classẽ instrui necesse fuit, quin ego pecuniam meam in communem vtilitatem conferrem, & omnes meas facultates regis obsequio destinarem. Quocirca rationi consentaneum est, ut illis omnibus, qui inopia coacti tantas Reip. vtilitates afferre minimę potuerunt, anteferar. Hęc si diues diceret, nõne tibi videretur iure niti, atq; meritõ causę suę cõfidere? Videretur inquit, si ea, q̄ dixisset, factis probare posset. An vera inquã sint, quę dicit, testibus confirmanda relinquamus: hoc tamen interim ex illius oratione colligamus, illum qui ita loquitur, non in pecunia, sed in virtute omne suę causę firmamentum collocare. nec enim quantos pecuniarum acervos domi congestos habeat, sed quã liberaliter pecunijs v-

tatur;

tatur, & quomodo omnes suas opes in Reipu. studium contulerit, oratione commemorat. Omisso igitur virtutis studio, nescio quomodo probare diues possit, se dignum esse, quem Rex in familiaritatem suam recipiat. Si enim ita loquatur: Ego multò lautius omnibus istis, qui mecum certare volunt, epulatus sum: multòq; mollius & delicatius vixi: multò magnificentius conuiuium, quoties hospites excipien di fuerunt, instruxi: multò plura scurris & parasitis donavi: alea multis in locis ingentem pecuniæ iacturâ feci, meretrices multas alui, solem vitavi, laborem fugi, vestibis pretiosissimis excultus, & fragrantissimis vnguētis delibutus incessi; idq; sedulò curavi, ne id, quod maiores mei tanto labore quæsierunt, in res laboriosas & iniucundas impenderem, sed in omni voluptate perfruenda consumerem. Non igitur æquum est, vt ij, qui non ita splendide viuūt: sed vel multis in bello laboribus attriti, vel literarum studio confecti sunt, & tenui victu & cultu contenti esse possunt, mihi præferantur. Hæc si diceret, audiendum existimares? Non profus, inquit. Quid, inquam, si diceret, non patiar equidem vlllo modo ex opibus meis teruncium in honoris leuitates, aut in futiles voluptates insumi, sed pecuniâ coaceruabo, nec vllū quæstum me indignū iudicabo, thesaurum circūplexus noctes & dies afferuabo & diligentissimè cauebo, ne quidquam de argenti structis aceruis imminuam; facilius autem patiar filios meos in seruitutē abduci, meque morbo molestissimo conflictari, quàm pecu-

DE REG. INSTIT. ET

pecuniam, quam tanto labore paravi, insipienter absumi. Nec enim mihi affines neque cognati, nec amici, neque filij honori & emolumentum sunt, imò omnes me oderunt, me extinctum cupiunt, ut pecuniam meam diripiant, atque per summum flagitium effundant. Pecunia igitur tantum mihi honorem, mihi delicias, mihi voluptatem afferre potest; in illa igitur habeo vitæ propugnaculum, miserię per fugium; senectutis oblectamentum, illam colo, illam veneror, cum illa me oblecto, in illa tantum omnia præsidia vitæ constituo. Cum igitur ita sapiens sim, ut speretis voluptatibus, neglectis honoribus, repudiatis amicis, omne studium vitæ in pecunia paranda consumpserim; quid causæ est, cur non anteponar istis stultis, qui quoties aliqua species honoris & honestatis eorum oculis obuersatur, omne patrimoniũ repentè profundunt? Si hæc diceret, aures illi præberes? an potius hominem sordidum, & inhumanum, atque adedò impium & sceleratum, qui in Dei loco pecuniam colit, ex totius regni finibus exterminandum putares? Exterminandum certè, inquit T. dum modò pecuniam secum minimè asportaret. Nec enim æquum est, ut cui supplicium meritò constitui debet, vlla fordida & impura voluptatis materia tribuatur: & ratio flagitat, ut qui pecunia uti nescit, non eam impunè possideat. Minimè inquam, impunè possidet; semper enim eget & in mendicitate versatur: neque tam quod iam compressum domi cõtinet, quam quod nimis sitienter appetit, secum recogitat. Opes quas  
habet,



habet, attingere non audet. earum quas nō habet, infinita cupiditate cruciatur; in quærenda pecunia labore conficitur; in seruanda, cura & sollicitudine contabescit: si quidquam emittit, in tolerando dōlore, & mœstitia laceratur. Nemini credit; omnes suspectos habet; familiares & domesticos extimescit: filios fortunis suis inhiare verissimè suspicatur: strepitu muris attonitus fores effringi, & fures in domum penetrare putat. Cùm domi est, rei augēdæ sollicitudine victus, in forum excurrit: inde autem, ne quid, dum illæ abest, familiares auertant, domum se proripit. Nunquam igitur letum diem videt; nunquā ne in somno quidē animo conquiescit: sed semper tristis, semper attentus, semper vel spe, vel metu sollicitus afflictitur. Dum igitur huic vni curæ incumbit, neque sibi, neque Reipub. utilis esse in vita potest; idque tantum agit, vt hæredes in morte illius exultent. Ergo cùm omnis diues, si virtute caret, vel prodigus, vel auarus sit; & vtrumque vitium sit impedimēto, quò minus opes illius aliquam Reipub. vtilitatem afferant: consequens est, vt omnis qui sinē virtute diues est, à Regis familiaritate repellatur. Quod si secus euenerit, & contempta virtute diuites honorati fuerint; eueniet tandem, vt nemo virtutē colat, & omnes pecuniæ seruiendum existimēt. In regno enim omnes id tantum summo studio conseruant, quod à Principibus honorari vident, si igitur homines honorem virtuti debitum ad pecuniam transferri perspexerint, studium virtutis negligent, & in cogen-

da pecunia certatim elaborabunt, neque quomodo Remp. pro parte sua iuuent: sed quomodo rem suam accessionibus infinitis amplificent, sibi curandum arbitrabuntur. Virtutis igitur industria languescet; iniquitas, & fraus ad Reipub. perniciem erumpet; totiusque regni status funditus interibit. Quid de nobilitate dicemus? poterimus ne illis aditum ad regem claudere, quibus omnium consensu maximè semper apertus est; flagitium profectò fuisset nullo modo tolerandum; maximè verò, cum eorum quilibet his verbis agere causam suam possit. fingamus igitur aliquem nobilem hominem in hanc sententiam loqui: Ego claro & illustri loco natus sum, & si voluero genus meum à stirpe repetere, multos fortes, & in omni genere virtutis excellentes viros enumerare possum, qui cum Rempu. plurimum opibus & consilio, & virtute iuissent, à regibus eam ob causam summis honoribus & ornamentis illustrati sunt. his igitur domesticis exemplis stimulatus, neq; dormire, neq; quietem pati possum; eo namque studio flagro, ea cura sollicitor, id animo molior, ut meorum gentiliū decori ne desim: sed illorum etiam laudes labore, & vigilantia mea superem. Nec enim si labe aliqua aspersus fuero, vitia mea obscura esse poterunt, cum in tam clari generis luce & celebritate nomen meum versetur; ut mihi à maioribus meis degenerare non liceat, sine insignis infamiae turpitudine. Non igitur opes, non pecuniam specto, non flagitiosas voluptates exquiro: sed omnes curas & cogitationes meas

ad

ad gloriam & honestatem confero, tantaq; verissimè laudis cupiditate incendor; vt præclare mecum agi putem, si dum ad immortalitatem nominis aspiro, mortem oppetam, & pro breui vita corporis, vitam gloriæ sempiternam adipiscar. Si igitur generis claritas, si maiorum exempla, si artes ingenuæ, quas à pueritia colui, si signa, quæ iam insitæ indolis atque virtutis egregiæ dedi, mihi hos stimulos admouēt: nonne sperandum est, vt multò clariora facinora pro Reipub. salute, & pro Regis dignitate suscipiam, quam ij, qui nullis exemplis domesticis ad amplitudinem laudis & dignitatis excitari possunt? æquum igitur est, vt eundem locum apud Regem obtineam, quem mei maiores tenuerunt: neque mihi quisquam nouus homo, in hac contentione dignitatis anteponatur. Hæc si dicat homo nobilis, potestis ne tam honestæ orationi repugnare? Minimè, inquit T. Et rectè quidem inquam censesis, hæc enim oratio stirpe virtutis innititur: neq; Germanam nobilitatem ab honestate seiungi posse statuit. Sed si idē dicat: ego generis mei fiducia subnixus ambulo, nulloque metu nobilitatis amittendæ conturbor. Nec enim mihi quisquam meam nobilitatem eripere vlla ratione potest. Ego lautus & urbanus sum, & specie etiam venustus, & omni lepore circumfluos: nemo me dexterius alea ludit: nemo est conuiuia festiuior, nemo in omni nobilitate dicacior, nemo innuit oculis argutius: nemo cubito tangit eos, qui propè sunt, malitiosus. Iam vero amorum blanditias & venustates, quis ma-



DE REG. INSTIT. ET

iore studio consecratur? me, virgines aulicę libenter aspiciunt; mecum iucundę sermocinatur; quacumque autem incedo, omnia unguentorum fragrantia redolent; & vbi que suauitatis meę impressa vestigia relinquo; multa que alia voluptatis & deliciarum causa facio, quę maximę nobilitatę decent. Occurrat hic aliquis, & dicat: quid si dum tu stertis, & torpore desidia que langues, & vitam in istarum deliciarum festiuitate consumis, aliquis homo nouus industria singulari pręditus ad honestatem enitatur, tibi que dignitatem pręripiat? Mihi ne homini vtraque stirpe nobilissimo, vt homo sine gente, sine nomine, in fece infimę plebis educatus, anteponatur? Certę si ius & ratio vim habuerit, & ille dum tu dormis, sese vigilanter & acriter ad studium virtutis applicuerit. Colat ille virtutem, quantum volet, ego tamen, qualis sim, nobilis semper ero. Si igitur fieri nequit, vt aut ille parentes mutet, aut ego insignia meę gentis amittam: quid erit indignius, quàm illum mihi in aliqua dignitatis ratione pręferri? bene profectò se res habebit, si nouus homo rusticano patre natus homini natalium splendore clarissimo fuerit antelatus. Quid si fiat? Ita ne verò? id fieri aliqua ratione poterit, vt is mihi pręferatur, quem ne in domesticis quidem meis numeradum existimo? Sit facinus, quantum voles, indignum, id tamę aliquando sit. Quid igitur tunc facies, si idem tibi euenerit? Non ego inquit, solus mihi conuictum fieri vociferabor; sed omnis nobilitas eam ad se contumeliam pertinere putabit, &

fidem

fidem Regis implorabit, & aut suum ius questibus obtinebit, aut iniuriam suam constanti animo persequitur. Quomodo? aut qua tandè ratione? A Rege semigrabimus, inquit, & illū perinde atque dignus est, hominum ignobilium turba cōstipatum relinquimus. Quo quid Sol videre potest indignius? Principem clarissimū ignobilium hominum turba circumfunditur eorumq; contagione pollui? infirmorumq; ministerio Regis maiestatem imminui? illum ne Regem appellabis, cui nouus homo poculū ministrat? quem manibus suis vestit, & ornat? Non profectò dignus est nomine Regis is, qui tantam dignitatem subire potest. Faciat igitur ille, quod libuerit: nos verò iniuriam nobis illatam, minimè impunitam, & inultā relinquemus. Eum namque plebis infimæ sordibus illini & contaminari patiemur; & tum demum intelliget, quantum Regis flagitium sit, homines genere illustres & claros offendere. Hæc si dicat homo nobilis, qua ratione poterimus illius iracundiam reprimere? aut quomodo Regem, si nobilium hominum penuria coactus fuerit poculum è manu hominis noui fumere consolabimur? Fieri vix potest. Experiamur tamen & primum quidem hominem amplitudine generis elatum admoneamus, ne sit virtuti, è qua omnis vera nobilitas ortum habet infensus. Nobilitatem enim ex virtute natam esse confirmabimus, atque tantisper dignitatem iure atque meritò retenturam, dum in illa splendor virtutis eluxerit. Virtutem verò semper & specie illustrem, & amplitudine

## DE REG. INSTIT. ET

admirabilem, & fructu salutarem extitisse, &  
 dignam, quæ summis honoribus & titulis illu-  
 straretur. docebimus deinde, illum nobilita-  
 tis auctorem & Principem, à quo hic, cū quo no-  
 bis sermo est, genus ducit, hominem à princi-  
 pio obscurū fuisse; virtute tamen imagines po-  
 steritatis mirificè consecutum, nullam autem  
 nobilitatē extare, quæ possit à primordio ge-  
 neris humani suæ claritatis ortū repetere. Ut  
 enim aliquis possit seriem maiorū suorum re-  
 censendo multos homines claros enumerare,  
 ad opifices tandē perueniet, & in ipsam fecem  
 plebis, quam fastidiosè contemnit, incurret.  
 Quod si ea mens Principū fuisset, eo tempore,  
 quo ille primus nobilitatis suæ propagator è  
 tenebris emergere cœpit, vt nullo modo pate-  
 rentur aliquem hominē obscuro loco natum,  
 quamuis magnitudine virtutis excelleret, in  
 nobilitatis lucem vindicari: necessario acci-  
 disse, vt hic & multi alij nobiles, quos gene-  
 ris nouitas offendit, in perpetuis tenebris &  
 obscuritate sempiterna laterent. Illum de-  
 inde obnixè precabimur, ne nouorum homi-  
 num virtuti inuideat: imò in ea principiū suæ  
 nobilitatis & claritatis agnoscat: præclarū esse  
 cum virtute, virtutis dignitatē cōtendere, non  
 virtutis inuidia, virtuti interitum machinari:  
 propriam nobilitatē tueri, non aliā nascentem  
 irritis conatibus impedire. Nullum enim ina-  
 nitatis & leuitatis impetum posse virtutē in-  
 fringere. Iubebo deinde illū vt animaduertat,  
 quomodo nobilitas tuenda & cōseruanda sit;  
 vt enim illius initiū, & fundamentū est in vir-



tute positum: ita virtute conseruari & augeri,  
 & flagitijs interire. Amicè igitur illú admone-  
 bimus ne nimis natalium splendori confidat:  
 sic enim natura comparatum esse, vt q̄ virtute  
 splédet, obscuretur flagitio, & quod industria  
 partum est, amittatur ignauia. Tum etiá ridi-  
 culum esse dicemus, Regi nobilitatis discessi-  
 one minitari. Tantá enim potestatem in Regi-  
 bus, tantumq̄; (vt ita dicam) numen inesse, vt  
 facilè possint meritis excellentibus excitati,  
 & generis nouitatē nobilitare, & inertem no-  
 bilitatem contemnere. Quod si Rex nō potest  
 yllo modo dignitatem suam sine præsidio no-  
 bilium tueri, nihil ab illo fieri posse sapienti-  
 us; quàm omnes familias, in quibus aliquod lu-  
 men honestatis splendere viderit, nobilitatis  
 insignibus ornari, ne vnquam relinqui à nobi-  
 litate possit. Vt enim diligens agricola nouas  
 arbores ferit, quæ, dum aliæ vetustate consu-  
 muntur, exurgant, atq; fructū ferant: ita Regi  
 necessariū esse, vt assiduè nobilitatis planta-  
 ria seminet, vt semper vetustæ nobilitati suc-  
 crescant nouæ nobilitatis propagines. Hortabimur etiá illum, vt recolat animo, quorū sit  
 sanguine procreatus; & maiorū suorum egre-  
 gia facta memorabimus; & quantum dedecus  
 illius futurum sit, si non illorum vestigia fue-  
 rit persecutus, admonebimus: obtestabimur  
 deniq; vt ineptias vitet, & insolentiã fugiat,  
 & virtutē colat, & honestatē retineat, si vult  
 clarus & amplus esse; nec aliena dignitate, nec  
 vanis nominibus efferatur; sed omne amplissi-  
 mi decoris ornamētū in propria atq; vera dig-

DE REG. INSTIT. ET

nitate constituat. Ex his quidem locis argumēta sumemus, quibus si fieri possit illius, qui omnia dignitatis ornamenta in nobilitate ponit, arrogantiam minuamus. Regem verò quibus præsijs contra minas insulsæ nobilitatis armabimus? aut quibus rationibus admonebimus, ut neminem in suam familiaritatem recipiat, nisi virtute & industria præcellens extiterit? date igitur hanc veniam mihi, ut illum rursus alloquar. Ut lubet, inquit T. ridens, dum modò ne te ista consuetudo sæpius cum rege differendi, ab amicorum colloquio & familiaritate disjungat: timeo enim, ne orationes istæ cum Rege sæpius habitæ animos tibi efferrant. Quid? inquam, iam ne vos invidia lace- rat? quid facietis, cum me penitus in familiaritatem Principis ipsius immerfero? Hic postquam arrisere, ego sic exorsus sum, quasi cum ipso Rege loquerer: sic igitur orationem institui. Nullam esse, princeps inuictissime, artem maiorem, aut difficiliorem, quam tractare Rempub. pro tua singulari prudentia iudicare potes. Quamuis igitur & ingenij acumine, & animi magnitudine præcellas, multisque opibus instructus & ornatus sis; difficillimè tamen imperium geres, nisi fueris multorum hominum consilio, fortitudine atque fidelitate munitus. Cum igitur constet tantum munus ab vno solo homine, sine multorum operis & sine sapientum hominum consilio administrari non posse, reliquum est, ut videamus, è quo genere hominum selegendi sint ij, quos in familiaritatem admittere, & quorum operis uti debeas. Tria namque sunt

sunt hominum genera, quæ dignitate certant. alij namque diuites sunt: alij nobiles, alij virtute præstantes. Quæro igitur num difficilis deliberatio sit, qui potissimum à te diligendi sint? Non arbitror. Nam si diuites opes suas tibi & Reipub. vsui futuras esse pollicentur, si bonis artibus student, si pecuniam ad honestatis studiū conferunt: cum bonis certè numerandi sunt, & ob eam causam digni iudicandi, qui plurimum tuæ humanitatis obtineant. Si verò seclusa virtute & honestate, pecuniam ornamentis affeceris, & homines diuites, quamuis omni virtute vacui sint, ad tuam familiaritatem aggregaueris; auaritiam ornabis, insolentiam confirmabis, ignauiam sustentabis, pessimumque in Rempub. certamen induces. nemo enim vt virtutis laude præcellat, elaborabit: sed vt omnes pecuniæ magnitudine superet, enixè contendet. Sic igitur fraus & iniuria dominabitur; honestatis studiū interibit; iniquitas & prudentia Rempub. peruertent; duxque maximæ Reipub. pestes eam mortifera tabe conficient. Quæ nam illæ sunt? inquires. Diuitiæ quorundam ingentes, aliorum verò mendicitas. Vix enim potest quisquam opes suas præter modum augere, quin multi ad inopiam redigantur: quod enim nimis accrescit vni, de multorum victu detrahitur. Sic igitur eueniet, si auaritia fauore tuo confirmata fuerit, vt alij ditissimi sint: alij in mendicitate versentur. Diuitias verò immanes, luxus, ignauia, nequitia, fastidium, insolentia, alia præterea flagitia innumerabilia consecuntur. Extremæ



## DE REG. INSTIT. ET

verò inopiæ comes est desperatio ; inde verò  
 erumpit amentia , rixa, furtum, latrocinium,  
 publici status odium, & reliqua mala, quibus  
 Respub. in summum discrimen adducitur. Ut  
 autem nullum aliud malum inde proueniret,  
 illud certè non mediocre putandum est, quòd  
 in tenui admodum fortuna nemo liber esse po-  
 test. Egestas enim eripit mentem & deprimit  
 animum, atq; seruire compellit. Postremò ijs,  
 qui sine virtute ditissimi sunt, inopes inuidet;  
 inopes verò à diuitibus contemnuntur ; & ita  
 necessariò odium inter illos acerbissimum cõ-  
 citatur; & Resp. in contrarias partes distracta,  
 atq; contentionibus dilacerata concidit; aut  
 certè facilimè externorum hostium armis op-  
 primitur. Si igitur tantam vim malorum inue-  
 hit in Remp. ingens hominum quorundam pe-  
 cunia cum magna & graui multitudinis clade  
 coaceruata, quid minus Regis officio cõuenit  
 quàm auaritiæ fauere? auaritiæ autem is Prin-  
 ceps nimis fauebit, apud què diuites, qui pro-  
 bi & honesti non sunt, in gratia fuerint. Quod  
 verò ad homines nobiles attinet, eorum cau-  
 sa honestior esse videtur. Nobilitas enim ple-  
 runq; è fonte virtutis & honestatis emanat. nõ  
 nego multas familias diuitijs, ad aliquam etiã  
 nobilitatis rationem peruenisse: vera tamen &  
 Germana nobilitas, non aliunde, quàm ex vir-  
 tutis fonte profluit. Illi namq; primi, qui suæ  
 nobilitatis fundamenta iecerunt, cum essent  
 ignobiles & obscuri: bonis tamen artibus præ-  
 stanteque virtutis industria hoc assecuti sunt,  
 vt claram stirpem in multa secula propagarèt.

Habent

Habent igitur homines nobiles, quorum exemplis ad virtutem & gloriam excitari possint. Si igitur maiorum suorum vestigijs institerint, & in studium verissimę laudis incubuerint, equum est, vt illos in fidem & amicitiam tuam recipias, multisq; opibus & ornamentis augeas. Sic enim illorum virtutem debitis præmijs afficies, & eorum memoriam, à quibus generati sunt, grata voluntate prosequeris: si verò maiorum gloria cõtenti, opes, quæ ad illos hæreditate venerunt, in nequitia & leuitate consumpserint, nec vllũ virtutis genus in vita coluerint: duplici ratione non tantum à familiaritate tua; sed etiam à congressu prohibendi sunt. Nempè quòd & se turpitudine contaminauerint, & claritatem maiorum suorum dedecore maculauerint. Quò autẽ clarius est eorum genus, eò maiore odio digni sunt, qui generis sui gloriã magnitudine libidinis & impuritatis obscurat: quando ne domesticis quidem exemplis stimulati, sese in aliquod studium honestatis & laudis incitauerint. Sunt igitur repellendi, & eijciendi, & contemptione leuitatis & iactationis acerrimè coercendi. Si enim illos, quamuis sint ignauissimi, tua gratia dignos, eò tantum, q̃ nobiles sunt, existimaueris: ales arrogantiam, corroboraabis impudẽtiam, confirmabis ignauiam atque desidiam, eoque rem deduces, vt eorum superbiam atq; fastidium tolerare non possis. Deinde quod est miserrimum, libertatem tuam hominibus leuibus, superbis, ingratis addixeris. Quid enim leuius esse potest eorum temeritatẽ &

amen-

DE REG. INSTIT. ET

amentia, qui nominibus tantum inanissimis, sine vlla ratione solidæ & expressæ dignitatis insolescunt? Quid superbius illis, qui tantum sibi arrogant, ut omnes, qui nobiles non sunt, ita præ se contemnant, ut homines esse non putent? quid ingratus illis, qui, quamuis summis afficiantur muneribus & beneficijs, semper tamen fremunt, multo sibi minora præmia delata fuisse, quam generi atque nomini suo debeantur? Sic enim nobilitatis opinione tumet, ut omnia præmia virtuti constituta, nomini tantum suo deberi contendat: & cum multa fuerint adepti, multo plura quotidiano propè conuitio flagitent; eueniet igitur, ut cum præmia virtuti proposita, ad inertem nobilitatem transfuleris, fortes & spectatos homines ab alienes, & nobilitatem minimè tibi deuincias. Præterea si dum nobilium offensionem metuis, virtutem ignobilium non ornaueris, duas res valde salutares è Repub. tolles, nempe metum & spem; metus enim honestatis amittendæ nobilitatem stimulat, & in studio dignitatis vigilantem efficit: spes autè honestatis consequendæ homines fortes, obscuro loco natos mirè sollicitat, & studio virtutis incendit. Ergo si metum hunc nobilibus ademeris; & si spem hanc ignobilibus concederis, utrosque desides & ignauos efficies. dedecoris enim metu sublato, quis ex omni nobilitate volet cum vitæ periculo, præclarum aliquod facinus obire? spe verò dignitatis erepta, quis erit ex omni plebe, qui pro Reipub. salute vitam in summum discrimen iniiciat? Principis autem



autem officium est, ad virtutem omnes incendere: non studium virtutis extinguere, indolē honestatis, in quocunque illa viguerit, excitare: nō certē cuiusdam generis ignauiam noui hominis virtuti præponere, & infitam nouitatis indolem, vt satisfaciatur arrogantiae nobilitatis, opprimere. Nullo igitur modo Remp. virtutis præsidio firmare poteris, nisi nobilibus merum amittendae nobilitatis incutias; & ignobilibus spem illius adipiscendae proponas, & ita certamen illud præclarum instituas, quo bene constitutae Resp. rerum potitae sunt. Nihil enim præclarius esse potest ad imperiū propagandum, quàm illa plebis & nobilitatis contentio, qua pars vtraque in eo pugnat, vt virtute præcellat. Illud prætereà velim Princeps animaduertas, vt diligens paterfamilias esse nequit, qui suos otio torpere sinit: ita neque Rex officio suo strenuè fungi potest, si otiosis atque negligentibus se benignum præbuerit. Rex enim qui ignauam nobilitatem, nouorum hominum industriæ præferendam arbitratur; industriam frangit, alacritatē debilitat, desidiam ornat, & confirmat ignauiam, & sic tandem omnia Reipub. præsidia labefactat. Qui hostem feriet, dicebat Annibal, is mihi Carthaginensis erit. Sic dicat opus est Rex in omni genere virtutis excellens. Qui hostem ferit, is mihi nobilis erit. finge nūc animo maximos hostium exercitus in regni tui fines irrumpere, tantamque vastitatem inferre, vt nisi illos vi atque virtute represseris, sint tibi omnes regni opes amittendae. Si esset igitur ne-

cesse

DE REG. INSTIT. ET

cesse tibi signis collatis cum hostibus dimicare, quo præsidio libētius aciem tuam firmares? fortium ne hominum robore, quamuis essent ignobiles & rusticani: an mollis & delicate nobilitatis elegantia? non dubium est, quin libētius & cōfidentius homines robustos, & acres, quàm nobiles, si essent parum fortes, educes. Quid igitur magis absurdū est, quàm eos, quorū virtuti atque fidei vitam, salutē, atque dignitatem tuam in maximo periculo committeres, inferiores habere ijs, quorū ignauiā & imbecillitati diffidis? Quid enim aliud hostes tui optarent, quā vt hoc animo esses, vt fucatae imaginis inanem splendorem, claritati & splendōri virtutis anteponeres: & hominē bellum & venustū, qui principes in maioribus suis numerare posset, quamuis esset iners & timidus; ita vt hostis vultum aspicere non auderet, homini forti & industrio præferres? intelligerent enim ea ratione profigari in regno tuo virtutem, & ignauiam in dominatu constitui. Id ne igitur fieri vllō modo patieris, quo simul & regni tui opes infringas, & hostibus lætitiæ causam afferas, & quoties signa contuleris, illis necessariō victoriam cum insigni clade tua & ignominia, concedas? Prætereā libenter ex te audirem, quid malles annales de te ad annos sexcentos prædicare? num quod te semper præbueris hominibus nobilibus, quamuis essent ignaui & flagitijs omnib<sup>9</sup> infames, obnoxium, & eorum cupiditatibus obsequentem? an quod nullum inane nobilitatis nomen plus apud te valuerit; quàm egregiæ

giæ virtutis ornamentum? Dubium certè non  
 est, quin malles memoriæ tradi te nihil vnquã  
 in vita pluris,quàm virtutem æstimasse.id igitur  
 nunc fac,quod posteritati commendari,&  
 hominum sempiternæ memoriæ consecrari  
 ardentissimè cupis. Illud deinde cõsidera,ne-  
 que iustitiæ æquitatem pati,nec vllam pruden-  
 tiæ rationem ferre,vt qui nullã omninò Reip.  
 vtilitatem sasserunt, opibus Reipub. saginen-  
 tur;& quod erat fortibus & spectatis homini-  
 bus tribuendum,ignavis, & otiosis sine vllò  
 modo tribuatur. Imò vt apes fucos arcent,eò  
 quòd fuci neque ceram conficiunt, neque cel-  
 las extruunt,nec eas melle cõplent, sed ip-  
 sum mel apium labore, cura,& sedulitate con-  
 fectum,intemperanter absumunt: sic omnes  
 homines desidēs & ignaui, qui tanquam fuci  
 cum nullam operam Reipublicæ nauent, om-  
 nes tamen Reipub. opes liguriunt atque deuo-  
 rant,à regni finib<sup>9</sup> expellendi & eijciēdi sunt.  
 Si enim boni principis est,turpe otium & desi-  
 diam non impunitam relinquere: summum  
 certè flagitium erit,ipsam segnitiam muneribus  
 industriæ debitis ornare; & si ad officium  
 boni regis pertinet,virtutem remunerare,nò  
 mediocre scelus regis erit,virtutem negligere;  
 & beneficia, quibus virtus erat afficienda  
 ad ignauiæ & dedecoris ornamentum transfer-  
 re. Quibus autem quæso artibus & discipli-  
 nis,vel Cyrum,vel Alexandrum,vel Cæsarem,  
 vel alios imperatores, qui regiones innume-  
 rabiles armis inuictis peragrarunt,tantum po-  
 tuisse suspicaris: vt nihil ehet vel tã natura &  
 arte



DE REG. INSTIT. ET

arte munitum, vel tam firmo præsidio vallatum, quod non armis atq; virtute superarentur hac vna certè disciplina, qua virtutis institutio & amplificatio continetur. Non enim diuites, qui malis artibus pecunias querebant, & domi congestas habebant, non homines opinione nobilitatis inaniter inflatos, sed sapientes & fortes ornabant, nec vlli generi hominum, modò in illo vigeret virtus & industria, aditum ad honores summos intercludebant. Quidquid autem erat virtutis ornamentis nudatum, quamuis auro & gemmis splenderet, & titulis magnificis ornaretur: despiciebant & contemnebant, atque pro nihilo putabant. Satis diuitem esse putabant, quem virtute cumulatum esse viderent, & satis nobilem esse censebant, qui factis egregijs notus esset. Cùm igitur multi nobiles, ne nomen maiorum virtute partum aliquo dedecore macularèt, multum operæ in virtutis studio ponerent: cùm multi rursus ignobiles ad spem dignitatis amplissimæ raperètur, eaq; de causa virtutis studio flagrarent: necessario eueniebat, vt multi virtute excellentes extarent. Minimè igitur mirum erat, cùm Principes illi se multis fortibus & spectatis hominibus stiparent, eos orbem terrarum sub imperium ditionemq; suã subiungere. Hac etiam ingressi via Hispaniæ Principes, quorũ stirpe procreatus es, res memorabiles in rebus bellicis effecerunt, & Mauros ex Hispaniæ finibus expulerunt, multasq; Solis Orientis & Occidentis oras armis expugnarunt. Sed quid Hispaniæ principes memo-

ro?cùm nemo vnquam vel apud Græcos, vel apud Latinos, vel apud barbaras & incultas nationes vir magnus extiterit, qui non virtutem omnibus opibus, & titulis, & generis ornamentis, siue in pace, siue in bello prætulit. Principes enim vsu rerum periti, virtutibus instructi, cupiditate laudis incensi, bonorum consilio firmati, fortium hominum comitatu circumsepti: quo tandem modo vinci atque superari potuissent? Si igitur Princeps clarissime & humanissime, eò, quò te istius animi magnitudo vocat, intendis: si ad summum & amplissimum decus eniteris; si vel pacis ornamentis in otio honesto redundare, vel firmissimis præsijs in bello muniri cupis; si maiorum vestigijs ingredi, & optimi Regis officio perfungi desideras; non opes ingentes, si virtute nudatæ fuerint, magnificiendas existimes; non generis nobilitatem, si fuerit honestatis expers, ornandam arbitraris; virtutemque tantum, qua nihil neque pulchrius, neque iucundius, neque salutarius esse potest, amplectere. Iure tuo vttere, libertatem retine, ne vilius inanem fremitum vereare, nullius hominis arrogantis offensionem pertimescas; nec tuæ excellentis indolis atque virtutis indiciũ. Contemne igitur ignauiam, coerce temeritatem, reseca libidinem, comprime superbiam: nemo fit in toto regno vel tam nobilitatis opinione tumidus, qui tibi leges imponat, tantumque sibi sumat, vt te à studio ornandæ virtutis abducere conetur. In quocunque igitur hominum genere virtutem nitere perspexeris,

## DE REG. INSTIT. ET

ris, illud honestandum suscipe. Si id fuerit ignotum, nobilitas; si fuerit egens, locupletas; si fuerit humile, in altum gradum dignitatis extolle, factis ostende, nihil apud te plus valere, quàm splendorem iustitiæ, quàm animi excellentis altitudinem, quàm admirabilem totius decoris & honestatis elegantiam: sic tandem fiet, vt hostibus timorē iniicias, ciues ad amorem allicias, omnibus admirationem commoueas, fortium hominum firmo præsidio muniaris, diuina semper ope & auxilio confirmaris, gloriaque immortalis circumfluas, nullaque posteritatis memoria de tua præstante virtute fileat. Hæc me Regi dixisse putate. quod si illi persuasero, vt in hominum delectu nihil virtuti præferendum existimet, illum minimè officio suo defuturum esse confido. Quantam auctoritatem sis apud illum habiturus, inquit M. si ad illum orationis istius vim & ornatu cõtuleris, augurari non possum. Hoc planè scio, me tuis argumentis adduci, vt credam, omne status Regij tuendi & conseruandi præsidium esse in bonorum studio, consuetudine, & familiaritate ponendum. Quod, inquam, magnum adiumentum bonorum hominum familiaritas Regib<sup>9</sup> afferat, rectè iudicas: quòd verò omne Regis præsidium in eo collocas, falleris quidem meo iudicio. Sunt enim alia multò maiora & firmiora, vt statim videbimus, sed prius pauca quædam de fructu, quem Reges ex bonorum consuetudine percipiunt, dicenda sunt. Primùm quidem ea regibus plurimum dignitas adiungit, vt enim vix quidquam



quam est, quod maiorem labem & maculam dedecoris inurat regibus, quam improborum familiaritas: ita consequens est, ut bonorum conuictus, illis multum dignitatis afferat. Talem enim opinionem de principum moribus & vita recipiunt homines, quales sunt eorum mores, quorum familiaritate eos implicatos animaduertunt. Deinde prudentia, prudentium consuetudine non paratur solum, sed etiam augetur. Rectè Theognis:

*Recti recta monent, prauos si audieris, illi,  
Quid quid habes mentis fraudibus eripient.*

Accedit animus magnus, atque rei bene gerendæ fiducia. Intelligit enim Princeps, qui bonos atque sapientes viros ad suum nomen adiunxit, eos, quibus suam salutem atque dignitatem credidit: neque temeritate labi, neque metu frangi, neque perfidia corrumpi villo modo posse. Nec illud mediocre subsidium putandum est, quod ij Principes, qui bonis hominibus vtuntur, partim eorum exemplo, partim etiã verecundia facilius libidines suas tenent, & modestiæ atque temperantiæ dulcedine capiuntur. Postremò Princeps ille, qui sibi bonos studio atque beneuolentia deuincit, illa iucunditate perfruitur, quam plerique Principes sentire non possunt. Quid enim est in via amico fideli dulcius? quid ad fructum melius? quid ad securitatem munitius? hoc autem tanto bono carent omnes fermè Principes. Ita verò fit, ut ij, qui maximè fidelibus amicitijs firmandi atque fulciendi sunt, nullum fidelem

## DE REG. INSTIT. ET

amicum habeat. Quod quidem duplici ratione contingit: vna est, quod amicitia, iuris quaedam æquabilitate, & pari atque simili ratione continetur; Regis autem maiestas & amplitudo sublimior est, quàm vt quisquam ad illius æqualitatem & similitudinem aspirare queat: altera quòd Reges non omnem curam & sollicitudinem ad bonos viros eligendos conferunt, sed eos tantum, qui se simulato officio inferunt & intrudunt, in familiaritatem recipiunt. Primum impedimentum modestia & humanitate, secundum prudentia atque delectu tolli potest. Non quidem fas est aliquem Regi dignitate exæquari, illud tamen præstat Regis humanitas atque modestia, vt in priuato saltem colloquio, & in secretorum communiõne, eos, quos videt esse sapientia atque fide præstantes, secum exæquari patiatur, neque se illis anteponat, quos regia virtute præditos animaduertit. Similiter etiam Principes sapientes non eos, qui se venditant & ficta sedulitate simulataque virtutis se regibus insinuant, sed eos, qui veræ virtutis opibus florentes, & ab omni leuitate & ostentatione remoti sunt, secum beneuolentia & amore coniungunt. Quod qui faciunt neque prodi, neque deserere, neque in fraudem induci possunt. Cùm enim beneficia sua apud homines gratos, memores, & fide atque virtute præstantes habeant collocata; fieri non potest, vt non eorum fide, virtute, cura, studio, vigilantia sepiantur; & in omni graui casu, & in omni fortunæ iniuria, non eorum opes, atque ad eò vitam pro suo statu in  
dis-

discrimen offerri perspiciant. Hac igitur ratione Princeps, qui statum suum hominū excellentium fidelitate communierit, in illorum virtute conquiescet; illorum opibus cum opus ita fuerit, perinde utetur atque suis; consilia sua cum illis libētissimè cōmunicabit; in illis denique ponet laboris totius alleuamentum, honestissimum pacis ornamentum, firmissimum belli subsidium, summam in secunda fortuna iucunditatem, tutissimū in aduersa perfugium: ita ut non solū regis dignitas, sed animi etiam securitas & oblectamentum, in amicorum sapientia, & virtute, & fide consistat. Ex quo sequitur non esse principis opes tam in auro & argento, & in gemmis, & in vestigalibus immensis, & imperio latissimè propagato; quàm in hominum honestissimorum amicitia collocandas, ut enim Dion ad Dionysium scribens ait, Non videmus in Tragœdijs Principes argenti inopia, sed amicorum penuria concidi. Nemo enim eorum conqueritur, quòd egestate compulsus in cōiuratorum manus inciderit, sed quid dicit? Orbatus amicis ah miser fœdè interimor. Apud Persas olim quidam Regis oculi nominabantur, alij verò aures, alij postremò amici, quo quidem nomine illæ etiam oculorum, & aurium functiones facillimè continentur. Sic autem fit, ut Rex, qui fidelibus amicis stipatus est, multis oculis omnia, quæ sunt illi speculanda atque animaduertenda, prospiciat; multis item auribus omnia, quæ sunt audienda, cognoscat, ita ut labi & errare minimè possit. Princeps igitur,



## DE REG. INSTIT. ET

qui hoc sapienter animaduernerit, multos homines virtute & honestate claros secū sancto & inuiolabili amicitiae foedere coniunget: im primis verò eos, qui sapientiae student, ad suā familiaritatem aggregabit. Sapientum namque familiaritas Principes sapientes efficit. Cū sapientes nomino, viros etiam singulari studio, certae religioni astrictos intelligo. Genus enim philosophiae colunt grauissimum atq; sanctissimum. Vt igitur olim reges, dum res Iudeorum vigeant, sibi in consilium Prophetas adhibebant: sic Christiani Principes, quorum nomen est immortalī memoriae propter egregia facinora consecratū, viros huiusmodi, quos nomine sapientiae & religionis excellere sentiebant, in rebus difficillimis cōsulebant; maximè verò cū diuinum auxiliū erat ardentius implorandum; illorum autem monitis & consilijs fuere in maximis periculis adiuti. Sed in omnium, qui student philosophiae, delectu, singularis sapientia flagitatur. Cauendum enim est, ne Princeps eos, qui falso sapientiae nomine gloriantur, cum bonis in consideratè coniungat. Improbi namq; homines, quò magis disciplinis omnibus instructi fuerint; eò erunt in adulandi artificio callidiores, & maiorem Reipub. perniciem importabunt. Si autem omnes, qui genere claro & clara virtutis indole praediti sunt, sese studio sapientiae deditissent: multò certè melius pro parte sua Reip. consulissent, quàm nunc consulunt, cū otio atq; delitijs indolem suā corrumpi animiq; vires elidi permittunt. Cū

verò

verò multi non eundem animum & studium ad philosophiam conferant, mirum non est, esse quamplurimos ex illis Reip. parum salutare. Sunt igitur illi, qui recto & simplici animo philosophiæ student, ab ijs, qui fraudulenter & malitiosè sapientiæ laudem aucupantur, diligentissimè fecernendi, & illud argumentum, quo tu, T. utebaris, non tam verbis, quàm re ipsa diluendum. Quodnam? inquit ille. Illud inquã, quo asserebas omnes philosophos aut rebus publicis inutiles, aut pestiferos extitisse. Quod quidem tibi facilè concedam. Cur igitur, inquit, philosophiam laudas, cùm philosophos crimine & culpa non liberet? Quia inq̃ Regis sapientia perfici potest, vt neque boni inutiles sint, neq; mali pestiferi. Hoc inquit, ex te libenter audierim, qua ratione fieri possit. Audi igitur, inquam. Primum quidem boni, qui verè & ingenuè philosophantur, pestiferi esse non possunt. Inutiles si sunt, non sua culpa inutiles sunt, sed illorum stultitia, qui eorum sapientia uti nesciunt. Vt enim non est hominis opulenti mendicare: ita neque sapientis ad Principum fores assidere. Et quemadmodum non est boni medici, se, cùm non est vocatus, intrudere: sed ægroti prudentis, medicos sapientes accersere, qui sibi salutarem medicinam adhibeant: ita neque sapientis hominis officium est ostentare disciplinam, & multis allegationibus gratiam principis expugnare, sed principis prudentis officium est, hominem sapientem cogere, vt secū perpetuò sit, vt illius monitis & exemplis ad

## DE REG. INSTIT. ET

Regis officium facilius instrui possit. Sapiens enim nullius eget, cum paruo contentus esse possit, neque summas diuitias in augendis opibus, sed in refecanda cupiditate constituit. Otio frui cupit, vt eximiam voluptatem ex natura contemplatione percipiat. Nō igitur ingenium venditat, neque se multis negotijs implicitum videre cupit, nec omnes vitæ rationes eò confert, vt regis gratiam acquirat. Cū igitur neque Princeps, neque quisquam eorū, qui principi familiares sunt, tam sapiens sit, vt illum inuitum etiam & recusantem extrahat, atque in principis domo versari cogat: caret tunc Respub. utilitate, quam ex illius sapientia consequi facillimè potuisset. Contra verò, qui scientiam ostentant, & scelera sua falso sapientiae nomine contegunt, vbi primū in gratiam Regis irrepserint, & auctoritatem suam apud illum constituerint, pestem, mihi credite, rebus communibus machinabuntur: tantoque grauius malum, quàm reliqui adultores Rebuspu. afferent, quantò perniciosius est scelus instructum, & armatum, quàm inerme atque planè nudum. Liberalis enim eruditio & humanitatis studia sunt arma & instrumenta quædam ad salutem data, quibus improbi homine ad pestem atque perniciem abutuntur. Vt igitur bene moratus homo, si fuerit liberalibus disciplinis instructus, multò facilius Répub. iuuare poterit, quàm si omni doctrina caruisset: ita qui flagitijs coopertus est, si fuerit eruditus, & singulari dicendi ratione limatus, multò maiorem perniciem afferet, quàm si sce-  
lus



lus omni eruditione nudatum in res communes inuexisset. Rectissimè igitur Rebusp. consulat, qui profecerit, ut Philosophi, qui erant inutiles, magnas Reipub. utilitates afferat: qui autem Reipub. pestem comparant, ne Reipub. nocere possint. Quomodo inquis hoc assequemur? Facillima ratio est; si enim, qui multum in Reipub. possunt, hoc sophistarum genus, falsa sapientiæ opinione tumidum, & auaritia flagrans, à Regis familiaritate repulerint; & homines, qui veræ sapientiæ dediti sunt, ad regis familiaritatem perduxerint. eueniet, ut sapientes salutem dare possint: sophistæ perniciem afferre non possint. Sed dicetis fortassè, quomodo tandem fallax sapientiæ nomen, à vera sapientia internoscere licebit? Nihil erit facilius; iactatio enim, & leuitas, & arrogantia, & pecuniæ studium, & animus abiectus atque demissus, & reliqua deinde flagitia, quæ nullo modo diu celari & occultari possunt: facile declarant, quàm sit à veræ sapientiæ splendore remotus is, qui sapientiam inaniter & insolenter assumit. Nihil enim tumidum & inflatum, nihil sordidum & abiectum, nihil flagitio & scelere corruptum, cum vera sapientia simul habitare poterit. Multa quidem de honorum hominum præsidio, quo Regis status muniendus est, disseruimus; nunc consequens est, ut de literarum cognitione, atque de philosophiæ studio aliqua etiam dicamus. Singulis hominum, qui nunc viuunt, sapientia & consilio Regis status fulciendus est: multò certè magis eorum, qui vita iam functi sunt, consilio &

## DE REG. INSTIT. ET

auctoritate Principes omnes, qui munus suum  
 tueri cum laude voluerunt, instruendi sunt.  
 Primùm quidem, quia illi, quorum scripta ex-  
 tant, omnes fermè fuerunt summo ingenio,  
 summa doctrina, summaq; eloquentia prædi-  
 ti. Vix enim fieri poterat, vt monumentum a-  
 liquod illius eruditissimæ antiquitatis, ad no-  
 stra vsque tempora permaneret: nisi fuisset di-  
 uino quodam ingenio excogitatũ, summa sin-  
 gulariq; industria elaboratũ, & admirabili e-  
 loquentia perpolitũ. Quæ enim tanto acumi-  
 ne & vigilantia perfecta non sunt, cùm in alio-  
 rum splendorem incurrunt, protinus euanes-  
 cunt. Deinde quod ea, quæ literis mandarunt,  
 non suo tantũ ingenio pepererunt, sed anti-  
 quissimorum hominũ scriptis adiuti, & mul-  
 tis etiam rerum euentis edocti, & vsu longis-  
 simo vitæ confirmati: ea, quæ viderunt esse ma-  
 gnas utilitates rebus humanis allatura, poste-  
 ritati consecrarunt. Adde quod illi homines  
 ingenio atque doctrina præcellentes, nõ quid-  
 quid illis in mentem subito veniret: sed quod  
 lentè & fastidiosè probarent, & diu cõprime-  
 rent, & sæpè corrigerent, & summo studio li-  
 marent, in lucẽ edendũ esse putauerunt. Tum  
 illi, qui iam ex hac vita excefferunt, inuidia, &  
 obtreptione, & odio, & cupiditate, & reli-  
 quis motib<sup>9</sup> animi carent; neque rem suã auge-  
 re student, neque principum offensionẽ metu-  
 unt: ita vt illorũ decreta & cõsilia suspecta esse  
 non possint. Postremò id, q̄ est antiquitate cõ-  
 firmatum, habet quandam religionem, quam  
 violare à plerisque nefas existimatur. Si igitur  
illum,

illum, qui ingenij sui confidentia, ita subnixus ambulat, ut nullius sapientis consilium accipiat, nullius monitis atq; præscriptis obtemperet, temerarium & insanum meritò iudicamus: quo satis digno nomine temeritatem illius notabimus, qui illorum monita, instituta, præscripta negligit? qui temporibus eruditissimis & florētissimis, inter omnes, qui multum ingenio & prudentia valebant, excellentes extitère? optimoque animo & singulari diligentia, se ad scribendum cōtulère: neq; quidquam literis, & admirabili artificio persecuti sunt; nisi quod esset ad ingenij cultum aptissimum, & ad instituta vitæ clarissimum: & ad Reip. securitatē firmissimum: & si reliqui, qui philosophiā colere possunt, illiusq; fructū & utilitatē contemnunt, mentis expertes habendi sunt: quid de Regibus statuendum est, quorum opes sunt amplissimæ, ad quas moderandas sapientia non mediocris: sed præstans & eximia flagitur, cū consilia sapientiū, quæ monumentis elegantissimis cōtinētur, aut ignavia impediti, aut amentia cæcati aspernantur atq; repudiant? Si enim sapientes nondum sunt, sapientia illis paranda est: aliter enim sibi cōmissum munus obire nō poterunt: si iam sapientiā assecuti sunt, ea certē nō modò summo studio retinenda: sed etiam augenda & cumulanda est. Si enim in rebus omnibus, ea quæ bona esse iudicamus, non solū nobis parari, sed Indies augeri, & amplificari vehementer expetimus cur modū vllum rei omnium pulcherrimæ atque maximè salutari statuemus?

Quid



DE REG. INSTIT. ET

Quid enim sapientia clarius, quid magnificentius, quid iucundius, quid salutaris, quid Regis officio conuenientius fingi & excogitari potest? Qui enim naturæ rationes, & rerum initia, & causas perscrutatus inspexerit, & cœli constantiam, & pulchritudinem, & siderum fulgorem, & orbium cælestium conuersiones, & totius mundi conuenientiam & utilitatem notauerit: & quanta solertia omnia designata & constituta sint, & quàm arctè inter se fœderis naturalis vinculo colligata permaneant, cōtemplatus fuerit: non solum summam voluptatem ex tantarum rerum cognitione percipiet, verùm etiam omni regia virtute cumulari poterit. Facile namque ea, quæ libenter aspicimus, imitamur; & ad illorum nos similitudinem studio & voluntate conferimus. Qui igitur mundi magnitudinem intuetur, & infinitas cœli atq; terrarum regiones animo peragrât, & aui etiam æternitatem mente considerat, pusillo animo esse nõ potest, aut rebus exiguo adeò temporis spatio definitis, miserè cõturbari. Qui verò mundi ordinem, modum & pulchritudinem totiusque naturæ concinnitatem perspicit, nullo modo quidquã perturbatum, confusum, fœdum, turpe, & flagitiosũ aut agere, aut pati poterit, omnemque turpissimæ cupiditatis immoderationem acerrimè profligabit. Qui postremò legem atque rationem considerat, qua singulæ naturæ partes suis in locis continentur, & quomodo omnes inter se consentiunt, & firmo, & stabili amoris fœdere coniunguntur: ita vt nulla in alienam sedem

sedem & locum violenter inuadat, aut alienū munus insolenter vsurpet: imò aliā alijs stabilitatem dent, & aliarum vicissim opibus enixè fulciantur, non alienis opibus manus afferet, nec vim vllam ciuibus intentabit, neque Rempub. vlla iniquitate & iniuria perturbabit: sed iustitiam sanctissimè colet, omneque vitæ studium ad Reip. salutem conferendum existimabit. Iustitiæ namq; munus est, ciuium multitudinem in ordinem conuenienter & aptè redigere, singulos homines in officio continere, nemini permittere, vt neglecto suo munere alienum appetat, aut vim inferat, aut fraudem machinetur, & omnes denique ciues inter se mutua caritate & officio deuincire, vt alij opibus aliorum sustētentur, & coniunctis viribus aduersus hostilem impetum muniantur. Naturæ igitur cognitio, & tam admirabilis fabricæ contemplatio, non solū sapientiam continet; sed etiam ad animi grauitatem & constantiam, ad honestatis & modestiæ rationem, ad iustitiæ moderationem & æquitatem mirabiliter erudit. Illam verò philosophiæ partem, quæ humani animi naturam explanat, quæ partes illius solertissimè perspicit, quæ de virtutibus & vitijs acutissimè disserit, quæ mores & instituta vitæ persequitur, quæ beatæ vitæ rationem, bonumq; illud summum, quò sunt omnia vitæ consilia referenda, describit, quis nō videt ad Regis officium maximè pertinere? Quid de rerum publicarum rectione dicendum est? num ea, quæ doctissimi atque prudentissimi homines scripta reliquères;

DE REG. INSTIT. ET

quære; de rerum publicarum generibus; de pō-  
 puli totius regendi atque moderandi sapien-  
 tia, de artibus & disciplinis, quibus imperia  
 ab initio pariuntur, deinde conseruantur, &  
 amplificantur; de vitijs, quibus paulatim la-  
 buntur & concidunt, atque tandem intereunt;  
 de remedijs, quibus impendentes vniuersæ  
 Reip. calamitates auerti atque propulsari pos-  
 sunt. Hæc, inquam, omnia, quæ homines diui-  
 no ingenio præditi, literis mandauerunt, de  
 Reip. administrandæ scientia: num baiulis &  
 operarijs tradenda sunt? an potius illis, quib⁹  
 totius Reip. temperandæ atque conseruandæ  
 officium & munus incumbit? Quid illud? num  
 tantum onus sine admirabili quadam pruden-  
 tia sustineri poterit? magna verò prudentia si-  
 ne magno rerum vsu, & multorum negotio-  
 rum assidua tractatione minimè comparatur;  
 vsus verò in tam breuis vitæ curriculo mag-  
 nus esse non potest: ita verò fit, vt quamuis ho-  
 mo multis negotijs intersit, ad summamque  
 senectutem perueniat, si nihil aliud nouit, ni-  
 si quod ipse vidit atque transegit, semper ado-  
 lescens, atque pene puer habendus sit. Hoc igi-  
 tur, quod vitæ breuitas negat, literæ cumulatè  
 largiuntur. Historia namque, quam Cicero te-  
 stem temporum, lucem veritatis, vitam memo-  
 riæ, magistram vitæ, nunciam vetustatis appel-  
 lat; prudentiam non vnius ætatis vsu: sed mul-  
 torum seculorum experientia cōparatam tra-  
 dit, & ea rerum cognitione legentes instruit,  
 quam nemo sine lectione potuisset, quamuis  
 ad Nestoris annos peruenisset, adipisci. Toti  
 enim



enim antiquitatis memoriam replicat, infinita rerum memorabilium exempla oculis pene subiicit, casus varios, euentus ancipites, & multas Rerump. conuersiones exponit; prudentum consilia, & fortium hominum præclara facta commemorat; temeritatis & amentiaë exitus diros & exitiales enarrat, atque planè demonstrat, quibus artibus imperia à paruis iniitijs excitata, ad summum fastigium peruenerint; quibus institutis & legibus diu permanferint: quib<sup>9</sup> deinde vitijs paulatim lapsa sint, atque tandè funditus euersa corruerint. Quæ igitur disciplina vtilior esse potest? quod studium salutarius, aut magis regibus accommodatum? Princeps igitur, qui rerum olim gestarum monimenta legendo contriuerit, in similitudinem earum rerum, quas quotidie accidere videmus, incurret: ita vt facillè cum præteritis præsentia coniungat, & coniectura ex antegressis causis euentura prouideat. Historijs igitur eruditus multa Reip. perniciofa vitabit: multa rursus salutaria cõstituet: neq; solum, vt quamdiu vixerit, remp. incolumè præstet; sed vt in multa secula propagari possit, sapientissimè videbit. Si igitur literæ, & philosophiæ studia, tã multa adiumenta regibus afferunt: quomodo possunt sine maximo Reip. detrimento ab illis contempni? an non planè liquet, philosophiã verissimè sapientiæ præcepta continere? an obscurũ est, maximũ munus sine maxima sapientia administrari nõ posse? an dubium est, nullũ munus in terris esse Regio munere mai<sup>9</sup>? cum igitur in rege maxima

sapientia

## DE REG. INSTIT. ET

sapientia requiratur, quomodo poterit illud studium cōtemnere, quo sapientia cōtinetur? quod autem maxima sapientia illis valdè necessaria sit, ex hoc facilimè cōcludi potest: quæ tria sunt, quæ in Rege flagitātur, quæ sine summa sapientia obtineri non possunt, nempe Honestas, & Auctoritas, atque Felicitas. Ut enim subditi imperium illius, qui tenet omnia, libenter atque fidenter, & diligenter accipiant, tria illis necessaria sunt, amor, & fides, & alacritas. Nec enim eorum, quos amamus, voluntatem negligere, neque cōsiliū eorum, quos multum in posterum prouidere suspicamur, aspernari, neque quæ feliciter euentura putamus, negligenter obire possumus: honestas autem amorem conciliat, auctoritas fidem facit, opinio felicitatis alacritatem incitat. Cū igitur in ordine recto salus Reipub. consistat, ordo verò nullus esse possit, vbi non omnes ciues imperium rectoris libenter accipiunt, & vt omnes libenter imperata conficiant, hæc tria, quæ diximus, flagitentur: quis non videt omne regis studiū eò cōferendum esse, vt multum honestate præcellat, & plurimum auctoritate valeat, & vt ab omnibus felix existimetur? de honestate iam diximus, eam complexu & gremio sapientiæ contineri. Qui enim sapiens est, idem fortis, & moderatus, & iustus est; idem etiam laudibus humanitatis & lenitatis excellit: quæ quantum ad amorem excitandū valeant, est explicatu difficilimum. De auctoritate, sine qua imperium constare non potest, etiam disputauimus; imperium enim multò magis

magis principis auctoritate, quàm potètia stabilitur. Cùm enim subditi aut vi, aut spontè pareant; & potentia quidem vim inferat, auctoritas autem voluntatem ad parendum alliciat & impellat; & qui vi cogitur, in officio diu permanere non possit: relinquitur, vt magis necessaria sit Principis auctoritas summa, quàm summa potentia. Omnis verò auctoritas est in opinione sapientiæ constituta; cuncti enim libenter se ad ductum & imperium illius applicat, quem existimant acutè perspicere, quid illis ipsis, qui eius consilio & voluntati parent, vtile futurum sit. Vt igitur ægroti sapienti medico, vt vectores sapienti nauclero, vt milites sapienti imperatori: sic omnes subditi sapienti Regi obediunt, & quidquid ille præscripserit, diligèter execuntur. At inquires, hominum multitudinem, in sapientiæ opinione plerumq; falli, & sæpenumerò sapientiæ laudem illi tribuere, qui sunt amentissimi. Verum id quidem est, id tamen intelligendum est, sapientiæ auctoritatem mendaciorum, non esse posse diuturnâ; facillimè nâque temeritas falsa sapientiæ opinione commendata, rebus ipsis redarguta conuincitur: & desipiens arrogantia manifestò deprehenditur. Quod cùm in omnibus artibus manifestum sit, tum in illa omnium clarissima clarè perspicitur; frustra namque rex temerarius & insanus, sapientiæ nomen obtinere conabitur: quotidie enim cogetur, cum magno Reipub. detrimento stultitiam & amentiam suam operibus indicare. Qui igitur sapientiæ famam ve-



DE REG. INSTIT. ET

hementer expetit, sapientiam comparet opus est:secus enim stultitiam suam omnibus deridendam exhibebit. Cùm igitur in auctoritate regum tantum momenti sit, vt sine illa nemo commodè possit imperium gerere; auctoritas verò tota in sapientia collocanda sit; atque sapientia maximè ex sapientissimorum hominum scriptis, & monumentis egregijs comparatur:quis est tam auersus à ratione; vt hæc præclara studia regibus parum vtilitatis & dignitatis afferre dicat? Vt autem aliquid etiam de felicitate dicamus, intelligendum est, felicem esse illum, quem Græci appellant *εὐτυχῆ*. Is autem ille est, qui id assequitur, quo animus illius intendit; qui à proposito minimè aberrat; qui rarò admodum à cursu, quem tenet, abducitur. Quis autem ille est? Is profectò, qui sciëntiam rei illius tenet, quam tractat, & in qua commodè versari desiderat. Quis enim sagittarius felix est, nisi qui scienter collineat, & eum locù, quem vult, telo configit? Quis medicus felix est, nisi qui scienter remedia morbis accommodat, nec ab artis suæ instituto & præscriptione recedit? Quis imperator felix est, nisi is, qui tenet disciplinam, qua vires hostiũ frangat, & suos milites alacres & confidentes efficiat, & acie prudèter instruat, & omnes boni Imperatoris artes diligèter & studiosè persequitur? Quis ita felix gubernator est, vt nauem sibi commissam in magnis tempestatibus tueatur, & saluam, & incolumem in portu constituat: nisi qui est nauigandi peritissimus? Deniq;, ne in singulis reb<sup>9</sup> insistã, omnis felicitas  
in quo-

in quouis genere rerum, in arte & cognitione consistit. Summi enim artifices, euentum felicem vt plurimum consequuntur. Sapientiæ igitur, non fortunæ est omnis felicitas ascribenda. Rectè igitur ille inquit:

*Nullum numen ab est, si sit prudentia, sed te  
Nos facimus fortuna deam, cæloque locamus.*

Ea enim, quæ fortunæ tribuuntur, neq; consilio prouidentur, neq; frequenter eueniunt, sed rarò & inopinatò contingunt. Nos autem felices eos appellamus, quibus ea, quæ sunt optimè cogitata, prosperè cadunt, raroq; admodum coniectura falluntur. Cùm igitur felicitas à sapientia distrahi atque diuelli non possit, & omnes pro regis felicitate vota faciamus: consequens est, vt nihil magis optare debeamus, quam regem omnibus sapientiæ opibus affluentem. Summa namq; sapientia opus illi est, qui velit sūma felicitate potiri. Quòd si regi diuino cōsilio acciderit, vt singularem sapientiam consequatur, facillimè modestia profligabit incontinentiam; benignitas coercebit improbitatem; iustitia refecabit malitiam; vis & fraus omnis compressa silebit, odiū, temeritas, & imprudentia, & reliquæ animorum pestes in exilium pellentur; ius & fas, & ciuium inter ciues consensio, pacē & otium cū dignitate constituet; & virtus vniuersam Rēp. contra omnes hostiū conatus armis diuinis armabit, neq; solūm Rex ipse felix erit, sed omnes, qui imperio illius continentur, erunt beatæ vitæ participes. Omnes enim, qui sub Rege sapiente sunt, sapientiæ cōpotes habendi sunt.

## DE REG. INSTIT. ET

nec enim insipientes appellari possunt, qui spontè & voluntate sua sapientium iussis obtemperant; vniuersa igitur Respubl. bonis omnibus redundabit. Nec enim solùm erit honestatis opibus florentissima; sed etiam reliquis bonis affluet, quæ ad virtutis & honestatis vsum conferuntur. Iam enim demonstratùm est, diuitias & facultates non esse in possessione; sed in recto vfu collocandas. Ea enim, quæ possidentur ab hominib<sup>9</sup> furiosius & insanis, non salutis atque dignitatis præsidia sunt, sed calamitatis atque dedecoris instrumenta. Illis igitur tantùm bona sunt, qui intelligunt, qui modum seruant, qui quomodo rebus omnib<sup>9</sup> vtendum sit, ratione percipiunt. Cùm igitur omnis felicitatis ratio in sapientia constituta sit, Regi autem hoc propositum esse debeat, vt non ipse solùm felix sit, sed vniuersam Remp. felicem præstet; restat planè, vt nullo modo suum officium tueri valeat, nisi sapiëntia summa præditus fuerit. Si igitur Regi summa sapientia necessaria est: efficitur, vt omnes artes, quibus sapientia continetur, summo studio percipere debeat: sic enim & præstanti dignitate & eximia auctoritate, & magna quadam felicitate præcellet, totumque regnum facile mōderabitur. Sed dices, maximam temporis partem esse in literarum studio consumendã illis, qui ad summum gradum sapientiæ peruenire contendunt. Non ita est: nõ enim (vt iam diximus, cùm de liberalibus disciplinis disputarem) oportet Principem diu in illis immorari, sed tantùm ex singulis haurire atque delibare,



bare, quantum sat sit, & ad ingenij cultum, & ad regie disciplinæ facultatem. Si enim doctor sapiens (nec enim is, qui non fuerit magna eruditione & sapientia præditus, eum delectum habere poterit) ea selegerit ex vnaquaque disciplina, quæ sunt utilissima, & ea, quæ selegerit, via atque ratione tradiderit, neque inutiles Regi quæstiones inculcauerit, neque incerta pro certis affirmare voluerit; & omnè instituendi rationem ad regiam disciplinam & facultatem contulerit: & Princeps ingenio acri præditus, & intelligendi studio flagrans extiterit, & diligenter ea, quæ audierit, memoriæ mandauerit: dubium non est, quin intra breue tempus sit ex omni liberali disciplina fructum eximium percepturus. Viginti annos erat natus Alexander, cùm regnare cœpit: at iam eo tempore orbem disciplinarum (quem Græci *γυμνασιαστική* appellant) studio summo confecerat, & ex Aristotele non ea tantum, quæ ad mores, & ad Reip. gerendæ scientiam, sed ea etiam, quæ ad naturæ cognitionem pertinebant, studio flagrante didicerat: at assiduè in armis exercebatur, & vires corporis saltu & cursu, & palæstra; & venationibus, & vitæ duritia confirmabat, & sub patre etiam interdum militabat, & in pugna Charonæ, quæ nulla fuit temporibus illis acrior & periculosior, non mediocre signum virtutis suæ dederat. Ex quo intelligi oportet, magis animum, & ingenium, & diligentiam, & attentionem ad disciplinas percipiendas requiri, quàm multum temporis spatium flagitari. Quanti autem philosophiam

## DE REG. INSTIT. ET

phiam faceret, illæ literæ declarât, quibus expostulat cum Aristotele, quod ea, quæ illi de naturæ principijs tradiderat, in lucem edidisset. Quanam, inquit, realia reliquis hominib<sup>9</sup> præstabo, si disciplina ista fuerit cum omnibus communicata? malo enim me rerum altissimarum cognitione, quam opibus atque potentia reliquis antecire. Hæc Alexander negare certè non potest, inuidi animi esse: indignè pati, sapientiæ studia peruulgari. In hoc tamen egregiè laudandus erat, quod iudicabat nihil esse magis regium, quam sapere. In medijs itaque bellis sæpè legebat, & intermissa philosophiæ studia recolebat, & Hom. lectione animum à laboribus recreabat, & philosophis utebatur, & tempus, quod alij Principes in aleam, cum magno desidiæ & immoderationis exemplo conferunt; ille in Philosophia consumebat, & hanc vnâ voluptatem animo planè regio maximè dignâ existimabat; quod certè declarat, animo maximo & ingenio acutissimo bene atque sapienter instituto, nihil esse difficile. Nec hoc in Alexandro tantùm, sed in patre illius Philippo, in Pericle, in Epaminonda & in quàm plurimis Græciæ Principibus perspicere potuit, qui sapientiæ studia cum imperatoria atq; ciuili disciplina coniunxerunt. Quòd etiam à Romanis principibus, postquam philosophia Romam commigravit, fuit cum magna gloria, & Reip. salute factitatum: nisi parùm vtilem Reip. fuisse Lælium credimus, aut Africanum, aut Catonem, aut Principes alios innumerales simul & sapientia, & rerum gestarum gloria

gloria florētissimos. Sed inquires, omnes, quos nominare possum, mediocriter eruditos fuisse, me autem in rege non mediocrē sapientiā, sed summam requirere. Verum id quidem est, sed ego summam sapientiam non tam in literis, quā in literarū fructu ponendam existimo. omnia namque Principū studia ad vsum conferenda sunt. Is igitur sapiētior multò est, qui pauciora quidem legit, & ea tamē omnia, quæ legit, ad officium refert, & vfu rectissimo vitæ confirmat; quā is, qui totam vitam in legendo sine vtilitate consumit. Cū igitur summa regis sapientia non ostentatione disciplinæ: sed officiorum diligentissima ratione, & publica vtilitate definienda sit: reliquum est, vt rex mediocriter eruditus, qui ad patriæ salutem eruditionem suam dirigit, sit multò sapientior illo, qui à libris auelli non potest, eo tempore, quo patria opera illius indiget. Vt enim medicus sapiens non est, qui ætatem in studio medicinæ, sine vtilitate cōterit: sed qui salutarē medicinā facit, multosque in sanitatem restituit: ita sapiens Rex non erit ille, qui sapientiæ disciplinam, sine sapientiæ fructu consecratur: sed qui omnia Reipu. vulnera sanat, & ea, quæ didicit, in publicā vtilitatem cōfert. Cū igitur regem mediocriter eruditū, non tamen mediocri sapientia præditum esse volo, non repugnantia dico: sed id, quod facilimè fieri potest. In quo quidem nunquam satis laudare potero multos Lusitaniæ Principes, qui temporibus illis incultis, in quibus omnia præclara studia sepulta esse videbantur:



multum tamen legebant, quod eorum conciones, quas in annales translatis legimus, plenæ philosophorum sententijs facile declarant. In literis autem sacris summo studio versabantur: ita ut si quid ab illis Latine scribendum esset, eodem planè stylo scriberent. Veluti Rex Alphonsus primus regni huius conditor, cuius diuina virtus cum admirabili sapientia coniuncta, meritò est in omnæternitate celebranda. Is igitur cum Scalabim Urbem & situ, & arte munitissimam, & militum multitudine, & vigilum diligentia, & præfectorum vigilantia defensam, centum & viginti tantum hominibus fortissimis stipatus, nocte vna cœpisset: & Urbis situm, & regionis fertilitatem, & expugnationem illam non incommodè literis Latinis complexus est: ita tamen ut appareat illum ex Sanctis literis non viuendi tantum disciplinam, sed dicendi etiã stylum, & rationem percepisse. Post illius autem mortem, vsque ad Dionysij Regis tempora viguit Latinarum literarum studium, quantum illa ætas rudis, & impolita, & continuis bellis exercita ferre potuit: ita ut nullum monumentum illius temporis extet, quod non purè, & dilucidè, & ut nihil aliud dicam, Latine scriptum sit. Inuasit deinde barbaries, quæ pristinam linguæ Latine puritatem, foedè contaminauit: non ita tamen ut studium illius in principibus extingueret. Nam Odoardus rex, Ioannis hoc nomine primi filius, non solum literis valdè deditus fuit, sed librum etiam de regni moderatione scriptum reliquit. Fratrem autem

autem illius Petrum constat eruditum fuisse, & Henricum etiam illum, qui primus ignotas insulas exploravit, viamque aperuit, qua nostræ classes in Indiam, & in omnes solis orientis regiones penetrare possent. Ij omnes cum essent in armis enutriti, non tamen artes ingenuas, & maximas disciplinas neglexerunt, sed multum operæ & studij in illis posuerunt. Nō enim tunc alea, non libido, non ignavia, non desidia, non mollities, non desperatio illorū animos impediēbat, quō minus ingenium excolerent: quantum igitur temporis illis à regni procuratione vacabat, tantum in studijs artium maximarum consumeabant. Intelligebāt enim omnē hominis liberalis & ingenui cultum, virtutibus & scientia contineri. mens enim, quæ in animo dominatur, disciplinis instruenda est; reliquæ partes animi virtutibus ornandæ sunt, vt possimus officio atque munere nostro perfungi. Omnes enim & ad intelligendum & agendum nati sumus. Ita vt nihil sit magis humanæ naturæ cōsentaneum; quàm rerum multarum scientia, & virtutum omnium disciplina, qua simul & alta suspicere, & ea, quæ pulchra esse videmus, laudabiliter exequamur. Hoc intelligentes illi nostri Principes, quos memoravi, & multi, quos causa breuitatis omisi, cum essent militaris virtutis gloria præstantissimi, non mediocre tamen studium in disciplinas artium maximarum contulerunt, & operam etiam dederunt, vt nobilitatem artibus præclaris instituerent. Vbi sunt igitur ij, qui dicunt maiores nostros nullum

DE REG. INSTIT. ET

omnino literarum cultum habuisse? nec enim si quidam nobiles, nomine nobilitatis inflati, & tarditate, aut stupiditate potius mētis oppressi, nullas literas attigerunt, id vitium cōtinuò ad reliquos transferri debet: cū bona eorum pars fuerit studio bonarum disciplinarum acriter incensa. Sed ut iam huic parti finem imponamus, cū constet in principe summā sapiētiā requiri, hæc autem sapientia plurimum literis adiuuetur; nemini dubium esse potest, quin Princeps ille, qui velit amplissimi nominis gloria florere, & ad summorum hominū, qui immortalitati egregijs monumentis consecrati sunt, laudes aspirare: sit & literis, & philosophia, & omnibus summis artibus ornandus & instruendus. Nunc ad illud tertium præsidium omnium firmissimum, atque munitissimum, quod in religionis cultu positum est, tandem veniamus. Ut igitur hinc initiū sumamus, omnibus nationibus (quantumvis ferè & immanes illæ sint, & à Christianæ religionis sacris abhorrentes) insitū est, esse quoddam sempiternū numen, immensa sapientia atq; potestate præditū, cuius vi, consilio, voluntate oīa, quæ super subterque sunt, moueātur atque gubernentur. Id igitur, quod antiquissimi poëtæ prædicant, est omnibus valdè persuasum, imperia ope diuina fundari & augeri, & ea, quæ iā sunt opibus summis amplificata, deleri, ut appareat eiusdem rectoris atq; moderatoris esse, virtutis industriā imperij ornamentis afficere: & superbiā potentia & imperio sublatā de omni statu deturbare. cū igitur sibi, & naturæ operibus admoniti,

& pa-



& patrijs disciplinis instituti persuaderent, res humanas diuina mente gubernari: consequens erat, vt crederent illius numen esse bonis propitium, improbis autem & sceleratis infensum, idcirco homines ingenio præcellentes, qui primi dispersam atq; dissipatam in syluis multitudinem in vnum locum compulerunt, vt eam à vitæ feritate ad humanitatis cultum traducerent, cum leges atq; iura describerent, omne iuris fundamentum in religione collocarunt. inepta quidem illa fuit plerisque in locis, & malè constituta religio. Quis negat? In hoc tamè laudandi sunt, quòd tolerabilius esse crediderunt, quamuis speciem religionis aspicere, quàm omnem religionem aspernari. Qui enim religionem aliquam habet, quauis ea minimè sapienter instituta sit, credit saltem, omnia esse diuino sensu, & mente completa, & res humanas à Deo animaduerti, illiusque munere & beneficentia hominum vitam sustentari: hoc autem, qui secum habet animo constitutum, Dei metu fidem colit, iusiurandum seruat, ius humanæ societatis violare non audet, à flagitio & scelere sæpenumerò reuocatur: ita vt facilimè publico iure deuinciri, & imperio legitimo contineri possit. At qui nullam religionem colit, & omnes sanctitates irridet, neq; fidem seruat, nec humanitatem retinet, nec vlllo iure coerceri potest: sed quatum in illo est, oem societatem humanam dirimit, & statum Reip. intemperantia sua peruertit. Frustra enim leges fanciuntur, vbi numen cœleste contemnitur. vbi. n. primùm spes celandi & occultan-

DE REG. INSTIT. ET

di sceleris homini impio proposita fuerit, quod fieri sæpè contingit, nullum erit tam immane facinus, quod non aggrediatur. Iure igitur primi Urbium conditores Reip. fundamentum in religione ponebant, & eos, quos religione minimè astrictos animaduvertebant, aut morte, aut exilio multabant. Nec enim illam Rempub. felicem fore statuebant, in qua homines impij & scelerati, & communibus rebus infesti, impunè possent pestilenti contagione ciues inficere; & iram numinis metuebant, si religionis hosti parcerent. Cùm verò religio in omnium animis insideret, tùm Reges nihil tam regium esse putabāt, quàm religionis sanctimoniam. Primum enim existimabant regēdi munus esse diuinum, neque sine sempiterni Regis auxilio & numine administrari posse. Deinde plurimum ad auctoritatem suam constituendam pertinere credebant, intelligi ab hominibus se Dei amicos esse, neque sine illius mente imperium gubernare. Postremò ad hostium metum nihil vtilius esse censebant illa opinione, qua crederetur ab hominibus se diuino præsidio custodiri. Id autem effecit, vt priscis temporibus, qui Reges erant, simul & sacerdotes essent. Arbitrabantur enim eiusdē muneris esse, numen diuinum hominibus placare, & homines cum Deo iustitiæ & pietatis studio coniungere. Vt enim hic nihil de Melchisede cho, de Iobo, & de viris alijs sanctissimis dicam, quos cōstat & Reges & Sacerdotes simul extitisse, apud Aegyptios & alias nationes quamplurimas, moribus & diuturna con-

fuetudine receptum fuit, vt Reges facris præ-  
 essent, summoque sacerdotio fungerentur. Re-  
 ges verò Hebræorum, quamuis diuinę legis in-  
 stituto fuisset illis cum sacerdotib<sup>9</sup> officiũ dis-  
 pertitum: nec enim fieri poterat, vt idem ho-  
 mo vtrique officio satisfaceret, multa tamen  
 religionis munera tuebantur ita, vt videren-  
 tur quodammodo in sacerdotij societatem cõ-  
 uocati. Reges etiam Græci, qui nullam cog-  
 nitionem diuinę legis habebant, sacra procura-  
 bant, & religiones expiabant, sacerdotum of-  
 ficiũ & munus obibant. Cũ verò progressu  
 temporis, vt Reipub. ratio flagitabat, plures sa-  
 cerdotes crearentur, multa tamen sacra regib<sup>9</sup>  
 reseruata sunt, quæ nefas erat ab alio confici.  
 Itaque reges Lacedæmonij, Messenij, Argiui,  
 Athenienses & alij præterea multi, quamuis  
 alios sacerdotes haberent, ipsi tamẽ certas ho-  
 stias per se, patrijs institutis & legibus immo-  
 labant. Vnde factum est Athenis post Codri  
 mortem, cũ Athenienses propter recentem  
 memoriam optimi principis alium Regem ha-  
 bere nollent, & vim & potentiam regis de Re-  
 pub. tollerent, regis tamen nomen religionis  
 gratia retinerent. Ex illis enim nouem princi-  
 pibus, qui singulis annis creabantur, vnus Rex  
 appellabatur, qui præter alia religionis mune-  
 ra, quibus erat præpositus, in eos, qui religio-  
 nem violabant, inquirebat, & impietatem in  
 deos patrios seuerissimè vindicabat. Romæ ve-  
 rò similiter expulsis regibus, cũ essent certa  
 sacrificia, quę non licebat p alios, quàm per Re-  
 ges fieri, ne religio aliqua ex parte laboraret,  
 fuit



fait sacerdotium quoddam institutum, cui is,  
 qui præerat, rex sacrorum appellabatur. Con-  
 sules autem, qui potestatem regiam obtinebāt,  
 & Prætores etiam, qui iisdem auspicijs creabā-  
 tur, quanta erant obstricti religione? quantum  
 in sacris ritè peragēdis occupati? quæ templa,  
 quæ munera, quos ludos vouebant? quàm sæpè  
 manus in cœlum tendebant, & cœleste numen  
 in belli periculis implorabant? quanta cære-  
 monia sacras ædes, & quàm solemni ritu dedi-  
 cabant? non loquor hic de Camilli, de Scipio-  
 nis, de Marcelli, de quorundam aliorum singu-  
 lari religione, qua ciuium animos in sui admi-  
 rationem conuertebant: non Deciorum pie-  
 tatem, qua se pro patriæ salute manibus deuo-  
 uerunt, oratione commemoro: de cōmuni reli-  
 gione, qua omnes ciues erant obligati, dispu-  
 to; quæ quidē tanta fuit, vt constet multos spō-  
 te sua sese imperio abdicasse; propterea quòd  
 auspicato creati cōsules minimè fuissent. Ine-  
 pta inquis, & inanis superstitio Romanos ho-  
 mines implicabat. Verū; sed ea superstitio, qua  
 augurijs parebant, exta inspiciebant, & de cœ-  
 lo seruabant, ab ea opinione profecta erat, qua  
 existimabant res humanas Deo curæ esse, ho-  
 minesque religiosos diuina mente præmone-  
 ri. Ne igitur plura dicam, hoc sanè liquet, Ro-  
 manos Principes tanto studio religionem co-  
 luisse, vt in medijs bellis magis viderentur ef-  
 se sacrificijs, quàm bellis gerendis intenti. bel-  
 li namq; victoriam, magis ad opem diuinam,  
 quàm ad industriam humanam referebant. In  
 quo quidem Numæ Pompilij institutū seque-  
 bantur?

bantur: qui, ut proditum memoriae est, cum ei quidam dixisset: Hostes o Numabellum contra te comparant. At ego (inquit ille ridens) sacrifico. In quo quidem significabat, hostium vires magis esse propitio Dei numine, quam exercitus robore frangendas. Non quidem, quod virtus negligenda sit; Deus enim virtuti fauet, & est timidus & ignavus infensus. Sed tam victoria, quam virtus, qua victoria comparatur, in diuinis beneficijs numeranda est. Hoc igitur Romani principes considerantes, tanto studio Religionem procurabant, ut magis sacerdotes, quam imperatores interdum viderentur. Hoc autem quidam Graeci T. Quintio viro clarissimo obiecebant, quod magis sacrificuli cuiusdam personam tueretur, quam imperatoris strenui dignitatem. Non videbant enim homines sacrilegi, illum, qui tanto studio religionem colebat, inuictum semper extitisse; & ipsos, qui Religionem optimi Principis irridebant, illius dominatum pati. Sed quorsum haec tam multa? Ut facilius intelligi possit, in illa etiam rerum caligine, & in illis ignorantiae tenebris insitum fuisse illis, qui multum reliquis & ingenio, & industria, & preclaris factis antecellebant, nihil esse magis decorum Principibus, quam religionem atque pietatem. Videbant enim regiam maiestatem non solum esse Dei providentia constitutam, sed singulari etiam illius ope & beneficio conseruatam. Quod ut significarent tam Hesiodus, quam Homerus, aiunt Reges esse Iouis fatu procreatos; & sapienter quidem;

DE REG. INSTIT. ET

dem: diuinum namque munus, nisi à diuinis viris administrari nō potest. Regium verò munus, qui diuinum esse negat, mentis compos habendus non est. Non intelligit enim continere ditioe populos, multitudinis inconfideratos impetus ratione comprimere, tam multas hominum, & tam inter se repugnantes naturas alligare, & fœderis arctissimo vinculo deuincire: tantumque vnum, inter omnes excellere, vt omnes illi supplicandū existiment, maius esse, quàm vt humana tantum ratione & industria præstari possit. Qui igitur tantum munus facile tuentur & sustinent, diuinis certè virtutibus instructi & ornati sunt: qui verò diuinis ornamentis excultus est, is planè diuinus est. Meritò igitur est illius genus ad Deum auctorem & principem referendum. Ergo si meritò Rex Deum parentem agnoscit, de nulla re alia attentius, quàm de illius honore cogitare debet. Præterea sanctum & augustum Regis nomen obtinere non debet, qui iustitiæ gloria non præstiterit. Iustitiæ verò potissima pars illa est, qua Deū honoribus debitis, quantum humana imbecillitas præstare potest, afficimus: illiusq; beneficia gratissimo animo tuemur, & sempiterna memoria conseruamus. Cùm verò Reges reliquis hominibus antelati sint, & multò ampliorib' beneficijs obstricti: reliquum est, vt omne illorum studium, sit ad religionem conferendum. Quid enim magis conuenit homini magno & excelso, atque planè diuino, quàm ardens ipsius diuinitatis studium? quid autem aliud continet Religio, quàm  
 opti.



optimi illius parentis amorem? quàm fidem atque voluntatem, meritis excellentibus atq; diuinis obligatam? quàm animum cum Deo coniunctum & cupiditate diuinitatis inflammatum? Si hæc parua & minuta sunt, minimeque principe digna, summa ope cõtendite, ne se Rex religione astringat vlla; ne fidem & officium summo omnium rerũ dominatori persoluat, ne cœlum vnquam & astra suspiciat, sed Dei immemor, & verissimæ dignitatis oblitus, se in quadrupedis naturam conuertat, vt tum demum vir magnus atque sanè fortis habeatur. sed tum certè minimè Homerũ & antiquos pœtas audiemus, neque regium genus ad Deum auctorẽ, sed ad belluarum stirpem, & immanitatem reuocabimus. Quo quid dici aut animo fingi potest absurdius? Quid ergo? id quod homines antiqui multis tenebris opleri viderũt, nos tantis radijs diuinæ lucis illustrati, non videbimus? illi natura tantũ admoniti perspexerunt, esse nihil, q̃ magis principis nomen illustraret, quàm religionem: nos per vnicum Dei filium cœlestibus disciplinis eruditi, cõtra disputabimus? maiorem vim habebit, apud nationes Christianę religionis expertes, obscurus nature sensus, quàm apud nos clarissima Euangelij disciplina? quod scelus tantum fingi potest, quod sit cum hoc tam immani facinore comparandum? qui enim Christianæ religionis studio, dignitatem imminui censent: tacitè iudicant esse Christianæ pietati aliquid dedecoris & indignitatis admixtũ. Conuitium igitur facit Deo, & Christo Opt.

DE REG. INSTIT. ET

Maximo impurissimè maledicit. Videte quantum inter istos, qui Christiani nominantur, & illos, qui densissimis erant immerfi tenebris, interfit; illi cum veræ religionis rationem ignorarent, summam tamen inesse dignitatem in religione iudicabant: isti contra, qui in verissima & sanctissima religione nutriti sunt, parum inesse dignitatis in religione constituent. Nunquam enim C. Fabius cum Roma capta Capitolium à Gallis obsideretur, è Capitolio sacra manibus gerens descendisset, atq; per medias stationes hostium in Quirinalem collem, vt sacra ritè perageret, euasisset, nisi iudicasset nihil esse ad dignitatem & gloriâ religione præclarioris. Nunquam certè P. Decius in prælio contra Latinos inito, seipsum conceptis verbis, & capite velato pro Repub. deuouisset; si non existimasset, ea religione sibi viam ad immortalitatem gloriæ muniri. Nunquam illius filius in pugna contra Gallos atq; Sannites acerrimè vtrinq; pugnata, patris religionem & fatum expleuisset, nisi gloriæ dulcedine mortis dolorem mitigasset. Innumerable antiquitatis exempla prætereo, quibus confirmari potest, nihil fuisse apud illos homines clarius, quàm religionis cultum, atque ceremoniarum sanctitatem. Itane verò? illis principibus honestum & gloriosum erat superstitione conflictari, falsisq; nominibus honores diuinos habere: nostris Principibus verum Deum colere & venerari, summoque Domino, qui cœlum & terram infinita potestate complectitur, amore coniungi non erit honestum?

nestum? Sed inquit, non religionem in re-  
ge damnari, esset enim id scelus infandum  
sempiternis cruciatibus eluendum, sed mo-  
dum religioni consistui. Cur igitur non e-  
undem modum diuitiarum cupiditati, non  
honorum ambitioni, non reliquis bonis, quæ  
pulchra putant, atque vehementer expeten-  
da, præfiniunt? Quid hoc est? Ea, quæ nisi mo-  
dum illis adhibeas, bona esse non possunt,  
instrumenta namque tantum virtutis sunt;  
non ipsum summum bonum, ad quod sunt om-  
nia vitæ consilia referenda, sine modo pa-  
rabimus, nullisque finibus eorum cupidita-  
tem arcebimus: illius verò summi boni cupi-  
ditatem modo aliquo & humana ratione ter-  
minabimus? quæ enim tanta peruersitas est,  
vte ea, quæ modicè appetenda sunt, infinite  
appetas: ijs verò, quorum infinita cupiditate  
flagrare debemus, certos fines terminosque  
constituas? ea namque, quæ ad certum finem  
diriguntur, certis finibus circumscribenda  
sunt: ipsum verò finem, in quem omnia vitæ  
studia & officia conferenda sunt, sine alio ter-  
minare non licet. Modus igitur, quem in appe-  
tendo summo bono seruare debemus, est nul-  
lo modo contineri, sed immensa cupiditate  
illius inflammari. Isti verò cōtrā faciunt: cū  
enim nullum in rerum humanarum cupidita-  
te modum teneant, in Dei sanctissimo cultu  
modum præscribunt: vt facile appareat, illos  
pecuniam & opes humanas, vt vltimū vitæ fi-  
nem spectare, Dei verò opera ad illas tantū pa-  
randas abuti. Quod quid aliud est, quā Dei cul-



DE REG. INSTIT. ET

tum ad terrenas opes trāsferre? Vt autem melius iudicari possit, non modò quàm impia & scelerata, sed etiam quàm difficilis & absurda sit hæc religionis temperantia, quam isti tradunt; par erit vt videamus quantum sit in illa Regis ornamentum, quantumque præsidium. Primùm enim si sapientia Regibus necessaria est, vera sapientia purissimæ religionis studio continetur. Mens enim hominis sancti atque religiosi Deum in hac vita, quoad fas est, intuetur; in illaque sempiterna luce defixa lumen in se clarissimum recipit, quò non solùm omnia, quæ possunt humana intelligentia comprehendere: sed alia multa, quæ sunt ab humana cognitione remotissima, clarè & acutè perspicit. Ex rerum igitur cœlestium atque diuinarum contemplatione incredibilem voluptatem percipit; & cùm se rursus ad humanarum curam, caritatis & humanitatis necessario studio dimittit, multò certius de illis iudicat, quàm si nunquam ab eis oculos auertisset. Nec enim tam in eas, quàm in rationes & consilia, quibus cohærent & permanent, aciem mentis intendit; & omnia ad causas & principia reuocat, & ita multo facilius omnium rerum naturas explorat. Queniammodum enim de vbrarum dimensionibus multò melius differit is, qui eas ad rationem corporum, quorum obiectu vbræ sunt, reducit, quàm qui eas sine vlllo respectu ad corporum soliditatem metiri conatur: ita de rebus humanis multò rectius statuit is, qui diuinas rationes, ex quibus humana pendent, mente & ratione complectitur,

tur, eo, qui tantum in ipsis rebus humanis insit. Quamvis enim in principio propter earum insolentiam perturbari & hæsitare videatur, ubi primum se colligit, multò certius & clarius de omnibus rebus, quæ in communi vita versantur, iudicium facit, quàm si illarum perpetuis curis implicitus extitisset. Ut enim, quæ nocte videntur, non exploratè cognoscuntur, multa enim in tenebris oculos fallunt, multæ rerum inanes species occurrunt, quæ simul atque lux Solis appropinquat, evanescent: ita homines divinæ lucis expertes, in vita multis rerum imaginibus illusi, in capitales fraudes impelluntur; & quò magis ingenio valent, eò maiorem sibi pestem & exitium machinantur. Omnis enim vita, quæ luce diuina nõ fruitur, tetra nox & caligo putanda est. Ut ergo in obscura nocte arborum trunci, & umbræ nemorum, & eminentes petrae, & alia eiusmodi, quæ inanem speciem rei alicuius metuendæ referant, terrorem imperitis iniiciunt, qui interim fortasse minimè latronum insidias propè locatas animaduertunt: sic in vita communi res inanes, quasi quædam nocturnæ formidines, hominibus splendore divinæ lucis orbatis obijciuntur; quas dum summo studio declinant, veram atque sempiternam pestem, in quam furenter irruunt, minimè contuentur. Unde colligitur, humanam prudentiam diuino consilio destitutam, summam esse temeritatem & amentiam reputandam. Summa namque dementia est (vt iam sæpè diximus) stultitia, falsa sapientiæ opinione subnixa; quod quidem in hu-

DE REG. INSTIT. ET

manum ingenium & calliditatem à diuina luce seiunctam mirificè conuenit. Cùm enim maximè à via salutis aberrat, tum vel maximè se rectam viam tenere confidit: & cùm firmissimè statum suum tueri putat, tum multò furentius eundem statum deturbat, atque dissipat. Mortuo Solomone Hebræorum Rege, magnum regni dissidium factum est, temeritate Roboami, Solomonis filij, ad quem regnū hæreditate peruenerat; ex duodecim namque tribubus duæ tantum Roboamum secutæ sunt, decem verò Regem creauerunt Ieroboamum, nouum quidem hominem, sed ingenio & industria præstantem. Is cùm rebus suis diffideret, & intelligeret statum Reipublicæ esse cum religionis institutione coniunctum; timuit, ne, si religio antiqua maneret, regni sui nouitas firmari non posset: verebatur enim, ne, si faceret suis potestatem eūdi ter singulis annis in templum, quod erat Hierosolymis, in Roboami Regno sanctissimum, vt lex diuina sanciebat: sui capti templi sanctitate paulatim animos ad Roboami opes inclinarent; & fortassè etiam indignè patiebatur, aurum & argentum vt offerretur in templum, ex Regno suo asportari. Quid igitur facit? Nouam religionem in regno suo constituit, ne necesse suis esset, religionis gratia alienas terras cū labore & molestia peragrarè; pro vno deinde templo duo fana diuersis in locis extruxit, vt esset religiosus hominibus via numinis placandi facilior. in vtroque autem fano vitulum aureum dedicauit, vt illa forma salutarè vim



numinis in omnium oculis & aspectu proponeret; figura namque animantis illius, cuius opera terra profusa & arata fruges ex se fundit, existimabant Aegyptij, vnde hoc institutum Ieroboamus acceperat; benignitatem numinis, qua alimur & sustentamur, aptè significari. Sic igitur gratiam à suis inibat; & regni opes firmabat; & omnes subditos, domi cum opibus & pecunia continebat. Nihil igitur ab illo nisi callidè & acutè excogitatum fuit. Illa tamen calliditate quid assecutus est? pestem & cruciatum, dirumq; regni totius exitium. Reges enim, qui illi successerunt, illius prudentiam imitati, in eandem calamitatem inciderunt; vsque eò, dum sceleris pertinacia regno interitum molirentur: nec enim cernebant nullas opes regni cum numinis offensione confirmari & cõstitui posse. Postquam Israël regnum deletum ab Assyrijs fuit, Iudæa regnum simili scelere Deum offendit. Fuit igitur ab ope illius derelictum, multisq; bellis & incommodis vexatum. Quid principes consilij publici moliantur? Ab Aegyptijs auxilium petunt: in Aethiopiam legatos mittunt: amicitiam cū vicinis principibus firmant: externosq; milites magna mercede conducunt. Dicit interim Isaias, frustra contra Deum iratum auxilia humana conquiri; malum quod erat impietate inuectum, pietate depellendum esse. Vt enim nullis humanis opibus potest ira læsi numinis auerti: ita nullis opibus humanis posse eorum statum, quibus Deus propitius est, labefactari. Reipublicæ igitur inuictum præsidium, in-

## DE REG. INSTIT. ET

tegra vitæ conuersione, & firma fide contineri. Antequam id fiat, frustra opem hominum flagitari; clamat, orat, obsecrat, implorat, & cū lachrymis obtestatur, ne se prius humanis opibus, quàm auxilio diuino communiant. Quid illi interim ad hæc? irrident hominis optimi simplicitatem, qui id, quod erat armis & consilio gerendum, religionis purissimæ studio cōfici posse consideret. In instituto igitur perseuerat, & statum Reipub. nō pietate, sed humana ratione sepiunt, neque cum Deo: sed cū hominibus fœdus percutiunt. Sed quem fructum tam illi, quàm posteri illorum ex hac prudentia consecuti sunt? Horribilem cladem, ignominiam, seruitutem, atque tandem patriæ totius occasum. Postquam Iudæi, euerfa Babylone in libertatem vindicati, & in patrias sedes restituti sunt; prius domos suas, quàm tēplum Dei edificare cœperunt. Eam autem rationem afferebant, quod nondum tempus instaurandi templi diuino oraculo prædictum aduenerat. Annonæ etiam difficultas eos afflictabat; ita ut ædificationem templi melioribus annis reseruandam existimarent. nō intelligebant enim, illa, terræ sterilitatem, & annonæ caritatem, & argenti inopiam, esse pœnam à Deo religionis negligentia constitutam: quemadmodū Agæus diuinus vir maxima voce testabatur; quod quidem fuit exitu felicissimo comprobatum. Cū primū enim Iudæi templi fundamentum iecere, terra latissimas fruges extulit: vineæ, oliueta, & reliquæ arbores floribus onustæ, maximam spem vbertatis attulerunt; illudque

ludque religionis studium, non solum anno-  
 næ summa vilitas: sed magna etiam copia auri  
 & argenti cōsecuta est. Multa eiusmodi exem-  
 pla commemorare possum, quibus planum fi-  
 at, humanam prudentiam & rationem, cum est  
 diuina luce orbata, esse summam dementiam.  
 Clamant diuini viri, neque bellum, neque fa-  
 mem, neque pestilentiam, nec inopiam, neque  
 vastitatem, nec vllum eiusmodi malum esse,  
 quod non diuino iudicio in Repub. inuectum  
 & importatum sit. Vnde concluditur omnem  
 mali depellendi rationem in numinis placa-  
 tione consistere; quæ potissimum vitæ conuer-  
 sione, & inflammato pietatis & humanitatis  
 studio continetur. Qui igitur hoc vno reme-  
 dio neglecto, alia comparant, frustra malum à  
 se propulsare contendunt, & cum rebus suis  
 publicis consulere student, eas euertunt. Sed  
 quid exemplis opus est, cum id sæpè accidere  
 videamus? Sit aliquis Christianus Princeps op-  
 pressus ære alieno, & magnis ea de causa diffi-  
 cultatibus implicatus; si illi venerit in mentē  
 se peccatis suis in eas difficultates incidisse, da-  
 bit operam sedulo ne se eisdem erratis dein-  
 ceptis irretiat: si verò nihil eiusmodi cogitaue-  
 rit, immania tributa imperabit, homines te-  
 nues vestitu etiam spoliabit, nec à sacris rebus  
 manus abstinebit. Quæ igitur maior esse po-  
 test amentia, quam cum Principum inopia,  
 iniquitatis & iniuriæ poena sit; existimare  
 quempiam se iniquitate & sacrilegio locuple-  
 tare posse? Princeps quidem ille ad breue ali-  
 quod tempus abundabit pecunia; & fallaci gau-  
 dio



## DE REG. INSTIT. ET

dio triumphabit: sed ita, vt deinde grauiorib<sup>a</sup>  
 malis obruatur, maioreq; rerum omnium pe-  
 nuria crucietur. Imminet aliquod periculo-  
 sum bellum, qui secum reputauerit, id nō abs-  
 que diuino iudicio moueri, priusq; uam ad re-  
 sistendum se paret: Dei sibi numen, & precib<sup>9</sup>  
 & pietatis studio placare conabitur: qui verò  
 id tantum uidet, quod est obiectum sensibus,  
 nec vllum respectum ad verissimam belli cau-  
 sam habet: suscepta flagitia & scelera alio sce-  
 lere immuniore cumulabit, & Remp. iniurijs  
 onerabit, & Christiani nominis hostes secum  
 foedere coniūget; ita verò fiet, vt malum, quod  
 sanare studet, augeat: & inflictum vulnus exul-  
 ceret; quod quidem, qui uolet recordari, quā  
 malè quibusdam id, quod magis astute, quā  
 piè cogitabant, sæpè processerit, verum esse  
 perspiciet. Sapienter igitur Dauid inquit, con-  
 silia principum irrita fieri, cogitationes popu-  
 lorum inanes esse, folijsque Domini cōsiliū  
 ratum & fixum in omni seculorum æternita-  
 te permanere. Vt enim alibi Sanctæ literæ te-  
 stantur, Deus omnes homines sapientiæ opi-  
 nione tumentes, amentix conuincit; & euen-  
 tibus illorum sententiæ valdè contrarijs, fre-  
 quenter illudit; ita vt eisdem conatibus, quos  
 ad salutem suam comparant, sibi pestem & exi-  
 tium maturent. Quis igitur est inter homines,  
 qui rectè sentiat, cernat, intelligat? qui vitam  
 optima ratione moderetur? qui denique sapi-  
 ens appellari possit? Ille profectò, qui sanctis-  
 simum Dei numen purè & castè colit; qui Dei  
 legem sempiternam consulit: qui mentem il-  
 lius,

lius, qui nunquam falli potest, inquit: qui diuinis monitis & consilijs instruitur: qui sibi commissam Rempub. ad similitudinem illius, quæ eadem semper est, sibi que in omni eternitate similis, trāsferre conatur; neq; res diuinas humanis similes esse fingit; sed potius humanas ad diuinarum exemplum quantum potest accommodat. Hic igitur cui Deus lumen suū porrigit, & cum quo consilia sua benignè cōmunicat, est, qui vera & stabili sapientia non modò suum statum tueri; sed etiā vniuersam Rempub. sapientissimè moderari poterit; ad beatamque vitam perducere. Vnde colligitur verissimam sapientiam, studio religionis sanctissimæ contineri. Multa quidem de sapientia diximus, multò plura tamen omisimus, sed ne nimis in singulis immoremur, ea quæ restāt, celerius percurramus. Vt igitur in primis de animi magnitudine disseramus, quis fortis & magnanimus, & inuictus esse potest? is ne qui rebus fluxis, & interituris affixus est? an qui semper animo atq; spe de sempiterna vita, & immortalis gloria cogitat? is, qui lucis huius vsuram nimis iucundam esse putat? an qui facile mortem & cruciatum præ verissimæ gloriæ studio contemnit? is, qui nullis firmis opibus se munitū esse videt? an qui se diuino præsidio confirmatum animaduertit? Nec enim vnquam is, qui se cultui sanctissimæ religiōis addixit, fuit ab ope diuina derelictus. Cū igitur in cælo mente, & cogitatione versetur, & Deum præsentem videat; quamuis omnia bellis ardeant, & terra ingenti motu concutia-

DE REG. INSTIT. ET

tur, & cœlum fragore, & fulminibus, & incendio extremum exitium terris minitetur, nunquam animo concidet, neq; de statu demigrabit, sed in totius orbis confusione, diuinâ constantiam retinebit. Quocirca princeps, qui vir magno & elato animo esse cupit, & ad summâ nominis claritatem, sempiternumque decus aspirat, omne studium in religionem cōferat opus est; diuinamque virtutem ab illo summo totius decoris principe & architecto fidenter efflagitet. Ille namq; est, qui animum dat, qui mentem virtute corroborat, qui eam diuino præsidio sepit, & studio immortalitatis inflamat. Iam verò modestiæ laus & honestatis elegantia, in quo tandem splendere potest, nisi in eo, qui est studio religionis incensus? si enim metus hominum multis in locis temeritatem reprimat, & libidinem refrenat; multò certè magis metus diuini numinis omnem intemperantiam & libidinem refecabit. Et si formido dedecoris in oculis hominum constituti, homines sepe numero flagitiosos & impuros à flagitio deterret; multò certè vehemētius pudor & verecundia homines religiosos, ne in Dei offensionem veniant, quem præsentem semper intuentur, ab omni incontinentia prohibebit. Adde quòd ij, qui religioni sanctissimæ dediti sunt, cum in illam sempiternam pulchritudinem mentem defixam habeant; illius studio incenduntur, illius amore inflammantur, & ex illius aspectu voluptatem incredibilem capiunt; tososque se ad illius imitationem effingunt: vsque adeò, vt in omnibus, qui sanctè religionem



ligionem colunt, diuinę cuiusdam pulchritudinis speciem, & admirabilem venustatem & elegātiā cernere liceat. Quid de iustitię claritate dicam? fieri ne potest, vt in illius animo locum habeat, qui non mentis diuinę lucem assiduē contemplatur? Est enim Deus sempiternę legis vis, æquitatis fons & origo, mens & ratio iuris, officiorum omnium regula, modus & temperatio rerum, qua omnes naturę reguntur, & firmissimo inter se fœdere colligantur. Nihil igitur simplex, nihil rectum, nihil æquitatis ratione moderatum esse potest: quod non ab illo inexhausto atq; perenni iustitię fonte profluxerit. Nemo igitur vllō modo iustus esse poterit, nisi qui se totum ad studium diuinę legis applicuerit; qui illius mentem & rationem diligenter inspexerit; qui illius imperium, numen, & voluntatem, & moderationem fuerit tota mente & cogitatione complexus. Quod quoniā religionis est proprium, sequitur vt omnis iustitię vis & ratio in purissima religione consistat. Quòd si iustitię munus est, ius suum rei vnicuique tribuere: ille certè maximè iustitiā colit, qui Deū purè atque sanctè, mente, studio, ratione veneratur; illique, qui nos tantis beneficijs ornavit, pro humana imbecillitate, meritā gratiam animo inflāmato persoluit. Benignitas deinde, clemētia, mansuetudo, patrię caritas, & reliquę virtutes eiusmodi, quę iustitię comites sunt: vnde ad nos nisi ab eodem bonorū omnium fonte emanare potuerūt? Diximus prætercetera in rege postulari, vt oēs ei libentissimè

pareant:

DE REG. INSTIT. ET

pareant: nempe honestatem, & auctoritatem, & felicitatem. De honestate nihil est, quod amplius dici possit, cum planè constet, omnè dignitatis & honestatis splendorem esse ad Dei benignitatem, vnde omnes verissimè laudes ortum habent, iure atque meritò referendum. Beneficia verò diuina religione consequimur. Vnde efficitur vt omne lumen honestatis, quod admirationem cōmouet, & amorem conciliat, in religione collocandum sit. Quòd verò ad auctoritatem attinet, quid est, quod maiorem habere possit, quàm religio? si enim humanæ sapientiæ opinio auctoritatem constituit, multò certè maiorem auctoritatē diuinæ sapientiæ fama constituet. Existimant enim homines eum principem, qui Deo egregiè carus est, illius consilijs instrui, & ea de causa illum minimè labi & errare posse suspicantur; diuina igitur auctoritate compulsi, nunquam illius imperium detrectant. Ea res impulit Numã, vt cum Dea Aegeria nocturnos congressus simularet, vt crederetur ea, quæ sanciebat, de Aegeriæ mente sancire. Lycurgus item vt leges quas ferebat, aliqua religione cōsecraret; finxit illarum auctore Apollinē fuisse. Zaleucus itē, qui leges Locris dedit, finxit se eas à Minerua accepisse. Fama etiam multò antiquior (vt auctor est Homerus) asseruit Minoa, qui leges Cretensibus dedit, nouem cōtinuos annos se Ioui in disciplinam tradidisse. multi prætereà alij Rerumpu. conditores aliquid eiusmodi fingebāt, vt imperij sui auctoritatē sacrosanctā redderent. Quid igitur dicendū? Si

fictę

fictæ & commētitiæ religionis opinio, multis auctoritatē apud quamplurimas nationes attulit, quid tandem verū studium sanctissimæ religionis efficiet? & si homines rudes & imperiti ijs, quos dijs esse caros opinabantur, sine vlla recusatione parebant: quomodo non multo magis homines Christiani legibus diuinis instituti ijs, quos vero Deo vident esse carissimos, obtemperabunt? foelicitas verò quæ alia potest esse, præteream, quæ benignitate diuina continetur? Nec enim est vlla fatorum vis, nec vllum imperium fortunæ, nec vlla Parcarum violentia, neque casus, & temeritas in rerum natura, sed diuina vis & ratio dominatur. Deus enim est, qui summa imperia delet, qui populos obscuros ad summum fastigium amplitudinis & dignitatis extollit; qui Reges de solio detrudit, & quos vult in regia dignitate constituit; qui vt de sceleratis hominibus debitum suppliciū sumat, vnā Remp. euertit: alteram verò contra illius superbiam & arrogantiam opibus summis instruit. Is igitur est, qui vulnus infligit; qui inflicta vulnera sanat: qui mortem immittit: qui in vitā restituit: qui perdit & affligit: qui perditā reficit & instaurat: omnia deniq; singulari illius cōsilio (plerumq; nobis tamen incognito) gubernantur: ita vt illius sententia, numine & volūtate quibusdā omnia feliciter procedant; quidam verò diram atque funestam cladem accipiant. Quid igitur magis perspicuum est, quam omnem felicitatem esse in Dei propitio numine constitutam? is igitur solus felix est, qui

Deum



DE REG. INSTIT. ET

Deum purè colit, illiusque præsentì numine confirmatur: solus enim est vera sapièntia præditus, quam diximus esse semper cum felicitate coniunctam. Legite sacram historiã, & animaduertite, quomodo tum Iudæorum regnũ vigebat, eorũ res singulorũ regum etatibus immutabantur. Cũ enim aliquis rex pius regnabat, regnum florebat opibus, & multis victorijs augebatur; & cùm rerum omnium abũdãtia erat laude atq; gloria cumulatum. Cũ verò ad impium Regem veniebat, flagitia perurpebant, impietas eminebat, Respub. fame & pestilentia laborabat: regio ab hostibus impunè vastabatur; neque consilium in bello consistebat, nec vllum vestigium antiquæ virtutis extabat; simulatq; hostem aspexerãt, terga repente dabant, & passim concidebantur. Qui verò Christianorum principum annales diligenter euoluerit, intelliget profectò tantum etiam fuisse vnicuique principium felicitatis diuinitus attributum, quantum in illo studiũ pietatis atque religionis extitisset. Quod quidem vel in Constantino, vel Theodosio, vel in Carolo Magno, vel in multis alijs Galliæ & Germaniæ, & Britanniæ principibus perspici certè potuit. Quid de Hispania dicam, in qua post illius euersionem & vastitatem à Mauris propter crimen impietatis illatam (erat enim Hispania, cùm Mauri in illam inuaserunt, non solum luxu & delitijs effœminata: verum etiam impijs erroribus infecta) nullum vnquam prælium, postquam Hispani ad officium redire, contra Mauros prosperè pugnatum fuit, in

quo

quo non appareret nostros magis pietate & religione, quàm armis victoriam fuisse consecutos. Illa namque plaga Hispaniæ superbiam compresit, & homines Hispanos ad fidem & pietatem erudiuit: ita vt quidquid in Hispania religionis negligentia & contemptu corruerat, facillè religionis & pietatis studium refarciret. Quæ bella deinde à principibus Christianis gesta sunt? quanta, regum optimorum sapientia, & quanto militum robore suscepta? quæ facinora in prælijs edita? quàm illustres victoriæ partæ? fieri enim nõ potest, vt qui sub pio Rege militant; non eiusdem pietatis imitatores existant, & religionis conscientia freti, non multò confidentius & alacrius in hostes inuadant. Mirum igitur non est, fuisse tam sæpè præsentiam cœlestis numinis, in multis prælijs in Hispania contra Mauros initis, apertissimè declaratam. Si igitur; vt hanc de religione quæstionem concludamus, sapientia, fortitudo, modestia, iustitia, fides, benignitas, & reliquæ virtutes, sine quibus nemo regnum administrare potest, religionis studio continètur: si Religio sapientiam, auctoritatem, felicitatem Principibus affert, & Rempub. in pace constituit; in bello autem cœlesti atque diuino præsidio confirmat: si deniq; Reges diuinis virtutibus ornat, atq; ad eò in coelitem numero reponit: quid est, quod magis Regem deceat, illiusque nomen magnificentius illustret? istam igitur mediocritatem in religionis cultu non probo: sed summum & ardentissimum religionis studium, à Rege, qui hoc nomine di-

DE REG. INSTIT. ET

gnus esse studet, assiduè flagitabo. Quid igitur, dicet aliquis, vis Regem noctes atque dies religioni operam dare? Volo certè: Religionem enim semper colit, non qui deserit officium, sed qui illud ad Dei gloriam dirigit; qui D E V M semper intuetur; qui vel in pace vel in bello omnia, quæcunque facit, ad voluntatem illius administrat; qui in omnibus actionibus illius legem sequitur, nec vnquam voluntatem suam illius placitis anteponeit. qui, vt illum semper mente & cogitatione complecti possit, sæpenumerò opem illius implorat, & sic Deum precetur, vel hominibus consulat, vel quidquid aliud agat, atque moliatur, nunquam studium religionis intermittit. sic autem imitabimur Regem illum clarissimum & sanctissimum, quem nullus vnquam hostis in bello contempsit, cuius officium nullus vnquam ciuis in pace desiderauit; nec enim vnquam prælium sine Dei præsidio commisit: nec sine diuinæ legis studio negotium publicum gessit, nec vllis vnquam laboribus & curis ita distentus fuit, vt D E I immemor esse posset. Qui etiam, vt ipse in carminibus suis scriptum reliquit, omnes labe lachrymis eluebat, & singulis noctibus lectum suum largis fletib<sup>9</sup> irrigabat. Nunquid vel Dauid ipse, quem refero, vel Reges illi sanctissimi, qui illius vestigijs ingressi sunt, propter Religionem aliquam dignitatis imminutionem passi sunt? an non omnis illorum dignitas & gloria ad religionem referenda est? illa namque perficit,



cit, vt victorias innumerabiles obtinerent, & nomen eorum in omniũ sermone versaretur, & gloria diuina circumfluere. Videte quanto rectius hoc Homerus iudicabat, qui ἥρωας, quos immortalis gloria afficere cupiebat, certis dijs carissimos esse fingebat: in quo quidem statuebat, nihil esse ad nominis immortalitatem Religione præstantius. Hoc igitur Homerus falsæ religioni tribuebat, quod nos Christiani veræ denegabimus? quid igitur cogitari potest amentius? ne dicam sceleratius? Non certè, vt alios Reges sanctitate præstantes omittam, ea mens erat Alfonsi primi Lusitanix Regis, cuius animus semper fuit studio Religionis inflammatus. Qui Christum Cruci affixum sereno in cœlo contemplatus, prælium illud memoria immortalis dignissimum aggressus est: in quo quinque Reges maximis exercitibus constipatos prostrigauit; qui Scallabim expugnaret, cum iam ciuitatis fores effractas & repagula conuulsa cerneret, in medio portæ genibus flexis antequam ferrum stringeret, tam incenso studio DEVM veneratus est, vt in cœlo versari sibi videretur. Qui cum maximo animo præditus esset, & in bellis enutritus, multos impiorum exercitus fortissimos atque maximos funderet, fugaretque, nunquam sibi victoriam ascripsit vllam: sed omnes ad Dei clementiam & opem illius præsentissimam referebat: qui nunquam aliquod opus præclarum aggressus est, quin prius in cælum tota mente respiceret, & opem diuinam assiduis preci-

## DE REG. INSTIT. ET

bus, castissimis votis, inflâmato studio flagitz  
 ret. Sed ne in re minimè (vt opinor) dubia, ni-  
 mium immoremur: hoc certè probatum puto,  
 Religionem esse Regibus non mediocri, sed  
 quantum fieri potest, acerrimo & ardentis-  
 simo studio colendam, ita tamen, vt supersti-  
 tionem repudiant, & intelligant quantum  
 vera & pura Religio, ab inepta superstitio-  
 ne differat. Est enim Religio excellens ani-  
 mi cultus, ex debita erga DEVM pietate in  
 dies efflorescens, cum ardenti studio sempi-  
 ternæ pulchritudinis imitandæ. Superstitio  
 autem est inanis quædam formido, non gra-  
 ues Dei offensiones, sed offensionum vmbra  
 extimescens. Continet enim vera Religio  
 scientiam earum rerum, quæ sunt Deo gra-  
 tissimæ, & ea de causa quid à DEO flagi-  
 tandum, quid numini illius offerendum sit,  
 exploratum habet: at superstitio cum sit sa-  
 pientiæ præsidio destituta, allucinatur, &  
 hæsitat, neque satis quid sit metuendum, aut  
 negligendum, explicare potest. Inde adeò  
 fit, vt qui veram Religionem colunt, sint a-  
 nimo alto & excelso præditi, maximaque ple-  
 rumque facinora inuicta virtute moliantur:  
 superstitiosi verò cum plerumque animos de-  
 missos gerant, ad immortalem gloriam aspi-  
 rare nequeant. Vnde concluditur nihil esse  
 tam regium, quàm summum, ardens, & in-  
 citatum sanctissimæ Religionis studium; ne-  
 que minus quidquam Principis Christiani  
 præstantia dignum, quàm ineptæ superstitio-  
 nis angorem, inanes formidines opponen-  
 tem,

tem, & Principes à rebus gerendis insipienter auocantem. Hæc sunt illa tria præsidia, quibus Regis statum fulciendum esse dixi ( si meministis ) nempe familiaritas & consuetudo bonorum, bonarum artium disciplinæ, & quod est omnium firmissimum, Religionis atque pietatis studium. Hoc enim postremum poterit sine aliorum ope regium munus sustinere, at illa sine religione non poterunt.

FINIS LIBRI SEXTI.

Bb 3

DE



DE  
REGIS IN-  
STITVTIONE ET  
DISCIPLINA, LI-  
BER SEPTIMVS.



VIDIMVS quibus præsidijs in-  
structum & ornatum esse con-  
uenit eum, cui est tatum & tam  
difficile munus impositum; nunc  
verò consequens est, vt videa-  
mus, quod sit Regis opus, quod  
officium & munus, ad quod potissimum hæc oia  
naturæ, ingenij, disciplinæ & institutionis ad-  
iumenta, & bonorum hominum, & artium ma-  
ximarum, & religionis sanctissimæ præsidia (quæ  
sumus oratione persecuti) conferenda sint.

Quamquam enim de Regis officio multa iam  
dicta sint; hinc tamen locus postulat, vt de eo  
nunc diligentius differamus; vt intelligatur  
non sine causa, tam multa in Rege præsidia &  
ornamenta requiri. Vt igitur in reliquis disci-  
plinis, sic in hac vna omnium præstantissima  
certum opus assignari debet, in quo perficien-  
do, & absoluendo omnis Regis cura, labor,  
& studium consumatur. Vt autem id me-  
lius dijudicari possit, operæ precium erit a-  
nimaduertere, quæ fuerit prima Regis insti-  
tutio, quæ deinde progressio, quæ postremo  
perfectio: vt intelligamus, quod potissimum  
opus sit Regi natura propositum. Qualis e-  
nim

nim quæque res est, postquam effectum operis  
 absoluti consequitur, talis illius natura putan-  
 da est. Omnes enim res via quadam & insita na-  
 turæ cupiditate, ad perfectiones suas feruntur,  
 & in illis, ut in naturali & optato fine conqui-  
 escunt. Ut igitur hinc exordium capiamus: an-  
 tequam essent aliqui cœtus hominum iure so-  
 ciati, homines fusi per agros vagabantur: &  
 pro arbitrato suo vel certas sedes deligebant,  
 vel à loco in locum, quocumque illos ferebat  
 voluntas, facile cômigrabant. Nec erat tunc a-  
 lia potestas præter eam, qua quilibet paterfa-  
 milias domum suam regebat. Dispersi igitur  
 in pagis habitabant; & ex re pecuaria victum  
 comparabant, & is ditissimus habebatur, qui  
 plurimos greges & armenta possidebat. Atq;  
 in principio pudor ingenitus, & vitæ simpli-  
 citas & maiorum auctoritas facile homines  
 in officio continebat. Crescente deinde mul-  
 titudine, disciplina paulatim labi cœpit. Pie-  
 tatis enim studio remisso, cupiditas omni vin-  
 culo soluta in rusticanos illos mores inuasit;  
 partim igitur immanis & fera libido: partim  
 infinita plura possidendi cupiditas homines  
 ad hominum dedecus & perniciem stimula-  
 bat, & qui plus poterant, reliquos multis  
 damnis & incommodis afficiebant. Erant igitur  
 homines tenues & imbecilli contume-  
 lijs, & rapinis, & cædibus, & quamplurimis  
 iniurijs expositi; summum tunc decus erat in  
 iniustitia positum; ille namque, qui omnia vi  
 & manibus rapiebat, & per vulnera atque cæ-  
 des opes suas augebat, se viri fortis officio

## DE REG. INSTIT. ET

functum esse putabat : illi autem , qui vexatus & spoliatus erat , præter incommodi illius acerbitatem, erat etiam insignis infamia imbecillitatis & ignavia subeunda. Honestas enim erat nocere quamplurimis, flagitium verò & dedecus potentium iniurijs & cõtumelijs exagitari. Ergo cùm neque lex neque potestas esset vlla, quæ petulantiam & libidinem coerceret: cùm furta & latrocinia infamiam nullã haberent: cùm illi etiam, qui roboris opinione turgebant , aliorum similiter furentium impetu sternerentur : cùm omnia essent stupris, & adulterijs, & mutuis cædibus infesta; factum tandem est, vt homines humanitatẽ exuerent, & in belluarum immanium naturã verterentur. Inde igitur illa monstra celebrata poëtarum carminibus extiterunt, quæ fortiũ quorundam hominum virtute atque robore strata sunt. Nec enim Chymeræ, neque Geryones, neque Centauri, neque reliqua eiusmodi monstra heroum viribus interempta aliud designant, quàm tyrannidis feritatem , vi regis atque diuinæ virtutis extinctam . Cùm igitur poëtæ aut Bellerophontẽ, aut Herculem , aut Theseum, aut aliquem eiusmodi heroa diuino semine procreatum, monstra domuisse aut extinxisse perhibent; hoc planè dicunt: tyrannidis immanitatem fuisse magnitudine virtutis regis profligatam. Extitit enim illis etiam temporibus animi alicuius excellentis altitudo, qui odio scelus & improbitatem persequeretur, & iniustitiæ monstra deleret, & homines miseros & afflictos à tyrannidis crudelitate li-



te liberaret. Homines igitur, qui nullo loco præ formidine consistebant, cum viderent nullam spem aliam sibi salutis esse, præter eam, quæ in illius virtute, cuius ope sibi aurâ affari sentiebant, tota cōsisteret: illam gratissima voluntate profecuti sunt, totosque se ad illius studium contulerunt. Non solùm igitur illos reges creabant, sed honoribus etiam diuinis afficiebant. Refert Herodotus Medos olim, cū essent, multis iniurijs vltro citroque habitis, vehementer oppressi, nec vllum in tantis malis exitum inuenirent, ad hominem quendam nomine Deiocem, quem virtutis & æquitatis opinione præstantem cognouerant, omnem inter eos iudicandi potestatem delegasse. Malis enim edocti perspexerunt iniuriæ feritatem iustitiæ tantum virtute placari: hominumque salutem iniquitate perditam, æquitatem solùm posse constitui. Hominem igitur, quem æquitatem & constantiam inter omnes excellere putabant, delegere; qui obuiam iret sceleri, iniquitatem refecaret, ius & æquum vnicuique tribueret, & omnes lites tanta æqualitate dirimeret, vt nihil neque potentiam cuiusquam, neque tenuitati concederet. Lux igitur oblata videbatur omnibus, iniquitate per illum depulsa. Cū verò Deioces non diu munus illud obire vellet, dicebat enim rem suam, dum ipse publicæ consulebat, dissipari, summumque sibi periculum ex potentium offensione proponi, Medi, ne illius ope nudati, in eadem mala rursus inciderent, eum opibus auxerunt, & præsidio munierunt, vt omni alia cura solutus, li-

## DE REG. INSTIT. ET

berè posset ius inter omnes dicere, vniuersâq; Remplicâ æquitate moderari. Hoc autem, quod in Media accidit, credibile est multis ante seculis in alijs orbis terrarum regionibus accidisse: vt homines iniurijs afflicti, in illius tantum virtute, quem excellēti æquitate præditum animaduertissent, omnem spem salutis suæ collocarent. Hoc igitur fuit à principio regnorum omnium fundamentum. illi namque quos tunc homines propter æquitatis opinionem deligebant, qui finem tantis malis imponerent, reges nominabatur; & hæc fuit prima omnium legitima potestas in terris. Potissimum autem eorum munus erat iudicare; itaque iudiciorum seueritate scelus acerrimè coercebant, & vnicuique quod suum erat, tribuebant. Vt autem id commodius fieret, homines, qui erant in agris dispersi, regum auctoritate & consilio vnum in locum compulsi sunt; vt facilius opem à Regibus contra iniuriam flagitarent, & mutua ope conseruari, & inter se naturæ conciliatione deuinciri possent. Deinde cum hæc partim naturæ admonitu: partim necessitate vbique fierent, & vrbes ædificarentur, & Reges in omni loco crearentur: necesse continuò fuit, inter vicinas vrbes bella frequenter excitari, aut enim de agrorum finibus certabant: aut alij ex aliorum terminis prædas agebant: aut dominandi libido Regis stimulabat; & cum ambitioni causas honestas obtenderent, de dominatione sua latius amplificanda cum cium periculo dimicabant. Erat igitur ei necesse, cui bel-  
lum

lum inferebatur, vt armis atque virtute resisteret. Vt autem commodius homines se contra hostium vim munirent; vrbes muris cingere, & mœnia ædificare cœperunt. Bella verò ab initio viribus tantùm gerebantur. Accessit deinde ars atque disciplina multorum bellorum vsu comparata, quæ magnos Imperatores effecit. Itaque is, cui vniuersi populi salus cõmissa fuerat, minimè officio suo satisfaciebat, nisi cum iudicandi ratione, belli etiã administrandi disciplinam coniungeret. Sic igitur olim Reges, non iudices tantùm, sed etiam Imperatores extiterunt. Deinde cùm Rex aliquis virtute præstans regni fines propagasset, & ciuitatem locupletasset; eueniebat, vt ciues, qui potentiores erant, vsuris & fraudibus tenuiores opprimerent, paulatimque possessionibus antiquis pellerent; & plebs tantis malis afflictâ questibus omnia repleret, & militaris insolentia fremeret, indignumque facinus esse clamitaret, id quod armis questitum fuerat, nõ potissimùm ad eos, quorùm virtute partùm fuerat, peruenire: seditiones populares excitabantur, extremumque periculùm rebus communibus imminebat. Hoc autem tantum malum non iudicij seuëritate, nec armorum contentione extingui poterat; oratione autem poterat. Non autem cuiusuis oratio eam tempestatem facilè sedabat, sed illius tantùm, qui plurimum auctoritate reliquis anteibat; & cuius virtute & æquitate homines se multis in locis defensos esse meminerant. Is igitur populares motus oratione cõprimebat; & alios qui-



## DE REG. INSTIT. ET

quidem castigabat; aliorum verò dolorem leniebat; & omnes rursus foedere coniungebat; vsuque tandem compertum fuit, nihil esse ad populum moderandum optimi principis oratione vehementius. Sic autem ad reliquas artes regias adiuncta fuit dicendi etiã facultas, rudis illa quidem, vt sit in principio: vsu deinde atque ratione perpolita. Hac igitur dicendi prudentia reges instructi, nõ modò seditio- nes compescebãt, sed ciuium languentes animos stimulabant; ferocius exultantes refrenabant; ad arma, cùm opus erat, excitabant; cùm rursus ita Reipub. ratio postulabat, à bello deterrebant, & ita populum moderabantur, vt facillè perspici possit, omnes populi motus regis sapientis oratione cõuerti. Postremò cùm neque multis artibus adiuti reges populostenerent, & pericula omnia propulsare possent, multò clarius perspectum fuit, id quod iam antea communibus sensibus erat infixum, non posse vllò modo tam difficilem prouinciam, absque diuina mente & consilio gubernari. Quod quidem effecit, vt nihil tam regium esse videretur, quàm diuinam mentem consulere, numen hostijs placare, pacem à Deo exposcere, & homines diuina ope & auxilio cõmunire. Hac autem ratione factum est, vt Reges cum maiestate regia sacerdotij dignitatem cõiungerent. Hoc enim simul & ad Dei iram facilius auertendam; & ad populum maiore auctoritate continendum; & ad Regis ipsius nomen religione consecrandum aptissimum esse videbatur. Reges igitur prisci & iudices, & imperato-

peratores, & Oratores, & sacerdotes erant; quod apud Homerum optimum antiquitatis auctorem perspicimus. Quomodo enim ius diceret, multis ex locis exploratè cognoscimus. Ideò autem scepra gestabant, quòd erat insigne iuris & equitatis nihil neq; gratiæ, nec offensionis tribuentis, sed omnia obliqua & inflexa ad certam normam & regulam dirigētis. In bello autem summum imperiū habebant. Quàm multis autem in locis eloquentia vterentur, declarant illæ conciones, quibus vel populum ad officium hortabantur: vel in consilio sententiam suam luculentissimis verbis explicabant. Quod autem essent sacrorum antistites, ex hostijs, quas solenni ritu immolabant, & ex foederibus (quæ summa cæremonia feriebant) intelligi potest. Quæ deinde post illam memoriam regum genera recepta sint, quàm variæ imperandi, populiq; moderandi rationes institutæ, dicerem; nisi nimiam longitudinem orationis extimescerem: alibi enim regium imperium erat infinitum: alibi legibus & certo modo atque ratione temperatū; & in illis locis in quibus regia potestas erat lege circumscripta, non erat vnum in omni loco temperamentum genus adhibitum. Cùm enī summam potestatem penes leges esse debere multi populi iudicarent, alibi quidem plura, alibi verò pauciora, regię potestati permittebant. Hæc tamen omnia munera, quæ dixi, ab omnibus fermè antiquis regibus administrabantur. Cùm igitur apud illos priscos homines Regis officium & munus quadrifariam

diuisum

## DE REG. INSTIT. ET

diuifum eſſet, quæro à vobis vtrum id probè-  
 tis? Difficile, inquit T. eſt, tam citò iudicàre;  
 refragari enim antiquitati ſine diligentiffimà  
 conſideratione temerarium eſt : rebus autem  
 à conſuetudine noſtra remotis aſſentiri, peri-  
 culofum arbitror. Rectè inquam cenſes; ſed  
 vt eate difficultate liberem, ſic ſtatuo, & olim  
 non temerè illa munera omnia Regibus per-  
 miſſa fuiſſe; & poſt illa tempora eos, qui vel-  
 lent Reges illis omnibus muneribus ſimul im-  
 plicari, Rempub. funditùs euerſuros. Tunc e-  
 nim ſingulis ciuitatibus ſinguli homines im-  
 perabant; & ipſæ ciuitates erant exiguo ciui-  
 um numero definitæ. Poſteà verò Reges nati-  
 ones vniuerſas ſub imperium ſubiunxerunt;  
 deinde ij, qui propius aberant à generis huma-  
 ni primordio, multò ſimpliciores erant, mul-  
 toque facilius ea de cauſa regum ſanctionibus  
 obſequentes, poſteà verò vaſtri & malitioſi ple-  
 rique facti ſunt, & cupiditate magis incenſi,  
 minus ad imperium accipiendù parati: & id-  
 circò maiore animaduerſione, ac rioreque vi-  
 gilia coercendi, quod præſtari non poterit  
 ab vno homine, qui ſe tam multis ſimul mune-  
 ribus implicuerit. Primum igitur neceſſe fuit  
 Regi, officium ſacerdotis omittere. vtrumque  
 enim officium vnus ſummj viri totam men-  
 tem, & integrum ſtadium, & vigilantiam re-  
 quirat. Non eſt enim commodum intermitti  
 religionē Reip. cauſa: neque rursus religionis  
 obtentu Reipu. curam dimitti. Vt igitur eſſet  
 ſemper aliquis omni alia cura ſolutus, qui re-  
 bus diuinis operà daret: & aliquis rursus, q. o-

mnam



mnem curam & sollicitudinem in Rep. tuenda consumeret: opus fuit sacerdotis officiū à Regis officio distingui; ita tamen, vt alterum alterius ope firmaretur. Regnum enim sacerdotij religione & sanctitate stabilitur; Sacerdotiū verò regni præsidio tutum, ritè suum munus exequitur. Præterea multa sæpè occurrūt, quæ nec à sacerdote purè fieri possunt: nec à rege sine flagitio præteriri. Hostiam cruentis (vt ita dicam) manibus immolare Sacerdoti fas non est: capitale scelus impunitū relinquere, regis summum flagitium est. Vt igitur neq; sacerdos cogeretur sese hominis facinorosi supplicio cruentare: neq; rex scelestum aliquod facinus inultum omittere, commodissimè facta fuit hæc amplissimorum munerum distributio. Postremò cū regius splendor animos afferat, periculum esset, ne si ad regiam dignitatem sacerdotij etiam dignitas accederet (quod olim Imperatores Romani factitabant, simul enim Pontifices Max. creabantur) cresceret fastus & arrogantia, minimeq; toleranda superbia, quæ Reges omni humanitate spoliaret, & pro benignis principibus eos tyrannos immanes & truculentos efficeret. Vt igitur frenari posset Regis insolentia, congruum fuit, vt esset aliquis Sacrorum antistes pietate & Religione præcellens, cuius auctoritatē Princeps sequeretur, & cuius monitis & consilijs posset institui, & à temeritate & insaniam, ad modestiā & sanitatē reuocari. His igit de causis egregiè cōsultū fuit regnis, cū fuit interdictū lege atq; religione regibus, ne se sacris peragendis ad-

misc-

DE REG. INSTIT. ET

miscerent. Ozias Iudææ Rex in eâ templi partem, in quam nemini, qui Sacerdos non esset, ingredi licebat, non solum ingredi, sed sacris etiam suffimentis Dei numen placare conatus est. Cùm clamaret Pontifex Max. & eum ab intollerabili audacia reuocare niteretur, cùm omnes sacerdotes illum magis vocibus obtestarentur, ne religionē tam audaci facinore violaret, omnium monita & preces cōtempfit, atque pro nihilo duxit. Quid deinde euenit? Antequam ad Aram accederet, lepra subito deformatus est. Cùm igitur videret corpus suum Dei iudicio percussam, se repente domum proripuit, & in intimis ædibus inclusit; neque se post illum diem in conspectum populi dare, aut regnum administrare potuit. Hoc igitur & alijs eiusmodi iudicijs diuina seueritate constitutis, perterriti principes, qui pietatem vnicè coluerunt, non modò ne Deum offenderent, sese ab sacerdotum officio & curatione remouerunt: sed ita illos venerati sunt, vt eorum etiam sanctiones, interdicta, decreta, summa quadam religione obseruanda censerent. Nec enim mediocrem religionē in ea moderatione, qua se illis submittebant, sitam esse statuebant. Ea ratione Constantinus Magnus iudicium de sacerdotibus facere noluit: sed illorum semper iussis in ijs rebus, quæ ad religionem pertinebant, obtemperauit. Eadē ratione permotus etiam Theodosius Magnus Ambrosij sententiæ paruit, qua illum ab ingressu templi, & sacrorum communionē prohibuit. Neque vir sanctissimus Innocentius

idem

idem exemplum sequi dubitavit, cum Arcadio ingressu templi, & sacris omnibus interdixit. Multa possem exempla eiusmodi commemorare, quibus intelligeremus multis in locis Pontificum auctoritate regum licentiam immodicam fuisse compressam; quod fieri minimè potuisset, si illis cum rerum humanarum administratione, diuinarum etiam curationē usurpare licuisset. Cum verò summa potentia, ne omnia insolenter & temerè peruertat, freno quodam moderationis coercenda sit, nihil certè salutarius poterit excogitari ea religione, qua principes pontificibus obsequuntur. aliter enim necesse erit sacra prophanis commisceri, diuina & humana iura perturbari, in expiabiles religiones induci, numinis offensionem cum peste atque pernicie Reipub. concitari: quod vtinam tam multis nostræ memoriæ exemplis non fuisset valdè comprobatum. Vidimus enim in his locis, vbi principes vel avaritia stimulati, vel ambitione cæci, Pontificum iura neglexerunt, neque dubitauerunt sacra omnia ad suum compendium & quæstum reuocare, diuinaque iura potestate sua complecti, graues poenas esse seditionibus, & cædibus, & insidijs, & imperij cōtemptu, & quorundam etiam principum interitu, & rerum omnium perturbatione eorum temeritati & amentia per solutas. Quamuis autem id etiam Sacerdotum peccatis acciderit, ij tamē, qui sacerdotij statum affligunt, nefario crimine liberari non possunt. Nec enim tā in cuiuslibet vitam atq; mores, quàm in totius ordinis san-



titatem respicere debuissent. Accedit, quod illi nō tam sacerdotum flagitijs offensi, quā spe prædæ ingentis excitati sacra omnia prophana reddiderunt. Quamuis igitur summus ille iudex, eorum operis, qui sunt infesti sacerdotibus, ad sacerdotum pœnam vtatur; illi tamen, qui eos vexant, pœnas sacrilegio debitas vitare nō possunt, quas iam aliqua ex parte in hac vita inopia & egestate pendere incipiunt. Quò enim plura diripiunt, eò maiore rerū inopia torquentur. Diuino aut̄ iudicio fit, vt nō solū fontes puniātur: sed tortores etiā acerbissimè crucientur. Timendū igitur illis est, qui se tam nefaria præda contaminant, ne tantò grauiora supplicia luant, quā sacerdotes ipsi, quantò grauius est, sacra & diuina contēnere, quā hominum offensionem humano aliquo flagitio cōcitari. sed nos ea vulnera, quæ sanare non possumus, refricare desinamus. Vt autē ad propositū reuertamur, id sanè constat nec amplitudinē imperij, nec Reip. gerendę rationem, nec periculi, quod ex regis immoderatione nasci potest, magnitudinem, neque legis diuinæ sanctitatem pati atq; tolerare posse, vt Rex sacerdotij munus vsurpet. Vbi autē id acciderit, valdè metuendum est, ne exitium atque vastitas rebus communibus inferatur. Regis igitur religio sit, sacerdotis auctoritatē & sententiam in ijs, quę ad religionem pertinent, reuereri, non per se res diuinas administrare. Quid deinde? Regis officium esse dicemus, bene, ornatè, & appositè ad persuadendū dicere? si ita est, non patiar vllō modo esse aliquem

quem in Rēpū. qui illum dicendi artificio superet. Volo enim, vt Rex sit sui muneris gerendi gloria præstantissimus. Opus igitur est, vt in vita nihil aliud agat: sed omnem curam & industriam in dicendi meditatione consumat. Quomodo igitur Reipu. negotia, quæ sunt innumerabilia, sustinebit? quando tam multa, quæ sunt illi diligenter administranda, conficiet? qua tandem ratione armis atque virtute periculum à Rep. propulsabit? Præterea illius vox & oratio ad omnium ciuium aures peruenire non potest: at Regis providentia ad longinquas etiam nationes, quæ illius imperio continentur, conferenda est. Augebit quidem regis dignitatem oratio, si verbis pressa, & sententijs grauis extiterit, & multum à Sophistarum lenocinijs & intempestiua verborū festiuitate remota: si verò redundans fuerit & puerili quodā studio nimis elaborata, maiestatem illius imminuet. Non est enim regi ex vocis claritate, sed ex vitæ splendore dignitas & gloria querenda. Scitè quidē Demosthenes, cum enim simul cum Aeschine & Philocrate ad Philippū legatus fuisset, & illi Philippum egregiè laudarent, quòd multū dicendi artificio valeret, quòd forma & specie decorus esset, & quòd esset festiuus cōnuator, & plurimum vini sanè iucundè biberet: prima (inquit Demosthenes) laus Sophistarū: secunda mulieris: tertia in spongiā quadrat. nullam igitur in istis laudibus quæ propria sit regis, agnosco. Hac quidē Demosthenis sententia certè constat, Regis officium non esse in summa orationis copia &

DE REG. INSTIT. ET

vbertate, & nimis elaborata dicendi concin-  
 nitate & artificio constitutum. Præterea ora-  
 toris proprium est aptè ad persuadendum di-  
 cere: Regis verò ea, quæ sunt oratione persua-  
 denda, sapienter animaduertere. Nō est igitur  
 Regis officium ornatè & amplè disserere: sed,  
 quod est longè præstantius, oratori leges im-  
 ponere. Dicendi namque facultas, si nō fuerit  
 lege definita, non mediocrem perniciem Rei-  
 pub. importare poterit. Regis autem officium  
 est modum præscribere, quo nulla ars pernici-  
 em afferre possit: sed omnes salutares sint, &  
 quò ars est ~~amplior~~ & clarior, eò diligentius  
 illam moderari, ne communibus rebus officiat.  
 Opus est igitur, vt oratori legem præscri-  
 bat, modum constituat, & materiam definiat:  
 ne quicquam tractare audeat, quod non ad v-  
 tilitatem publicam cōferatur. Nihil est enim  
 dicendi licentia & impunitate funestius; non  
 est igitur dicēdi facultas regia disciplina; sed  
 Regis moderationi subiecta. Quid igitur? Im-  
 peratoris officium illi vt proprium munus af-  
 signabimus? Ne id quidē. Imperator enim bel-  
 li administrandi tantum disciplinam tenet:  
 præscribere autem quo iure, aut quando, aut  
 cum quibus bellum gerendum sit, ad Regis of-  
 ficium spectat. Nec enim semper vtile & hone-  
 stum est bellum mouere; sunt enim multa bel-  
 la inutilia, multa nefaria & iniusta, quæ tamē  
 militares homines ardentis gloriæ cupidita-  
 te nimis inconsideratè suscipiunt. Sunt igitur  
 isti Regio imperio & disciplina coercendi, ne  
 Rempub. sine causa sollicitent, in extremumq;  
 disci-



discrimen salutis inducant. Bellum enim ad pacem referendum est, non honesta pax diri & exitiosi belli cupiditate perturbanda. Nec enim regi propositum est, ut gloriæ popularis causa Rempub. in summum discrimen iniiciat: sed ut eam tranquillam reddat, bonisque omnibus affluentem. Non igitur belli causas querit: sed quantum honestatis ratio patitur, elaborat, ut bellorum omnium incendia restinguat. Rex igitur non imperator est: sed imperatorum rector atque moderator, illorum opera, cum id expedire Reipub. cernit, diligenter utens: & cum rursus bella perniciose fore prospicit, omnem impetum militarem sapientissimè coercens. Nec iudex quidem in causis debet esse; sed iudicia dare, & leges, cum opus fuerit, atque iura describere. Cum enim infinitis propè hominibus imperet, nulla ratione potest omnium controuersias & causas cognoscere. Quod si eas saltem causas, quas poterit, diiudicare, uoluerit, dum paucas lites diremerit, maiorum litium causam dabit. Rempu. enim, quæ multo maiora interim ab illo, & magis necessaria officia requirit, ope sua nudabit: & ita dum minutis rebus intentus est, à grauioribus abducetur, & negligètia sua quorundam improbitatem & malitiam augebit. Præterea Reipu. valdè conducit, ut Rex ab omnibus mirificè diligatur; at qui iudicat, eorum animos, contra quos statuit, alienat, & illorum odium in se nimis acre sæpè concitat. Non igitur sapientis Regis erat, aut infinito labore sine magno fructu confici: aut summo odio sine vlla necessitate

## DE REG. INSTIT. ET

tate flagrare. Rex igitur iudicare non debet,  
 sed homines sapientes, & constantes, & inte-  
 gros, & incorruptos deligere, quibus iudicā-  
 di munus assignet: & eos, qui rectè munere  
 suo functi fuerint, beneficijs augere, & orna-  
 mentis afficere: illos autem, qui vel pecunia  
 corrupti, vel cuiusquam gratia permoti con-  
 tra ius & fas causas improbis litigatorib<sup>9</sup> ad-  
 iudicauerint, grauissimis pœnis & extrema i-  
 gnominia plectere. Rex igitur non iudex est,  
 sed iudicum princeps, iuris vindex, legum cu-  
 stos, iudiciorumque omnium conseruator.  
 Cernitis iam animo, quantum sit regium mu-  
 nus? quàm grauem & excellentem personam  
 Rex ipse sustineat? quomodo omnia officia,  
 quæ sunt specie admiranda, claritate splendi-  
 da, fructu salutaria, longè multumq; superet  
 Regis officium? Quid enim admirabilius, quàm  
 hominum voluntates dicendo tenere, & eò,  
 vnde velis deducere, & quocunq; velis impel-  
 lere, & studio communis vtilitatis & amplif-  
 simæ dignitatis incendere? Quid clarius & il-  
 lustrius, quàm impetum hostis ferocis & infe-  
 sti reprimere? bellum maximum profligare?  
 & cum propriæ vitæ periculo patriam à lum-  
 mi periculi peste defendere? Quid melius &  
 salutaris, quàm lites omnes æquitare summa  
 dirimere? discordiarum semina tollere, &  
 iniustitiæ stirpes amputare? cùm hæc magna  
 & ampla sint, videte quantum id erit, quod est  
 multò maius & amplius. Quanto maius autè  
 sit Regis officium, ex eo colligitur, quod hæc  
 omnia Regis imperio, virtute, & moderatio-  
ne con-

ne continentur. Sed inquires: Quid ergo nunquam ne Rex ius dicet? nunquam exercitum contra hostes educet? nunquam populum oratione ad officium cohortabitur? Imò sæpè hæc omnia per se vigilanter administrabit. Summa namque imperandi ratio in eo posita est, vt magis exemplo, quàm verbis eos, quibus imperas, adhorteris. Id enim admirationem virtutis efficit; amorem summum conciliat; alacritatem incredibilem addit; ita vt nemo velit imperium principis illius, qui se laboris sociũ præbet, vlllo modo recusare. Vt enim nemo, qui labore premitur, libenter obtemperat ijs, qui otio, vitæque mollitia deliquescunt: ita laborum societas, & periculorum communio rectoribus subditos amore deuincit, & ad obediendum acriter impellit. Quàm delectat Teletias Lacedæmoniorum dux? vt enim est apud Xenophon, in summa rerum inopia hac oratione milites facilè continuit. Ego (inquit ille) milites, sine pecunia ad vos aduenio, Deo tamen adiuuante, si vos comites meæ diligentia & alacritatis habuero, perficiã, vt omni genere commeatus abundetis. Hoc velim sciatis quamdiu vobis impero, non minus esse me de vestra omnium salute, quàm de mea sollicitũ. Mirum fortassè videbitur, si dixero, malle me vobis omnia ad victum necessaria, quàm mihi suppetere. D E O S tamen omnes obtestans affirmo, multò me malle duos dies sine vlllo cibo traducere, quàm vt vos vnus diei in diem toleretis. Ostium meum semper apertum est, nec ante hoc tempus, neque mo-



dò fuit cuiquam ad me aditus interclusus. Poteritis igitur exploratè cognoscere, me tū demum largius cibus vsurum, cum vos similiter expleti fueritis: si verò me videtis frigora, & æstus, & vigiliastolerare, intelligite esse vobis similiter hæc omnia incommoda subeunda. Nec enim ideò vos ad hæc perferenda cohortor, vt mœstitia cōficiemini; sed vt ex his laboribus latū fructum capiatis. Ciuitas quidem nostra militibus omnium opinione florens atque beata est. Imperium verò & gloriā, quam sibi peperit, non domi per ignauiam desidendo; sed prompto & alacri animo laborando, & quoties necesse fuit pericula subeundo consecuta est. Et vos quidem antehac fortes & strenuos fuisse scio. Date igitur operā, vt nunc multò clarius documentū virtutis vestræ præbeatis, vt omnes nos simul cum iucunditate labores excipiamus: & cum iucunditate parta felicitate perfruamur. Hæc quidem Teleutias, quæ oratio declarat quantus ille vir fuerit; nemo enim ex omnibus illius temporis ducibus milites magis sibi amore coniunctos habuit, aut magis imperio illius obsequentes. Hoc igitur faciendum est omnibus regibus, qui suos in officio continere voluerint. Princeps enim piger & ignauus frustra aliorum industriam requirit: & qui timidus est, frustra fortium hominum opem & auxilium implorat. Adulari enim & assentari timidis & delicatis Principibus, peruulgatum est: pericula verò contemnere; & labores excipere gratia illorum, qui nullum virtutis & industriæ signum dedere,  
rarissi-

rarissimum. Ut igitur vigilum præfectus in omnes partes sibi commissas excurrit, ut excubias excitet, & industria sua magis acres & vigilantes efficiat: ita conuenit Principi in regia vigilia constituto, animo semper excubare, ut custodes à se diuersis in locis positos exemplo vigilantia suæ de somno frequenter exuscitet. Atque ut imperator quamuis non miles, sed militum præfectus sit, multa tamen sibi militia munera ut milites stimulet, obeunda putat: ita Rex quanquam supra omnes honores illius amplitudo collocata sit, opus tamen est, ut multis rebus occurrat, & per se multa diligenter obeat, ut exemplo suo multos ad officium adhortetur, & omnes admoneat, nullam Reipub. partem esse sua prouidentia & auxilio destitutam. Iudex quidem non est; sed iudicum rector atq; moderator, quod officium tueri non potest, nisi aliquando iudicauerit: partim ut iudices exemplo suæ æquitatis incēdat: partim ut iudicibus præsit, & de illorum vel integritate, vel improbitate cognoscat. Nullus enim ordo est in Reipub. in quem acrius animaduertendum sit, si in officio deliquerit; sunt enim iudices administri iuris publici, & legum custodes & vindices: ita ut maxima ex parte tota Reipub. salus in eorum fide consistat. Intelligent igitur illi potissimū, nec eorum æquitati præmium defuturum, neque iniquitati supplicium. Sapienter enim Solon pœna & præmio salutem Reipub. contineri censuit. Mali namq; metu pœnæ tardiores ad suscipiendum flagitium sunt; boni verò multò cō-

## DE REG. INSTIT. ET

fidentius & alacrius præmio constituto in studium officij & æquitatis incumbunt. At neque supplicium irrogari, neque præmium vlllo modo constitui potest, vbi non fuerit animaduersum, quid quisque mereatur. Nò solùm igitur vt exemplo suo iudices ad officium adhortetur; sed vt diligentius animaduertat, sint ne iudices digni, per quos tantum munus administrari debeat; vtile est interdum Regem iudicijs interesse. Non possum igitur non laudare Lusitanorum Regum morè, qui septimo quoque die se in conuentum iudicum cõferebant, & in maximis & difficilimis causis auctoritatem suam interponebant, vt iudices in officio suo constantiores efficerent. Hac igitur ratione, quamuis potissimum Regis officium non sit, causas cognoscere & iudicare: opus tamen est interdum iudicijs præesse; & sæpè summo studio, quàm rectè aut flagitiosè iudicia fiant, diligenter explorare. Ad hunc autem modum quamuis Rex imperator non sit, necesse tamen est interdum, vt imperatoris officium suscipiat. Mirum enim est, quantum momenti adferat ad victoriam aspectus atque præsentia Regis. Duces enim multò vigilatius sibi commissum munus efficiunt; milites multò confidentius in hostem inuadunt, & quoduis periculũ audacius aggrediuntur coram eo Principe, quem laboris & periculi socium animaduertunt, & à quo virtutis laudem & præmium expectat. Tum etiam illud mirum, quantum valet ad regij muneris perfunctionem, quod in militari labore experiundo cognoscunt, quantum



tum debeat ijs, qui laborem militiæ Reipublicæ causâ perferunt, & vitam periculis infinitis obijciunt. Non patietur enim Rex, qui arma sumpsit, & acie cum hoste confixit, milites ludibrio haberi, eorumque postulata contemni, & agrestem & incultam fortium hominum simplicitatem, lautorum hominum ditibus exagitari. Quo quidem malo quid iniquius & periculosius esse potest? Ut enim, qui canum custodia gregem nudat, gregem lupis dissipandum atque laniandum tradit: ita qui milites iniurijs expellit & eijcit, Rempublicam hostibus prodit, & omni crudelitate dilacerat. Sic etiam quamvis Rex non omne studium ad benè dicendum conferat, mirum tamen est, quantæ Reipub. tempestates sedari, & quanto studio civium animi ad patriæ defensionem excitari Regis oratione valeant. Homines præterea, qui sub Rege viuunt, molestissimè ferunt sibi per internuncios, cum ille præsens est, voluntatem illius aperiri. Putant enim aditum sibi ad Regis gratiam minimè patere, improbitate eorum, qui laboribus alienis ad opes suas amplificandas abutuntur. Conuenit autem Regibus, qui se caros vniuersis esse student, faciles aditus habere, multa signa benignitatis ostendere, homines nominatim appellare, dare signa lætitiæ; cum eos in infelicitate versari vident, præ se ferre mœstitiâ, cum incommodis vexatos animaduertunt; sibi potissimum beneficiorum gratiam reseruare, hoc autem assequantur, si non existimauerint esse regium omnes à suo aditu & congressu arce-

re, qui non fuerint nobilissimi, aut illis gratia & familiaritate coniunctissimi: etsi non infantia regiam grauitatem contineri putauerint. Facilitas enim ad amorem allicit, & inuitat; & eloquentia maxima regis munera cum illius amplissima dignitate sustinentur. Siue enim ad bellum cohortandi ciues sunt, siue ad pacem reducendi, siue ad ciuilem societatem inuitandi, siue à seditione deterrendi: quid Regis oratione uehementius, aut ad illius dignitatem aptius excogitari potest? Sacerdos quidem rex non est, sed operam dare potest, ut ij sacerdotes fiant, qui doctrina & moribus, & grauitate, & uitæ castimonia, & religionis exemplo facillimè tantam personam atque dignitatem sustineant. Quod si sacerdotis est pietatem uicè colere, religionis puritatem omnibus uitæ commodis anteferre, diuinam mentem consulere, & omnia ad Dei uoluntatem administrare, Rex quodammodo sacerdos appellari potest. In hoc tamen pietas, & sanctimonia regis maximè perspicitur, quod in religionis institutione sacerdotibus subditur, illorumque sententiam ueretur, nec ab illorum placitis, qui summo sacerdotio funguntur, unquã discedit. Reliquis autem officijs & artibus quamuis Regis officium præcipuum minimè contineri dicamus; hoc tamen dicimus, illorum omnium moderationem, & vim salutarem, ad illius officium pertinere. Quælibet enim ars ad utilitatem Reipub. utiliter inuenta noxia esse poterit, si non fuerit Regis moderatione gubernata. ut enim architectus omnium fabri-

rum operis, quæ ad ædificium necessariæ sunt, sapienter vitur; aliter enim erit architecti nomine indignus: ita Rex cui totius Reipub. fabrica commissa est, omnium artificum operas ad ipsam Rempub. bene atque sapienter ædificandam confert; in eoque nervos omnes intēdit, vt eam sartam, testam summo studio conseruet. Est enim Rex vrbium conditor, cinium moderator, legum custos, & publicæ salutis & incolumitatis architectus. Hoc igitur illius munus est, vt omnes artes siue illustres & claræ sint, quas ipse per se sine dignitatis imminutione tractare potest: siue humiles & sordidæ, dum modò ex illis Respub. aliquod emolumētum capiat, sapienter & aptè moderetur, & in Reipub. salutem dirigat. Nulla est igitur ars, nulla disciplina, nullum opus, quod in illius tutela non sit. id enim, quod ab illius moderatione relictum aut pestiferum, aut saltem inutile poterat esse: illius moderatione deuinctū salutare est, & magnam aliquam vtilitatem cōtinet. Est igitur (vt eodem verbo sapius vtar) publicæ felicitatis atque beatitudinis architectus. Publica autem felicitas, & beatus Reipub. status, omnium bonorum ratione & multitudine continetur. Bona autem Academici, & Peripatetici trifariam diuidunt; alia namque sunt in animo, qualia sunt ingenij acumen, solertia, sagacitas disciplinæ, virtutes vel illæ, quibus ingenium excolitur, vel quibus animus ipse diuinis opibus, & ornamentis afficitur: alia verò sunt in corpore, quæ vel ad bonam valetudinem & firmitatem, vel ad corporis



DE REG. INSTIT. ET

poris speciem & dignitatem pertinent : alia postremò extra corpus, quibus vel vita alitur, & sustentatur, vel vitæ cultus & elegantia, & salutis atque dignitatis subsidium continentur. Hoc igitur propositum esse debet, ut Respub. sit opibus florens, & viribus firma, & virtute honesta, & sapientiæ institutis egregiè constituta. Ut igitur à minimis ordiamur, opera illi danda est, ut Respublica locuples & opulenta sit; cum autem multæ rationes rei augendæ sint, nulla tamen est honestior, nulla vberior, nulla communibus rebus utilior ea, quæ in agricultura consistit. Reliquæ enim fraudibus & iniurijs affines plerumque sunt, hæc autem cum iustitia & æquitate coniuncta, illæ ad pauciores pertinent: fructibus autem, qui ex terra funduntur, omnium vita sustentatur, & opibus quæ vel v'sura, vel mercatura, vel alia quavis eiusmodi sedulitate & industria comparantur, animi effeminari solent, & insolenter extolli : at agricultura & corpus exercet, & modestiæ altrix & conservatrix est. Iam verò cum bellum motum fuerit, qui vobis fore videntur ad resistendum magis parati; ij ne, qui vitæ v'mbratili, & delicatæ se dediderunt? an qui solibus perusti, & laboribus assiduis durati sunt? ij, quorum omnis res est in nummis, qui facillè à loco in locum asportari possunt? an qui non alias opes possident præter eas, quas ex agris, qui loco moveri non possunt, manu quærunt? ij, qui neque qua hostem aggrediantur, aut qua se in tutum recipiant planè vident? an qui oës regi-

ones agrorū, viarū anfractus, semitarum compendia, lucorū exitus notos habent? Ad studiū igitur cōmunis periculi propulsandi, tantum inter bonum colonum & mercatorē interest, quantum inter indigenam & peregrinum: colonus enim terram, quæ illi omnia ad vitā necessaria largē suppeditat, vt parentem colit: & ne ex illius gremio pellatur, quæuis pericula audacius ineunda putat: at mercator cū varias terras peragret, in nulla tanquam in patria, atque naturali sede consistit. Cur igitur inquires hodie non ex agris homines ad militiam educuntur? Quia similiter alia multa olim salubriter instituta, commutata sunt. Præterea plerisque in locis ita seruiendi consuetudo rusticorum animos affixit, vt non possint aliquid de laudis & dignitatis studio cogitare. Postremò cū bellum est terris situ disiectissimis inferendum, nec illi libenter ab agris auelluntur, nec est vtile Rebus publicis terras aratorum penuria vastari. cū tamen Roma non virtute tantum: sed etiam frugalitatis laude florebat, non solum milites: sed etiam consules & Dictatores ab agris accersebantur. Sed quoniam ita more receptum est, illis longinque saltem militiae vacationem concedamus, dummodo fateamur, vix vllum genus hominum esse, cui magis obligati simus. Illi fruges exarāt, quibus alimur; illi pecora nutriunt, quæ non solum cibum nobis: sed vestitum etiam præbent; ex agris bene cultis oleum, & vinū, & varios fructus, qui

non

DE REG. INSTIT. ET

non modò ad necessarium victum: sed etiam ad naturę delicias referuntur, excipimus. Quid autem de voluptate, quę percipitur ex rusticis, dicendum est? quid enim nitidis collibus, frondosis vallibus, cultissimis agris, dęsis nemoribus, vel ad aspectum venustius, vel ad curarum requiem & molestiarum omnium obliuionem salutaris? quid hortis pomarijs, vineis & oliuetis, vel ad fructum melius, vel ad speciem præclaris, vel ad vsum vitę iucundius? Quod si mores hominum non fuissent ad mollitiem lapsi, neque tanta pecunię cupiditas in animos inuasisset, idem certę honor, qui olim habebatur, huic rusticę & attentę vitę ab omnibus haberetur. Refert Herodotus Milesios olim cüm intestina seditione laborarēt, & nullum in grauissimis malis exitum inuenirent, per legatos petiisse à Paris apud quos Respub. erat bene constituta, vt mitterent ad se aliquot ciues prudentia graues, quorum auctoritate & consilio posset Mileti aliquis status Reipub. collocari. Paris igitur ciues communi suffragio delecti Miletum profecti sunt, & in Milesiorum consilio dixerunt: se nihil prius acturos esse, quàm totam illam regionem oculis perlustrarent. Cüm igitur Milesium agrum peragrarent, si quem fundum viderent bene cultum & nitidum, interrogabant, cuius ille fundus esset; nomina autem coloni illius literis consignabant. Vbi igitur in urbem rediēre, conuentum Milesiorum ciuium habuerunt, ibi verò dixerunt, fieri non posse, vt qui rem suam malè gerit, publicam bene administrat.



stret. si igitur salui esse vellent ij, qui erant in agrorum cultu negligentes, sub eorum moderatione viuerent, qui agros bene confitos habebant; sperandum enim esse, vt qui in re sua curanda diligens esset, eandem etiam in curatione Reipub. diligentiam adhiberet. Agricolas igitur diligentes, negligentibus & ignauis præficiunt, & ita finem eorum malis imponunt. Videte, quantum fuerit olim agriculturæ tributum; homines ex optimè morata repub. delecti, qui ciuitatem motibus intestinis perturbatam, & pestifera seditione conuulsam, bene atque sapienter constituerent: nõ aliud remedium præsentius inuenire potuerunt eo, quod in eorum moderatione consistebat, qui rebus rusticis diligenter operam dabant: eam enim vitam non solum simplicitatis, & pudoris, & innocentia: sed moderationis & ordinis atq; diligentia: magistræ esse statuebant. Sed vt tam multa agriculturæ minimè tribuamus, id saltem negari non potest, omnes naturæ opes quibus communis omnium vita sustentatur, telluris diligentissimo cultu contineri. Hæc enim frugum & leguminum & plantarum semina, quæ in se recipit, multiplicato cum fenore reddit: hæc germina passim fundit, & cunctis animantibus pabula subministrat: hæc montes syluis vestit, & valles herbis & nemoribus implet, & arbores partim fructiferas, partim syluestres ad ædificia, & ad reliquos vsus vitæ necessarios affert. Nihil denique est ad vitam necessarium, quod non tellus solerti cultura hominis diligentis adhibita, non admodum lar-

DE REG. INSTIT. ET

gè atq; munificè largiatur. Sed quorsum hæc tā multa de agricultura dicta sunt? vt intelligatur, cū regis officium sit locupletare Remp. & nullę opes humanæ sint cū opibus, quas terra ex se fundit, comparandæ, ad regis officium pertinere, dare diligenter operã, ne terra cultoribus destituta vastetur: ne arationes deserantur: ne telluris pars vlla sine fructu relinquatur. quod quidem facillimè partim principis benignitate, qua multos ad rei rusticæ studiū inuitabit; partim seueritate, qua ignauos coercebit, fieri potest. Non em̄ video, cur Persarum mos & consuetudo in nostram vitã atq; mores transferri nō possit. vt em̄ refert Socrates apud Xenophontē, nemini licebat olim apud Persas fundos & possessiones suas negligere. Illis enim, qui rebus rusticis diligēter operam dabant, erat certū laudis & dignitatis præmiū à rege propositū, ei verò, q̄ per desidīã & incuriam agrum suum squalere sinebat, erat etiam pœna pro magnitudine negligentia constituta. Rex autem quoties regionem iustrabat, in omnes partes oculos conijciebat; vt videret, qui agri culti essent, & nitidi, qui neglecti & inculti; vt eorum dominos vel honoribꝰ & donis, vel ignominia atque pœnis afficeret. Regionibus verò, quas ipse per se obire non poterat, nauos & industrios homines præficiebat; hi autē agricolas omnes stimulabant, experientes aratores honorabant, ignauos acerrimè coercebant; diligentiaque sua faciebant, vt loca deserta frequentarentur, vt agri antè relictī lætas fruges efferrent, vt vineæ, vt oliueta,

ueta, vt horti atque pomaria vberes fructus effunderent: vt syluæ atque nemora summa diligentia confita, multarum rerum copiam supeditarent. Rerum autem rusticarum præfetti, qui hoc sibi commissum munus strenuè peragebant, à Rege donis & muneribus augebantur: is verò, cuius negligentia tellus inculta parum lætos fructus efferebat, ignominiã & pœnam debitam sustinebat, & honore illò priuabatur; & aliis in locum illius succedebat, cuius vigilantia possent omnes illius terræ cultores opibus naturæ locupletari. Quo quidem amore & instituto nihil poterat ad rerum omnium copiam parandam aptius excogitari. Nihil est enim tellure bene culta ditius & affluentius. Princeps igitur, qui in eo mentem defixerit, vt genere terrarum notato, vbi primùm, quid quæq; tellus ferre possit, animaduersum fuerit: cogat pœnis, aut præmijs inuitet agrorum dominos, & omnes agricolas, vt omnem regionem diligenti cultura fructuosam reddant, optimè profectò regno suo prospiciet. Illud enim efficiet omnibus naturæ opibus atque diuitijs opulentum, neque solùm ad inopiam propulsandam, sed etiam ad libertatem tuendam dici vix potest, quantum valeat agri colendi studium. Qui enim frumenti inopia laborant, illis semper obnoxij sunt, quorum frugibus aluntur. Multum quidem afferunt etiam vtilitatis omnibus Rebus pub. nauicularij atq; mercatores; ea namq; quibus regio redundat, exportât, & ea quibus indiget, important; multasq; vias dant, quibus hominũ



aliorum mores & instituta cognoscamus; sed illi non omnibus utiles esse possunt: at agriculturalum labore & industria omnium vita continetur, & illi multa conuehunt (vt dictum est) quæ homines effœmiant: at agricultura vires corporis & animi confirmat. Deinde commercium cum externis hominibus ciuium animos externis moribus oblitit: at agri colendi studium antiqui moris simplicitatem incorruptam & integram perpetuò conseruat. Vt autè nihil aliud dicam, agricultura vitam omnem continet: mercatura verò eam vitæ lautitiam, quæ vtrum plus damni an utilitatis inuexit, haud facillè dixerim. Non igitur immeritò finxerunt poetæ, cum inter Mineruam atque Neptunum orta esset contentio, vter eorum nomen Athenis imponeret, fuisse Deorum iudicio causam Mineruæ adiudicatam; illa namq; terræ colendæ rationem, Neptunus nauigandi maris artificium tradebat: & illa frumentū, & oleū, & alios fructus: Neptunus verò varias & peregrinas merces ostentabat. Non tantum tamen agriculturæ studium in regibus requiro, quantum in Cyro iuniore extitit, qui gloriabatur agrum se sua manu conseruisse, cum Lysander arborum pulchritudinem & ordinem vehementer esset admiratus, quibus illum agrum consitum aspiciebat. Illud saltem velim omnes principes secum recogitent, sibi hoc onus incumbere, vt ciues suos locupletes efficiant, nullasq; diuitias esse cum illis conferendas, quæ ex terræ visceribus eliciuntur. Hoc igitur firmissimè constituto clarè videbunt, si  
bi

bi obnixè laborandum esse, ne pars vlla terræ negligatur. Nullum est enim tam macrum folium, quod non cultura fructuosum fiat, si aptissima illi semina cõmissa fuerint. Hic enim segetes (vt Vergilius ait) illic veniunt felicius vix. Arborei foetus alibi atque iniussa virescunt gramina. Cùm igitur multis in rebus antiqui Lusitaniæ reges multum reliquis principibus sapientia præstitisse videantur; tum in eo summoperè laudandos esse iudico, quod tantum studium in terræ diligentissimo cultu posuerint, quod declarat eorum statuta, quib⁹ aratoribus & agricolis cauent, & beneficijs & immunitatibus multos mortales ad studium rerum rusticarum inuitant. Vnde quidam illorum propter propensam in agricolas voluntatem agricolæ cognominati sunt. Multi fuimus in agriculturæ commendatione, partim quòd nullam artem Reipu. locupletandæ honestiorem & vtiliorem esse iudicemus: partim quòd huius studij negligentiam indignissimè ferendam esse censeamus. Admonendi sunt igitur Principes, vt fauoribus & immunitatib⁹ multos mortales ad agros colendos alliciant, & negligentibus agricolis graues pœnas imponant. Non tamen ita res rusticas complecti cura sua debent, vt reliquas artes Reipu. locupletandæ despiciant. Sunt enim mercatores etiam valdè fouendi: illorum namque fide & industria non mediocria Reipu. munera sustinentur: neque vulgaris prudentia ab illis ex hominum externorum commercio & familiaritate comparatur, multæ res patriæ vtilis in

DE REG. INSTIT. ET

patriameorum periculo conuehuntur, multa etiam quibus Resp. reuandatur, in alias regiones ab illis cum utilitate publica deferuntur. Multi etiam repentini casus incidunt, in quibus opibus illorum sæpenumerò non leuia pericula propulsantur. Sed quid mercatores commemo, quæ quidem, cum sine fraude pecuniam faciunt, ingentes Reip. utilitates afferre possunt, cum etiam caupones Plato valde Reipu. necessarios esse confirmet. Similiter omnes artifices in Rep. principis ope in artificio suo continendi sunt, neque baiuli quidem & operarij sunt eadem benignitate priuandi. Vt enim omnium curæ, studia, cogitationes, opera regis ipsius ordine & moderatione, in publicam utilitatem conferuntur: ita illius tutela & patrocinio omnium salus & vita continetur. Omnibus enim consulit, in eorumque; vigilat, atque; laborat, ut vniuersa Resp. opibus ad vitam necessarijs abundet; ne vlla pars illius aliqua inopia & indigentia confictetur. Quæ igitur patria tellus minimè producit, aliunde conuehenda curet, ut usus ipsius Reipub. opera mercatorum suppleri possit. Sed non satis est Rempub. esse copiosam & opulentam, nisi fuerit armis egregiè defensa, & contra omnes hostium insidias firmissimo præsidio munita. Non enim opes ipsæ per se pericula propulsant: imò quò maiores & ampliores sunt, eò maiores illis insidiæ comparantur. Diuitiæ namque, quas imbelles homines possident, cupiditatem aliorum vehementius irritant; & spem multò acrius excitant; & sic bellorum omnium materiam præbent.



bent. Causæ verò speciosæ belli inferendi nūquam hostibus bellicosis & cupidis defuerūt. Respublica igitur florens opibus, si fuerit virtutis militaris præsidio nudata, quò maiores opes habuerit, eò facilius euertetur. Regnum igitur aut opulenta Respub. quæ tantum opibus suis fedit, vt pacem & otium existimet esse sibi firmissimè constitutum, planè delirat. Latent enim semper insidiæ, fraudes in specie fictæ societatis occuluntur: vndique circumstāt pericula: & tunc multò funestius exitium cōmunibus rebus imminet, cūm Respublica in maiore securitate versatur. Nec enim iunctæ cum Regibus amicitia, neque foedera cum gētibus finitimis iēta, sed animi virtus & armorum potentia Reipub. statum tutum & incolumem præstare possunt. Qui enim vel nimis cupiunt, vel nimis inuident, tamdiu foedus sanctè percussum religiosè conseruant, quamdiu nihil nec aperto Marte, nec ex insidijs se nocere posse confidunt. Vbi verò primūm sibi rei per scelus augendæ occasionem oblatam vident, nulla religione impediuntur, quo minus eam confestim arripiant, & stultitia eorū, qui in foederibus acquiescunt, ad suam prædam abutantur. Meritò igitur Iphicrates Atheniensium dux laudatus est. Cūm enim Lacedæmonij se paratos esse dare fidem, quam is vellet, dixissent, vna tantūm ratione sibi fidem fieri posse dixit: si demonstrarent se non posse, quamuis id valdè cuperent, fidem datam violare. Intelligebat enim vir acutissimus tā diu fidē apud illos, qui omnia cupiditate infinita

## DE REG. INSTIT. ET

metiuntur, sacrosanctam fore, quàm diu vires non habuerint. Princeps igitur bonus & sapiens, qui nunquam fidem violauit, non existimare debet, ea fide reliquos etiam, quos videt cupiditate & inuidia flagrare, contineri posse. Itaque tantisper, dum ad omnes belli casus egregiè paratus est, confidat alios in societate & foedere permanfuros. Vbi verò primùm aliorum fide nixus, sui ipsius studium remiserit, ipse sibi pestem atque perniciem per socordiã & ignauiam comparabit. Non igitur in eo tantum pugnare debet, vt magnis opibus affluat; sed vt omnes opes regni sui armis atque virtute tueri possit. Secus enim quò maior & amplior status illius fuerit, eò erit casus & ruina calamitosior. Sapiens igitur est, in summa pace de bello cogitare, & in bello omnem belli gerendi rationem ad pacem dirigere. Quamuis igitur diuturna pax belli metum imperitis depulerit, est tamen iuuentus in armis continenda, & diligenter exercenda, vt quoties opus fuerit, præstò ad omnes casus sit, ad omniaque pericula depellenda vigilanter accurrat. Vt autem, cum necessitas instat & vrget, omnes, quorum ætas armis accommodata est, euocandi sint, & tabernæ etiam, vt olim Romæ fiebat, claudendæ, & iustitium indicendû: vtilissimum tamen est, in pace esse quoddam genus hominum, qui reliquis curis expediti, arma præcipuè tractent, & reliquos cum nomina tempore belli dederint, exerceant, & ordines sequi doceant, militiaque non rudes magistri sint. Est igitur necesse, vt in omnibus vr-

bibus

bibus (in illis verò maximè, quæ sunt cum vicinis nationibus continentes) disposita semper sint armatorum præsidia, & duces, & præfecti, qui ad repentinos belli motus intrepidè sustinendos prompti & expediti sint. Hi verò benignitate Regis alèdi atque sustentàdi sunt, & qui virtute præcellunt, præfecturis & honoribus augèdi, vt & ipsi merito virtutis premio fruantur, & alijs eadem honoris spe similiter in eiusdè virtutis studium incitètur. Quali autem ratione hæc præsidia disponi debeant, minimè laboro, dum modò hoc summo studio curent principes, ne vnquam (quamuis pax diuturna sit) armorum studium vlla ratione deferatur. Otio namque & securitate franguntur vires; languescit industria; hebescit ingenium; vitia crescunt; scelera prorumpunt; animi status opprimitur; flagitiorum omnium bellum inexpiabile concitatur: vsque adeò, vt quoduis bellum, quamuis durum & periculosum, huic insidioso pacis nomini longè præferendum sit. Nec enim pax illa dicenda est, quæ frugalitatem, & continentiam, & omnes denique virtutes pestiferis armis euertit: vniuersamque tandem Rempub. constrictam hostibus tradit. Nomen itaque pacis inane hominibus imperitis illudit, vt eos improviso fortunis omnibus atque libertate spoliètur. Vt igitur vigilantissimus pastor ita semper excubat, vt nunquam procul lupos esse putet: ita regis vigilantis est, nunquam procul hostium insidias positas arbitrari. Quamuis autem nullus eiusmodi metus esset, vtile tamen esset hunc me-



DE REG. INSTIT. ET

tum ciuibus injici: libidinis enim immanitatem continet, & industriam exacuit, & ad virtutem sollicitat. Sed minimè necesse est hunc metum simulari: ad sit modò prudentia, cuius officium est omnia, quæ possunt rebus humanis accidere, multò antè præcauere. Nunquam enim is, qui rerum humanarum imbecillitatè & felicitatis inconstantiam, & inuidiæ feritatem & cupiditatis impotentiam, & perfidiæ magnitudinè, & reliqua mala omnia, quæ versantur in vita, quibus frequenter status florens excinditur, cogitatione perceperit, timere desinet: sed ad se omnia, quæ possunt incidere, comparabit. Ita verò fiet, vt is maximè securus sit, qui status sui conuersionem timet: & is in summo periculo versetur, qui rebus suis nimium confidit, & quasi sibi exploratum sit fortunam suam nullam mutationem habiturâ, nullo se præsidio firmat. Quæ quidem detestabilis amentia ad diuinam poenam referenda est. Quoties enim rectissimus ille iudex aliquam Rempub. euertere cogitat, primùm eam armis nudat, & iuuentutem effoeminat, ne saltem possit honestam mortem in armis pro patriæ defensione susceptis oppetere. Legite historias, videbitis omnes propemodum nationes, quæ ad summas opes & imperium peruenère, postquam intolleranda superbia & iniquitas in illarum mores inuasit, præter alias poenas, quibus à Deo mulctatæ sunt, hanc etiam dedisse, quòd omnes artes militares abiecerint, & se luxu atque delicijs corrumpi & effoeminari permiserint. Vt enim alias omittam, Hispania

nia certè nostra priusquam Arabes, qui Mauritaniam incolebant, illam vastarent, iam erat armorum desuetudine, & disciplinæ militaris obliuione à Deo punita. Cùm igitur Arabes in Hispaniam traiecêre, vix erat quisquâ, qui illorum vultum aspiceret: sed omnes cum summa turpitudine & ignominia terga vertebant. Vnde colligitur armorum contemptum & negligentiam esse pœnam atque suppliciũ à Deo nationibus propter immania scelera cõstitutum. Princeps igitur prudens & pius, qui hæc omnia mente perceperit, quo tandem modo fieri poterit, vt armorum studium omitat? Videbit prætereà hanc exercitationem summis Regibus ingentem gloriam peperisse, eorumquæ nomen laudibus sempiternis illustrasse, eaquæ non mediocrem virtutis & honestatis partem contineri. Magnum est enim præ verissimæ gloriæ studio voluptates aspernari, labores immensos excipere, mortẽ & dolorem contemnere, & cum vitæ periculo pericula omnia à Rep. propulsare, & studio publicæ pestis auertẽde in pestem, cùm fuerit opus, irruere. Hæc igitur, qui præstiterint, nõ modò summi principes: sed diuini quidam homines existimandi sunt. Quod si princeps hoc animo fuerit, id quod consequens est, cũ magna Reipub. utilitate perficiet. Omnes enim viros fortes ad se aggregabit, multumquæ illis suæ benignitatis impertiet. Intelliget enim quanto honore digni sint illi, qui, dum publicam salutẽ atque libertatem tueantur, facillè vitam in summum discrimẽ inferunt, & dignitatis gra-

## DE REG. INSTIT. ET

tia nullum periculum adire reformidant. Si enim nihil est ignauia & timiditate deformius, quid poterit cogitari industria & virtute præclarius? & si is, qui morte etiam proposita, ciuē aut amicum tueri non dubitat, non mediocri laude dignus est, quibus tandem laudibus ornandus est ille, qui pro templis atque sanctitatibus, pro patrijs legibus & institutis, pro Reipub. libertate, pro ciuium salute sanguinem atque adeò vitam libētissimè profudit? Quid enim honestius est, quàm multò magis dedecus & turpitudinem, quàm vulnera & mortē horrere? Quid admirabilius, quàm patriæ caritatem propriæ antepone? Quid deniq; diuinius, quàm multum de illa immortali vita, parum autem de hac exigua cogitare? Meritò igitur semper in omnibus regnis & imperiosis populis summa laus fortibus hominib<sup>9</sup> attributa est, maximaq; præmia persoluta sunt; illorum namque virtus continet patriæ firmitamentum, Reipub. vniuersæ propugnaculum, ciuium libertatem tutissimumque in omnium rerum discrimine & calamitate perfugiū. Omnes enim ciuium opes in illius tutela sunt. Omnes artes in præsidio illius acquiescunt; quo quidem vbi primùm fuerint nudatæ, concident, & Respu. omnibus bonis euertetur. Qui igitur acres homines contemnit, & lautorum hominum delicias horridis & incultis militū moribus antepone, est Reipub. proditor, publicæque salutis euersor existimandus. Quantum enim in illo est, patriam salutari præsidio spoliat, nudamque & inermem hostibus diripiē-



piendam tradit. Illis igitur, qui Rempub. saluam volunt, est laudibus atque præmijs studiū virtutis militaris incitandum, nō contemptu, & auaritia restringendum. Præclarè quidem Plato in Repub. quam finxit, censuit vt ij beati existimarentur ab omnibus ciuib<sup>9</sup>, qui in prælio pro patria inito, fortiter dimicantes occūberent, illorumque genus aureum esse crederetur, quale Hesiodus fuisse fingit eorum, qui olim proximè ad naturam diuinā accedebant, quos post mortem diuinitate quadam ob virtutem donatos asserit. Hos igitur Plato censet pro herōibus habendos, eorumque memoriā religione consecrandam. Videte quantum vir ille sapientissimus huic virtuti tribuerit, vt illam diuinitate dignissimam iudicaret. Et reuera diuinæ virtutis est, propria morte vitam omnium. conseruare; propriæq; salutis immemorem, patriæ salutem tueri. Athenis erat lege sancitum, vt ijs, qui pro patriæ salute in bello caderent, publicè funus fieret, eorumq; laudes aliquis orator excellens oratione luculentissima celebraret: & illorum filij in Prytaneo publicis sumptibus alerentur, & omnibus ingenuis artibus erudirentur, donec ad eam ætatem peruenirent, qua possent rem suam gerere. Tunc verò armati domum mittebantur, admoniti prius à magistratibus, vt patriæ virtutis memores intelligerēt illis ipsis armis, quæ à patria parente sanctissima acceperant, esse sibi pro ipsius patriæ salute, quoties opus fuisset, acerrimè depugnandum. Sapienter enim videbant interituram virtutis indolem, vbi

ciues

## DE REG. INSTIT. ET

ciues non fuerint hominum fortium virtutē,  
 qui pro omnium vita mortem oppetūt, volun-  
 tate gratissima profecuti. Quid hic Spartam  
 memorem? Quid Carthaginem? Quid Romā?  
 Quid alias ciuitates opibus & imperio floren-  
 tes oratione complectar? Fuit ne vnquam ma-  
 gnum aliquod imperium, in quo nō multum  
 fuisset huic virtuti tributum? Non certē. Nec  
 enim magnum imperium parari, vel diu con-  
 seruari poterit, vbi quidquam plus valet, quā  
 virtutis ornamentum. Vbi igitur præmia vir-  
 tuti debita, vel ad opes malis plerumque arti-  
 bus comparatas, vel ad ignauæ gentis arrogā-  
 tiam deferuntur; ibi imperium diu stare non  
 potest. Est igitur optimi Principis, ignauiam  
 cōtemnere, timiditatem execrari, militiæ de-  
 sertores acri supplicio punire; homines verò  
 fortes omni honore dignos censere; nec in va-  
 nis nominib<sup>9</sup>, sed in virtuti militum regni præ-  
 sidium constituere, omnesq; viros virtute ex-  
 cellentes, non solū nobiles, sed sibi etiam con-  
 iunctissimos arbitrari; molles aut, & delicatos  
 & timidos, quāuis regēs in maiorib<sup>9</sup> suis nume-  
 rent, tanq̄ homines viles & obscuros à suo cō-  
 gressu & familiaritate procul arcere. Hoc cer-  
 tē si fecerit, inuicto præsidio stabilietur: res in  
 mortalitate dignas geret: laudib<sup>9</sup> sempiternis  
 illustrabitur, atq; perficiet denique, vt Respu-  
 non solū opulenta, sed etiam fortis & inui-  
 cta sit. Sed venit ne vobis in mentem, quan-  
 tum sit communibus rebus à militari virtutē  
 periculum? Quomodo? inquit T. Virtutis e-  
 nim est salutem dare, non asferre perniciem:

Rectē

Rectè inquam, si perfecta virtus esset; sed illa virtutis militaris species, qua plerumque milites efferuntur, & insolescunt, non est vera virtus: sed virtutis inane simulachrum in iactatione & leuitate constitutum. Sunt enim plerumque milites impotentes, iracundi, contumeliosi, feroces, infesti, nihil iure & æquitate metientes: sed omnia ad vim, ad ferrum, ad cædem reuocantes; nihil enim viro forti indignius esse putant, quàm submitti legibus, & in contentione aliqua publico atque legitimo iure superari. Omnia igitur sibi armis vindicare conātur. Videte qualiter Horatius virum acrem in ferro, atque planè militarem oratione describat:

*Impiger, iracundus, inexorabilis, acer*

*Iura neget sibi nata, nihil non arrogat armis.*

Armis namq; omnia deberi putant, & nihil, quod non sit cum militia decore, atque castrèsi laude coniunctum, in laude ponunt. Cùm igitur aliquem hominem honoribus auctū cerunt, quem nunquam in acie stetisse sciunt, honores illos fortibus viris ereptos esse fremunt. Si igitur tam insolentes sunt, cùm non valdè honorantur, quid futurum existimatis, cùm fuerint multis præmijs & honoribus affecti? an non eo tandem eorum prorumpet insania, vt ad suū arbitrium imperij gubernacula reuocare conentur? Primùm enim leges contemnunt, in quibus salus Reip. consistit. Si igitur ad hanc temeritatem & amentiam robur accesserit, qua tandem ratione vitari poterit Reipub. totius exitium? nullo modo. Nihil est enim



DE REG. INSTIT. ET

enim temeritate armata funestius. Euenit igitur tandem, vt qui Reipub. custodes esse debebant, eueriores Reipub. fiant, multoque maiorem sæpè cladem patriæ afferant, quàm hostes victores attulissent. Vt enim si ouium custodia lupis commissa fuisset, ouium interitus necessariò sequeretur: ita cùm hominibus audacibus, insanis, armatis Reipub. custodia permittitur, necesse est Rempub. vniuersam eorum violentia & immanitate lacerari. Perdicã sui milites, vt Ptolomæi gratiam inirent, contrucidarunt: Argyraspides Eumenem virum fortissimum, sub quo stipendia faciebant, Antigono vinctum tradiderunt: Demetrii milites Demetriò deserto sese ad Pyrrhum contulerunt. Similiter alij Antigono deserto Ptolomæi castra secuti sunt. Amilcar Carthaginensium Dux cùm oppressas obsidione teneret Syracusas, nec vlla vi impediri posse videretur, ne eas expugnaret; seditione militum à Syracusanis captus & occisus est. Celtiberi in Hispania P. & Cn. Scipiones imperatores clarissimos, sub quibus militabant, Carthaginensibus prodiderunt. Militum insolentia & auaritia Romanum imperium laceratum, comminutum & dissipatum fuit: eoque deuentum est, vt milites imperium pecunia, quibus vellent, addicerent; & ijs, quibus imperium vendiderant, vitã, cùm vellent, eriperent; & insignia summæ potestatis ad homines flagitiosos & infames pecuniæ magnitudine victi transferrent. Cùm verò eodem tempore plures simul imperatores diuersis in locis militum libidine &

ne & auaritia crearentur, factum est, vt orbis terrarum seditionibus atque pestiferis bellis arderet, atque tandem illud florentissimum imperium, quod vltimos terrarum fines potestate continebat, militari licentia conflagraret. Ne autem antiqua tantum referam, milites Ludouicum Sfortiã neglecta fide deseruerunt, nec illum tantum, sed alios etiam duces eadem propemodum ratione perdiderunt. Dies me deficeret, si vellem commemorare, quot cedibus atque rapinis multi milites patrias suas affligerunt, quantas seditiones excitare soliti sint, quam molestiam ducibus suis exhibuerint, quam sæpè illos nefariè prodiderint, & necem per summum scelus attulerint; quod quidem me mouet, vt augurer, hanc eandem fore imperij Turcici ruinam. Cùm enim audiam, quanta sit prætorianorum militum, quos ipsi Turcæ Genizzaros appellant, audacia, & quam impunita licentia, non dubito, quin aliquando sint manus imperatoribus suis allaturi. Quamuis enim nunc aliquo pudore teneantur, ne imperium deferant ad aliquem, qui nõ sit stirpe Othomanni progenitus: ad illos tamen principes, quos volunt, modò eadem stirpe procreati sint, sæpè pecunia & præmijs illiciti conferunt, reliquos produnt, & eijciunt, & interimunt, vsque adeò, vt omne imperij illius firmamentum videatur in militum Prætorianorum gratia & fauore consistere. Vnde cõijci potest, postquam illorum audacia atq; temeritas ad summum peruenerit, futurum, vt Turcarum imperium eorundem militum sce-

## DE REG. INSTIT. ET

*lere deleatur. Non igitur, vt videtis, omnia sunt in armis posita, imò nisi remedium aliquod fuerit adhibitum, multò miserius interibit Respub. armis instructa, & confidentia virtutis elata, quàm ea, quæ nullam eiusmodi sibi laudem, & gloriam arrogauerit. Ea enim, quæ non tam armis, quàm ciuilibus institutis innititur, tributa sine recusatione pensabit, atque ita tolerabilem dominatû patietur: ea verò, quæ armis ferox est, cum furore & amentia omnia perturbauerit, miserrimè concidet; atque tandem impotentem dominatum cum rerum omnium euersione, & extremo dedecore, & ignominia subire cogetur. Quid igitur faciemus? Arma militibus detrahemus, & à bellicarum rerum studio iuuenes gloriæ cupiditate flagrantes auocabimus? Minimè gentium. Quid igitur? Insolentiam militarè moderationis studio refrenabimus, & cupiditatè indomitam morum honestate continebimus, & sic demum fiet, vt nunquam arma perniciè patriæ inferre possint. Non igitur satis est fortem esse Rempu. nisi fuerit etiam egregiè moderata. Alit enim insaniam, auget furorem, cõfirmat amentiam, turbat statum ciuitatis, euerit publicam salutem, qui militum ferociam minimè comprimit, nec in eo vehementer elaborat, vt eorum feritati plurimum humanitatis admisceat. Furor enim est, & immanitas, nõ fortitudo, vis acris animi omnem modestiæ & humanitatis consortium repellens. Vt igitur, qui equum ad belli labores perferendos alit, non modò operam dat, vt ille acer & robustus sit,*

*fit,*



fit, sed illum etiam mansuefacit, ut frenū sine detrectatione recipiat, & facile flecti atque torqueri possit, quocūque illum dominus incitare voluerit: ita milites domandi atque frenandi sunt, ut non quocumque illos impetus impulerit, sed in eam tantum partem, in quam rectoris imperium illos immiserit, deferantur. Est igitur Regis officium non tantum exercere milites, verum etiam moderari, ad omnesque partes mansuetudinis & lenitatis instruere. Modestiam verò studium pudore atque verecundia maxime continetur. Est enim verecundia metus ignominiam, turpitudinis offensio, & dolor ex dedecore & flagitio susceptus. Opus autem est, eum qui vir fortis esse studet, non mortis metu; sed dedecoris & infamiam formidine perterri, & secum statuere nullum esse tantum malum, quod sit cum ignominia conferendum. Sic autem honestatem appetet, & turpitudinem fugiet, & mortem ignominiam semper anteponet. Non igitur deseret aciem, neque turpi fuga salutem suam consulat, neque fidem duci datam prodat, nec aliquid unquam efficiet, in quo, cum id sibi fuerit obiectum, vehementer erubescat. Nec enim fortis est, qui nihil omnino timet, sed qui multo magis turpitudinem, quam mortem & cruciatum timet. Qui autem timet turpitudinem, nec intemperans, nec iracundus, nec immoderatus esse poterit. Quid enim libidinis intemperantia flagitiosius? Quid iracundiam feritate deformius? Quid denique omni affectionis immoderatione turpius? Præterea intelligendum est, alia natura esse tur-

DE REG. INSTIT. ET

pia: alia vitioso more turpia ab hominibus im-  
 peritis existimari. Olim iniuriam persequi iu-  
 dicio honestum erat, apud homines etiam mi-  
 litari gloria præstantes; qui verò maleficium à  
 ciue commissum manu vindicabat, turpis ha-  
 bebatur: nunc verò contra, honestum existima-  
 tur, non crimen intendere, sed crimen alio cri-  
 mine vlcisci, & turpitudinem alia plerumque  
 non minore turpitudine vindicare. Homo e-  
 gestate compulsus furatur atque latrocinatur,  
 si quæras ab illo, cur sine causa tam grauem in-  
 iuriam inferat hominibus, à quibus nullum  
 incommodum accepit: respondet, se honesto  
 loco natum esse, & ideò laborare non posse;  
 non esse autem hominis ingenui opificio aut  
 corporis labore victum quærere. Furari igitur  
 honestum putat; laborare flagitiosum. Tantū  
 valet vitiosus mos atque corrupta disciplina,  
 vt sæpenumerò vitia, opinioni falsi decoris &  
 assimulatæ dignitatis, occultentur. sed ea opi-  
 nio, quæ mendacio nititur, facillimè ratione  
 depellitur: quæ verò natura mentibus infixæ  
 est, nunquam omninò potest euelli, quamuis  
 interdum illam praua consuetudo labefactet.  
 Hoc cum ita sit, cauendum est, ne vnquam ea  
 publicè recipiatur opinio, quæ dignitatem po-  
 nat in ea re, quæ natura flagitiosa est. Quidquid  
 enim animi decus inquinat, quidquid mentis  
 speciem deformat, quidquid statū illius euer-  
 tit, foedum, & turpe, & flagitiosum est; nihil  
 autem, quod vitio & culpa caret, potest vllum  
 dedecus diuturnum afferre. Hoc igitur lege,  
 more, Principis auctoritate, & sententia ratū,  
 fixum

fixum sit, & salutari etiam disciplina confirmatum: nihil esse turpe & indignum viro præter vitiorum deformitatem, nihil honestum, nisi quod sit cum virtute, cum modestia & humanitate, cum iustitia & patriæ caritate coniunctum. Milites igitur, qui in hac disciplina fuerint enutriti, nunquam erunt insolentes & immoderati, sic autem in primis erudiendi sunt, ut existiment omnem honestatem esse in legum moderatione collocandam; nec arma contra leges, sed pro legum sanctitate sumenda. Qui enim pro legibus pugnat, ordinem Reipub. moderationem vitæ, ornatum animi, publicam omnium salutem tuendam suscipit; & morte proposita decus immortale consequitur. qui verò contra leges arma sumit, decus & honestatem oppugnat, Reipub. statum euertit: patriæ perniciem infert, & gigantum more contra cæleste numen impium bellum comparat, atque ita meritò turpitudine sempiterna deformatur. Tum etiam illud infixum esse debet omnibus, qui armis exercentur, sibi commissam esse Reipub. salutem, legum sanctitatem, religionis castitatem, & vniuersi denique populi dignitatem, quæ omnia tueri nullo pacto possunt, sine singulari fide & caritate. Miles enim, qui fidem sanctè colit, vitam potius amittit, quam Reipu. propugnationem suæ virtuti commissam deserat: & qui patriam valdè diligit, pro salute illius libentissimè quoduis magnum salutis periculum adibit. Itaque non satis esse poterit acer & vehemens in hostes is, qui non fide & humanita-



DE REG. INSTIT. ET

te singulari in ciues suos extiterit. Fides enim cogit, & caritas incendit animos, vt pro salute patriæ in micantes gladios, & in igneos globos irruant. Postremò belli periculum eos admonet religionis, & omnes tum vel maximè cœlum suspiciunt, cùm sunt cū hoste congressuri. Nemo enim tunc tã expers religionis est, qui non cogitet victoriam diuino munere & beneficio contineri; & qui non sit de illa vita immortalis sollicitus. Ergo vt miles tunc fortius & confidentius certamen ineat, opus est vt multo antea sit studio pietatis atq; religionis imbutus. Religio autè animis moderatur, omnemque insolentiã facilè coercet & cõprimit. Miles igitur, quem pudor à flagitio deterret, quem studium honestatis incendit, quem legum auctoritas cõmouet, quem fides & officium astringit, quem caritas patrię sollicitat, quę cura sanctissimæ religionis alligatum tenet, immoderatus esse non potest. Exercitus autem moderati vis & impetus sustineri nequit. Cū enim in bello multum valeat fortitudo, tum multo plus etiam ordo, modus, ratio, disciplina. facilè namque acies instructa, prudētisque ducis moderatione gubernata, inconditã hominum robustorum multitudinẽ fundit, fugatque. nec. n. ij sunt, qui fugientes tantum insequantur, ne cum ijs hostibus pugnent, qui se ad resistendũ parant. Neque ij, qui antequã victoria omninò parta sit, ordines deserant, vt se ad prædã conuertant, quorũ vtrumq; magnas sæpè clades affert, & victoriã de manib<sup>9</sup> extorquet, victosque victores tẽporis momẽto con-

stituit.

stituit. Nec enim vlllo metu aut cupiditate ducis imperium negligent, aut ordines insolenter & temerè perturbabunt. Quæ autem alia ratio potest assignari, cur paucissimi innumera- biles sæpenumerò vincant, nisi quod ij, qui multitudine superant, viribus atq; numero fe- roces modum seruare nequeunt; paucis verò pudor ingenitus, ignominiaæ metus atque pe- riculi magnitudo facilè moderatur? Nec enim quisquam vir fortis audet in magno belli dis- crimine disciplinam militiæ contemnere, du- cisq; sui imperiũ detrectare; obedientia verò militũ maxima ex parte belli victoria contine- tur. Videte quemadmodũ Homerus describat ordinẽ & silentiũ, quo Græci in hostes ibant:

*Græci fidentes animis audacibus ibant,*

*Ductorum quamuis premerent formidine vocem.*

Duobus versibus totam militiæ disciplinã complectitur, quæ est in fortitudine & mode- ratione constituta. Dum enim eos fidentes ani- mis audacibus in hostes ire dicit; eorum virtu- tem luculentis sanè verbis exaggerat: dũ rur- sus eos ait ducum imperium vereri; eorũ mo- destiam laudibus summis exornat. Decem mi- lia Atheniensium duce Milciade tercentum millia Persarum vno prælio fuderunt, eo tem- pore, quo Persæ rerum gestarum gloria flore- bant, & infinitis propè nationibus imperabãt. Quid igitur fuit in causa, cur Athenienses tam pauci numero contra tantam hostium f- rocium multitudinem domum victoriam cũ tam insigni gloria reportarent? ea ratione contenti simus, quam Plato assignat in le-

## DE REG. INSTIT. ET

gibus. Perfas enim confidentia superbos & immoderatos efficiebat: Athenienses verò metus, & pudor, & religio continebat, ne quidquam immoderatè gererent. Lacedæmonij, vt auctor est Thucydides, quoties illis erat cū hoste confliendum, ad tibicinum concentum gressum modulabantur, vt illum nimium virtutis ardorem illo genere Musicę temperarēt, ne in pugna tumultuarentur, & aliquid molirentur, quod certum modū & ordinem transfliret. Romani verò nō tam fortitudine, quàm moderatione atque disciplina imperium orbis terrarum finibus terminarunt. Tam diu igitur rerum potiti sunt, quàm diu modū in Reipub. & bellorum administratione tenuerunt. Postquam verò immoderatio cupiditatis omnem pacis, & belli rationem, & ordinem, & disciplinam euertit, imperium extinctum atque deletum fuit. Vnde concluditur, omnia modo & ordine conseruari & augeri; immoderatione verò comminui atque dissipari. Ad Regis igitur officium pertinet moribus & legibus, honestatis studio, & religionis cultu, & præmijs modestiæ propositis & poenis insolentiæ constitutis, & publicis laudibus & vituperationibus, & quod caput est, modestiæ atque religionis exemplo militum temeritatem & ferociam comprimere; omnesq; viros magno animo præditos in moderationis studium incitare. Quod vt commodius fieri possit, opus est, vt multos præfectos illis ordine atque gradatim præficiat. Nihil est enim ad animos moderandos obediendi atque parendi studio ac-

commo-



commodatius. Qui enim obedire nouit, insolenter extolli, & furenter ruere non facile potest. Prima igitur militiæ laus est in obediendi studio & alacritate ponenda. Meritò igitur Romani non eos milites probabant, qui sine graui causa in pericula furenter irruebât; sed qui locum sibi assignatum còstanti animo retinebant. Neq; eos, qui laudis inanis studio ordinem turbabant; sed, qui ne summæ belli nocerent, aut ne quidquam contra iussum imperatoris efficeret, manus, cùm signum receptui dabatur, ab hoste etiam percusso & abiecto còtinebant. Qui igitur imperatoris iniussu dimicabant, temeritatem illam extremo supplicio luebant, vsque adeò, vt Manlius Torquatus vir fortissimus, & Imperator optimus militaris disciplinæ fanciendæ gratia filium singulari virtute præditum securi feriri iusserit, quia parentis iniussu hostem, à quo fuerat ad pugnam prouocatus, occiderat. Is igitur illis optimus miles habebatur, qui optimè parere didicerat. Obediendi igitur assequebatur, vt alijs imperaret. Itaque ordinatim alias atque alias præfecturas obtinebat, quibus indigni prorsus habebantur, qui præfectorum imperium non eadem alacritate conficiebant. Sic autem multi ad summum tandem imperium, quamuis essent infimo loco nati, perueniebât. Hac igitur obediendi còsuetudine milites omnes erant ad modestiam satis eruditi. His studijs accedebat iudiciorum seueritas, quæ tanta erat in bello, vt in leuissimis etiam peccatis milites poena grauisima plecterentur. Quid

DE REG. INSTIT. ET

dicam de religione? Nemini enim licebat militare, nisi apud Imperatorem sacramento diceret. Tanta autem erat illius iurifurandi religio, ut quamuis milites imperatoribus suis essent grauiter infensi, sub illius tamen signis acerrimè dimicarent. Sæpè igitur (ut memoriæ proditum est) cum plebs à patribus odio acerbissimo dissideret, quoties tamen Conf. eos, qui in verba illius iurauerant, contra hostes educere vellet, illum etiam inuiti sequebatur, & coacti religione, sub illo, quem extinctum cupiebant, admodum strenuè decertabant. Tanta erat disciplinæ illius religio, ut nullum odium posset plebem à modestia & ab officio remouere. Quod si in libera Repub. in summa plebis cum principibus dissensione, in religione ineptissimis rationibus instituta, tantum tamen valuit mos, disciplina, religio, ut homines acres, & bellandi studio feroces, modestos, & principum iussis obsequentes efficeret: quid in regno princeps vniuersis carissimus, apud homines in moribus optimis, & sanctissimæ religionis institutis enutritos, lege, disciplina, ratione, modestiæ & religionis exemplo perficiet? nemini dubium esse potest, quin, si velit, omnes modestissimos reddat; & sic demum fiet, ut nec in Rep. tumultuari, nec ab externis hostibus vinci atque superari possint. Sed cum non milites tantum: sed omnis Resp. sit ad modestiam erudienda, animaduertendum est omnem modestiæ & humanitatis rationem in legum disciplina, & in iudiciorum seueritate consistere. Illis enim iustitia continetur: qua quidem nihil potest

test excogitari, nec ad populum continendum vehementius; nec ad pestem auertendam salutaris, nec ad statum Reipublicæ conseruandum securius; nec ad nominis immortalitatem diuinius. Coercet enim intemperantiam: ornat frugalitatem: obsistit iniquitati: tuetur innocentiam: it obuiam sceleri: virtutem amplificat: delet tyrannidem: constituit libertatem: non habet rationem potentiae, non despicit humilitatem: tollit omnem discordiam: ciuium voluntates inter se consensione summa conglutinat. Qui igitur hoc tantum munus suscipit, vt nunquam neque cuiusquam gratiae, neque potentiae cedat, nec misericordia, nec inuidia, nec amore, neque odio commoueatur: sed verè semper, & incorruptè iudicet: & cum leges obseruauerit, præcipuè tamè in iudicando diuinam atque sempiternam legem consulat, is certè vir diuinus habendus est. Munere namque diuino fungitur, & vniuersam Rempublicam, quod proprium coelestis numinis est, incolumem ab omni calamitate conseruat. Nec enim tam armatorum præsidia Rempublicam tuentur, quàm leges atque iudicia, & constans inuiolati iuris studium. Multæ namque ciuitates legitimo iure deuinctæ, sine armorum præsidio ius & libertatem suam tenuerunt; at illæ, in quibus nihil leges neque iura valèt, quamuis armis defensæ sint, funditus tamen euertuntur. Cum enim ius abest, quò plures in ciuitate armis atque virtute militari præcellunt; eò plures seditiones excitantur, & vniuersa Respub. grauioribus ruinis opprimi-



opprimitur. Sunt igitur ad hoc tantum munus obeundum à Rege deligendi viri summa gravitate, & auctoritate, & constantia, qui id facile virtute, pietate & industria sustineant. Quilibus autem virtutibus ornati debeant esse iudices, Moysis focer exponit. Cùm enim generum reprehenderet, quòd ipse solus vellet omnium còtrouersias cognoscere: & admoneret, vt iudices ex vniuerso populo seligeret ad iudicandum, ait: Delige ex omni populo viros potentes, qui Deum timeant, & fidem colant, & auaritiam odio persequantur. Potentes, inquit, ne timore & imbecillitate præpediti, causas còtra ius & fas hominibus, qui multum in Repub. possunt, adiudicent. Qui Deum timeant, ait, propterea quod Dei timore refecantur libidines, quæ menti tenebras offundunt, ne veritatem cernere possit. Idem verò qui negligit, quomodo tandem poterit officium tantis difficultatibus implicitum, constanti animo conseruare? Adiungit postremò, qui odio persequantur auaritiam; qui enim pecuniæ student, nihil verum, nihil rectum, nihil simplex intueri queunt. Vt enim alibi Deus apud ipsum Moysen dicit: munera mentem hominis sapientis excæcant, & iustorum animos facile ab æquitate ad iniuriam traducunt. Nūquam igitur satis admirari poterò Platonem, qui cùm multa alia à diuina lege hausisse videatur, tum hoc, quod est ab illo in libro vndecimo de legibus scriptum de iudicum auaritia, planè constat à Dei legibus sumpsisse. Nō patitur enim eam inseri cūibus suis opinionem;

nem; nefarium esse iuris corrumpendi gratia donū aliquod accipere: at vt æquabile ius administrare, & opus aliquod honestum exequaris, fas esse, quod tibi offertur ab ijs, quibus ius dicis, minimè repudiare. Lubricum enim inquit, & periculosum est hoc statuere; facile nāque mens hominis donis & muneribus illecta à vero penitus abducitur; & ius esse statuit, id quod cum diuina lege pugnat: & ita dū in causa honesta pecuniam accipit, facile ad id etiā facinus delabatur, vt in turpi etiam ius venale proponat. Quocirca capite fanciendum existimat, si aliquis iudex quacunq; de causa pecuniā, aut aliquod mun<sup>9</sup> acceperit. Sed vt ad consilium hominis sapientissimi reuertamur, illud etiam considerandum est, Moyſis focerum inter alias virtutes; quibus instructos iudices esse vult, non numerasse nimium in interpretatione iuris acumen. Nec enim dicit, sint iudices subtiles, acuti, veteratores, & callidi, vt facile leges ad suam libidinem flectant, à vero sensu detorqueant, & fallacias machinentur, quibus iudicia huc & illuc facile versent; vt sine infamia & inuidia secundum eos lites dare possint, qui non iure; sed intoleranda potentia nituntur. Nihil horum dicit. Nec enim tunc tantus honor malitiæ habebatur, vt ij iurisconsultissimi existimarentur, qui nimio acumine subnixi variè leges interpretarentur, & simplicitatem iuris eluderent. Nihil enim magis sapientiæ repugnat, quàm nimia subtilitas, quæ cum sit in omni disciplinæ ratione veritati valdè contraria, tum in legum scientia

DE REG. INSTIT. ET

tia est nimis pestifera. Omnem enim rationem iuris & æquitatis euertit. Leges autem nec ita multas esse cōuenit, vt se ipsas impediānt: nec ita difficiles, vt non ab omnibus mediocri ingenio præditis intelligātur. Improbilas tamē hominum contra publicam vtilitatem leges multiplicauit, easq; difficiles effecit, vsq; adeo vt ij, qui hoc suscipiunt, vt eas interpretentur, sibi summam quandam sapientiam arrogant, & in illarum obscuritate intemperantius errantur. Principis autem officium non est, fraudibus indulgere, sed malitiā refecare. Neq; legibus obscuritatē afferre; sed illarum mētem explanare, & veritatē tueri. Ne igitur legis mens & sentētia posset aliqua ratione peruer- ti, & veritas occultari; suadet vir ille sapiētis- simus, vt ij deligantur iudices, in quorum ani- mis nihil insit, quod eos à consideratione ve- ritatis abducat. Veritas enim aut viribus ex- torquetur, aut obliuione deletur, aut præsti- gijs eluditur, aut tenebris obscuratur. Incul- sus enim metus, veritatē extorquet: religio- nis obliuio, eā ex animis paulatim delet falsa voluptatis imago, sensum veræ voluptatis ex- tinguit: pecunię cupiditas & immanis auari- tia, mentē tenebris & caligine circumfundit, ne veritatē aspiciat. Nihil aut horū poterit il- lis accidere, qui potentes (hoc est) animo ma- gno & excello præditi sunt, & religionem san- ctissimè colunt, & fidem & officiū omnib<sup>9</sup> vi- tæ commodis anteponunt; & auaritiā pessimè oderunt, & munera ad iudicandū data vehe- menter execrantur. Cū tñ omnia illa, quę Ie-  
thre



thoro cōplectitur, in iudice requirantur; præci-  
piūm tamen locum obtinet religio, imò reli-  
quæ oēs virtutes vna religione continentur.  
Qui enim Deum timet, nec homines metuit,  
neq; fidē deserit, neq; pecunia corrūpitur, nec  
vllum deniq; locū temeritati & amentiaē relin-  
quit; nunq̄ igitur in iudicādo ab æquitate de-  
duci poterit. Dū Iosaphat Rex sanctissimus irā  
Dei placare vellet, non aliā rationem placan-  
di numinis excogitare cōmodiorē potuit ea,  
quæ in iudiciorū instauratione consistebat. Iu-  
dices igitur pietatis laude præstantes elegit,  
qui ius in omnib<sup>9</sup> vrbibus Iudææ dicerēt; quos  
omnes hac tantū ratione ad officiū, hortabāt,  
nempè vt cogirarent illud iudiciū, q̄ exerce-  
bant, Dñi iudiciū esse. Quæ quidē admonitio  
ex lege sumpta satis magnam vim habebat, ad  
pios iudices in officio continendos. Qui enim  
hoc in iudicando cogitat, nec homines vere-  
tur, cū se Dei vicarium esse sapienter intel-  
ligat; neq; labe vlla se contaminari permittit,  
cū Dei præsentis testimoniū reformidet: ne-  
que munus cuiusquam accipit, cū sempiter-  
num illud suppliciū omnib<sup>9</sup>, qui muneribus  
se deliniri patiuntur, diuino iudicio constitu-  
tum exhorreat. Iure igitur cōcludi potest, pio  
numinis metu omnem & iudiciorū integritatē  
contineri. Cū igitur tā splendidus, & tam v-  
tilis & salutaris hic ordo iudicū sit, quid per-  
niciosius esse poterit, quā iudicandi munus  
hominibus aut flagitiosis, aut obscuris & infi-  
mis assignari? Cū em̄ iudices aut ppter libidi-  
nem & impuritātē verū iudicare nolūt; aut pro  
pter

pter humilitatem non audent, & scelera impunita relinquunt: omnes, qui boni rerum æstimatorum extiterint, faciliè conijcient Rempu. illam, in qua peruersa iudicia fiunt, diu stare non posse. Qui enim Princeps aut Iudex scelus impunitum dimittit, ius esse statuit, vt boni ab improbis impiè atq; nefariè vexentur, & ita ius humanum atq; diuinum violetur. Quod cum fit, publicam salutem euerti necesse est. Scedafus, vt memoriæ proditum est, fuit in Leucis homo tenuis, commodus tamen & hospitalis; huic erant duæ filia virgines forma eximia. cum autem duo Spartani adolescentes ad illum diuerterent, fuere satis humaniter accepti, ij virginibus oculos adiecere, atq; ne vim statim inferrent, fuere hospitis humanitate prohibiti; à Boetia verò redeuntes ad eundem hospitem diuersati sunt; is autem aberat: virgines autem patrijs institutis ad omnem rationem humanitatis eruditæ, illos sanè hospitaliter excipiunt; illi virginibus per vim vitium inferunt, & iniuriam grauissimè lamentantes interimunt, & corpora in puteum abijciunt. Redijt Scedafus, filias non offendit: dum heret, & dubitat, catella sæpè vestis laciniam apprehendens, sæpè in puteum cursitans & oblaterans, atque gementi & queribundæ similis, Dominum id non temerè fieri suspicantem ad puteum perducit. Ibi demum calamitatis suæ magnitudinem oculis aspexit, filiarum corpora à puteo extraxit; cum verò è vicinis accepisset eos adolescentes eò diuertisse, neq; post die illius diei, quo se domum illius receperat, illos

los aut virgines comparuisse; intellexit planè,  
 scelus illud ab adolescentibus fuisse constat.  
 Rectà igitur Lacedæmonem pergit, vt eorum  
 nomina apud Ephoros deferat. In Argolica ve  
 rò regione, cùm audiret senem quendam Orci  
 tam diras clades Lacedæmonijs imprecanté, de  
 illo quæsiuit: quamnā iniuriā à Lacedæmonijs  
 accepisset. Narrat illi senex, quo pacto filius il  
 lius probus & honestus adolescēs fuisset ab A  
 ristodemo Lacedæmonio, qui ius apud illos di  
 cebat, crudelissimè iugulatus, eò, q̄ stuprū ab  
 illo pati nullo modo voluisset: & deinde quo  
 modo is Lacedæmonē profectus sit, vt hominē  
 deterrimū apud Ephoros accusaret; Ephori ve  
 rò nullam rationem tanti sceleris habuerint.  
 Id cùm Scedafus audiret, extimuit, ne ipse et  
 iam frustra de hominibus improbissimis, qui  
 tam nefando scelere ius hospitij violarant,  
 quereretur. Nihilominus Lacedæmonem con  
 tendit; ibi primū Ephoros, deinde reges, po  
 stremò omnes, qui multum in ciuitate pote  
 rant, cōuenit; apud omnes cum multis lachry  
 mis de iniuria sibi illata conqueritur; fidē im  
 plorat, numen obtestatur, vindiētā flagitat,  
 nemo tamen illius querimonias ad aures ad  
 mittit. Senex igitur tam atroci iniuria stimu  
 latus, minimè mentis compos, per mediam vr  
 bem discurrebat: manus in solē tendebat: mo  
 dō terram percutiebat, modō furias scelerum  
 vltrices inuocabat, vsque eò dum mortem sibi  
 conscisceret. Breui tamen vniuersa Respu. sce  
 leris atque flagitij illius pœnas exoluit. Epami  
 nondæ enim virtute in pugna Leutrica ita cō



DE REG. INSTIT. ET

cisa fuit, vt nunquam postea posset in amissas opes restitui. Memoriae proditum est, ante illam pugnam Scedasum secundum quietem visum esse in somnis dicere Pelopidæ, qui simul cum Epaminonda bello præerat, Lacedæmonios adfuturos, vt in eo loco, in quo tantum scelus à suis ciuibus impunè commissum fuerat, pœnas illi atque virginibus, quæ violatæ & occisæ fuerant, vniuersi penderent. Sed quorsum hæc à nobis adducta sunt. Vt intelligatis, quoties aliquod scelestum facinus impunitum relinquitur, toties hæere in Rep. regionem; quæ si non fuerit expiata, numinis iram concitari, & de vniuersa illa ciuitate supplicium sumi. Scelere enim se alligat, qui in scelere suscepto coniuet. Nec est vlla potior illius expiandi ratio ea, quæ legitima illius vltione continetur. Ea autem de causa Deus cum legem daret, tam sepe in scelus vindicare precipit; ne videlicet populus vniuersus se sceleris consensione contamineat: & ita publicè lueret id, quod fuerat ab vno aut à paucis commissum: Auferes inquit, malum de medio tui (hoc est) violatam religionem expiabis, & te sceleris contagione liberabis, quo teneris astrictus, quâdiu non fuerit in scelus publicè vindicatum. David autem dum in Dei gloriam suas ipsius laudes commemorat, ait: se de multa nocte vigilare solitum, vt tolleretur de ciuitate Domini (sic enim inquit) omnes qui operabantur iniquitatem. Nullum enim sacrificium acceptius deo fieri posse credebat, hominum sceleratorum supplicio. Resp. enim sceleris contagione liberatur: improbitas exemplo edito coercetur: integritas & innocentia liberè respirat:

expiata

expiata religio homines cum Deo, à quo erant diuulsi, coniungit. Mirū est, quanta seueritate eadem ipsa de causa antiqui Græci scelus persequebātur. illi enim ciuitati, in qua scelus aliquod immane susceptum fuerat, nisi id supplicio illius, qui scelus conflat, expiaret, bellum à reliquis ciuitatibus indici solebat; existimabant enim hærere religionem, non in ea tantum ciuitate, quæ se crimine nefario diuinxerat: sed in omnibus alijs, quæ illud non vltæ fuissent. Sapienter autē iudicabant, sceleris cōsensu Deū irritari: legitima autē vindicta placari: & à seueritate ad gratiā inflecti. Qui autē historias diligenter euoluerit, id certissimum esse cōperiet. Vt enim de Scedaso legimus, ita in omni ciuitate, in qua nō erat in aliquod nefarium crimen publicè animaduersum, pestis, & fames, & bellū, & vastitas illā affligebat, atque tandē euertebat: vt facilè apparere, illud exitium non tā humanis viribus, quàm numine diuino illatū fuisse. Neq; solū priscis temporib<sup>9</sup>, sed nostra etiā memoria, circūspicite animis omnes prouincias, quæ fuerunt multis incōmodis afflicta, atq; ferro & flāma vastatæ: & intelligetis, in illis omnib<sup>9</sup> antequā fuissent euersæ, fuisse impunitam licentiā omnibus facinorosis hominibus attributā. Vnde colligitur omnes ciuitates, quæ ab hoste captæ sunt, magis ipsius ciuitatis iniquitate & iniuria, q̄ hostium virtute captas esse. Illud enim sanè constat, omnes Respub. quæ se legibus astrinxerunt; & à quibus ius æquabile cultū fuit, nō in pace tantū summas opes adeptas fuisse: sed

DE REG. INSTIT. ET

etiam bello latissimè imperium propagasse, atque tantisper opibus & imperio floruisse, dum leges atq; iudicia sanctè conseruata sunt. Vbi verò primùm leges conculcari, iura perfringi, iudicia rescindi, magistratus contemni cœperunt, imperium labi cœpit, atque tandè extinctū & deletum fuit. Sic Athenæ imperij naufragium fecerunt, sic Lacedæmon non Scedaso tantùm; sed multis alijs iniquitate similiter oppressis, pœnas dedit. sic Carthago sceleris & perfidiæ pœnas exoluit. sic Roma propter innumerabiles iniurias, quas in orbè terrarum intulerat, ex ea maiestate & amplitudine, ad quam nulla vnquam Respu. peruenit, exturbata est. sic omnes denique ciuitates, regna, imperia, nationes, cùm primum illas capit diuini & humani iuris obliuio, labuntur, & ruunt, & obliuione sempiterna delentur. An non hæc palam Sanctæ literæ testificantur, propter iniquitates & iniurias impunitas imperia summa deleri? an id obscurum est oraculis diuinis esse denunciatum, dirum exitium omnibus gentibus, apud quas neque iusvllum colitur; neque leges obseruantur; neque iudicia rata sunt: sed omnium conatus, qui aliquid in Repub. possunt, ad legum & iudiciorum interitum, impunè cōferuntur. Cùm igitur hoc & antiquitatis monumentis & vitæ communis exemplis, & legis diuinæ sanctionibus exploratum sit, illud regnum & imperium diu permanere non posse, in quo leges, iura, iudicia sacrosancta & inuiolata non sint: si non potest ius publicum violari, & scelus inultū relinqui,



linqui, quin simul status Reipub. perturbetur, & pestis tandem atq; perniciēs rebus communibus afferatur: si constat iuris negligentia & contemptu, non modò generis humani societatem violari; sed numen etiam diuinum grauius offendi: quis non videt legum optimarū disciplina, iuris sanctissimo cultu, iudiciorū integritate & constantia, Reipub. salutem, dignitatem, imperium, amplitudinem, præsidium, & stabilimentum contineri? At qui harū omnium rerum tam sacrarum Iudices, custodes, atque ministri sunt, meritò (quemadmodum ait Iurecōsultus ille) sacerdotes quidam sanctissimi appellari possint: in sanctis autem Literis, Iudices Dij appellantur. Quemadmodum enim munus diuinum gerunt: ita voluit summus ille iudex, vt diuinum nomen obtinerēt, vt omnibus modis admoneri possint, cū iudicant, diuinam ab illis æquitatem & constantiam iure atq; merito flagitari. Hæc cum ita sint, & cum in Iudicum delectu publicam salutem & incolumitatem agi constet: malè profectò consulit Reipu. rex ille, qui quosuis homines in tam alto gradu locat, ordinem enim, quem grauissimum esse constituit, leuiorem & obscurum hominum cogitatione dedecorat, & ius venale constituit, & Rempu. perturbat: & perficit, vt leges & iudicia propter Iudicum sordes atque flagitia contemnantur, & omne deniq; regnum funditùs euertit. Sunt igitur adiudicandum eligendi viri disciplina sapientes, auctoritate graues, moribus incorrupti, virtute cōstantes: qui faciliè scientia,

## DE REG. INSTIT. ET

& animi magnitudine, atque pietate tantam personam tueantur, atque sustineant. Hi autem sunt opibus augendi, & honoribus illustrandi, & pro virtutis merito præmijs cumulandi; ne vnquam propter inopiam, vel humilitatem contemni possint. Quod si aliquando Rex in eligendo lapsus opinione fuerit, & pro bono & integro Iudice, improbum & sordidum cooptauerit; vbi id intellexerit, nullam moram interponat, quin illum magistratu priuet; idq; exemplū seueritatis in illius scelus edat, quo reliqui diligentius in officio atq; fide permaneant. Hæc quidem de legibus atque iudicijs dicta satis esse puto, ad Regis instituendi atque admonendi disciplinam. Illud tamen minimè prætereundum est, quod ad iustitiam attinet, non leges tantum ferendas esse, quæ malitiam & improbitatem supplicio resecent: sed etiam, quæ multò antè præcaueant, ne maleficia committantur. Vt enim illa medicina magis probanda est, quæ bonam valetudinem conseruat; quam ea, quæ valetudinem afflictam in sanitatē restituit; ita leges illæ magis laudandæ sunt, quæ mores continent, ne facilè queant ad molitiem atque flagitia delabi, quam illæ, quæ mores corruptos ad sanitatem supplicio reuocare contendunt. Quomodo, inquis, id prouideri poterit? Si parentibus licitum non fuerit vllò modo filiorum institutione negligere, sit igitur omnib<sup>9</sup>, q<sup>u</sup> liberis suis id, qd' nō decet, indulserint, grauis ignominia poena cōstituta; si enim quilibet domi suæ filios rectè educauerit, & honesta disciplina deuinxerit, multò mi-

nus negotij Reip. moderatores in ciuibus vniuersis, regendis & cōtinendis habebunt. Vt enim in reliquis rebus: ita in prima puerorum institutione existimandum est oīa esse posita; qualia namq; rerū initia sunt, tales exitus expectandi sunt: Quid? inquires, nō erit liberū vnicuiq; ad arbitriū suum liberos enutrire? non certē; si publica salus omni studio curanda est. At libertas est modis omnib<sup>9</sup> retinenda. Verū, sed ego pestiferā flagitiorū licentiam minimē libertatem appellandā iudico; nisi furiosi hominis libertatē existimas, cū sibi manus afferet, aut se in ignē vel aquam præcipitem dat. Si igitur homo quamuis potens sit, cū à mente deseritur, ne sibi aut suis perniciem afferat, est arctissimē constringendus: quomodo non multo magis est legib<sup>9</sup> alligandus is, qui furenter velit pestē atq; perniciē filijs suis pessima institutione machinari? An Agaue cū filium Pentheū, quasi is aper esset, interimebat, magis insana erat, quā ij, qui filiorū animos mortiferis morbis inficiunt: neq; corporibus, sed qđ est longē tetrius & detestabilius, mentib<sup>9</sup> ipsis foedissimū vulnus imponunt? si igitur ij, q. suis multò leuius nocēt, vinculis impediēdi sunt; cur ij legū vinculis laxandi sunt, qui mala educatione filijs suis mentē atque sensus eripiūt? Prætereā nemo sui iuris omninō esse potest: sumus enim oēs partes atque mēbra Reip. vt igitur in corpore, non quod vni mēbro iucundū est, sed qđ totius corporis incolumitati conducit, præcipuē spectari conuenit: ita in Rep. non quod vnicuiq; libeat; sed quid vniuersis expediet,



DE REG. INSTIT. ET

diet, considerandum est. Lex enim naturæ fancit, vt commune bonum singulari vniuscuiusque iucunditati præferatur. Ideò autem à principio vnum in locum partim necessitate impulsif, partim natura inuitati conuenerunt homines, vt ope mutua fulcirentur, & qualibet pro parte sua Rempub. conseruaret. Cùm autè nullum sit in vita communi officiũ magis debitũ, nullumque æs alienum, ad quod persoluumdum magis omni foedere & pactione astricti teneamur; quàm fides Reipub. debita: omnes certè ciues magis debēt in filiorum educatione de Reipub. commodis, quàm de sua utilitate cogitare: maximè verò, cùm vniuscuiusque utilitas à publica seiungi non possit. Cùm igitur omnes nostræ rationes ad Reipub. salutem conferendæ sint, neque secus de illis statuere possimus, quàm communis utilitatis ratio flagitat: quomodo ferendum est, vt id vniuscuiusque potestati atque libidini permittatur, in quo est vniuersæ Reipub. salus vel perniciēs constituta? an id obscurum est, si filios suos quilibet pessimè instituerit, futurum, vt illi omni se scelere & flagitio contaminent? An parum constat si maxima ciuium pars flagitiosa fuerit, Rempub. funditùs interituram? Qui igitur filios suos malè instituit, Rempub. funditùs euertit. Nec id potest dici, leges constitutis supplicijs, indomitam cupiditatem facile compressuras. adulta enim cupiditas nullo motu coerceri potest: quin, vbi aliqua spes impunitatis oblata fuerit (quæ plerumque est cum effrenata mente coniuncta) ad perniciem publicæ

publicæ salutis & dignitatis erumpat. Omne verò malum nascens facilè extinguitur, adultum verò atque robustum difficillimè coercetur. Si igitur ad Regis officium pertinet malū adultum, & corroboratum supplicio rescare; cur non magis pertinebit, malum ipsum, antequam vires colligat, sapienter extinguere? & si Rex nullam Reipub. partem negligere potest, quomodo tandem illi id sine insigni flagitio negligere licebit, quod omnem Reipub. salutem continet? Agrum (vt dictum est) si Reipub. fuerit bene constituta, nemini licebit negligere: flagitium est enim minimè ferendum negligentia tua fieri, vt fundus tuus nō valdè tibi atque Reipub. fructuosus sit; quod si negligens esse perseueres, æquum est, vt Principis seueritate cogaris, illum colendum diligentissimis colonis assignare, qui tantum ex illo frumenti, quantum potest exarari, colligant. Ita ne verò non licebit tibi, si communis utilitatis ratio habita fuerit, agrum tuum incultum relinquere; licebit autem tibi filiorū tuorum mores, instituta, salutem, atque adeò vitam negligere? vepres & spinæ in agro tuo succrescentes ignauiam coarguunt, & dignum nō mediocri pœna constituunt; labe, flagitia, dedecora filiorum tuorum in dies pullulantia, non multò magis te grauissimis pœnis obnoxium declarabunt? Quod si patria eiusmodi verbis tecū exposulet, Quid illi respōdebis? Homo cur, quantum est in te, mihi moliris exitium? cur in me pestē nefariè machinaris? cur parentem, quam omni pietate complecti de-

## DE REG. INSTIT. ET

bebas, iugulandam suscipis? meis enim legibus  
 & institutis in lucem editus, & nutritus fuisti;  
 per me non solum à feris, sed etiam à morum  
 feritate reuocatus, & omni humanitate cultus  
 extitisti; meo præsidio vitam non solum cle-  
 menter atque benignè: verum etiã securè tra-  
 duxisti. Si enim in solitudine & vastitate vitã  
 ageres, non modò belluarum laniatus extime-  
 sceres, sed nihil inter te & belluas immanes  
 interesset: mea igitur ope factum est, vt in pe-  
 riculis auxilium, in morbis remedium, in æ-  
 rumnis solatiũ, in perturbatione disciplinã,  
 in curis alleuamentũ inuenires. Cũ vita tuã  
 tam multis simul rebus indigeat, omnes illæ  
 fuerũt à me tibi largè atque munificè suppeditatę.  
 Quod si ita nõ esse putas, à me secede; lucem  
 meam atque celebritatẽ fuge; & te in solitudi-  
 nem abde, & videamus quo tandẽ modo pos-  
 sis absq; meo præsidio vitã sustetare. Quod igitur  
 opibus abundas, quod humanitatẽ retines,  
 quod securè vitã degis, quod lucis iucũditate  
 fruëris, id totũ mihi est in acceptis referendũ.  
 Magis igitur sum mater tua, q̃ illa, quæ te pepe-  
 rit, existimanda. Si igitur mihi necẽ attuleris,  
 non modò te improbum hominem; sed impiũ  
 & sceleratum parricidam fateare necesse est,  
 sed dices fortasse, te nunquam de meo interi-  
 tu cogitasse. An non intelligis vitã atque salu-  
 tem meam, ciuium moribus & honestate con-  
 tineri? ad eò sine mente es, vt non videas, si illi,  
 cũ ad ætatẽ maturã peruenerint, flagitijs effe-  
 rati fuerint, esse mihi eorũ scelere miserũ fu-  
 neitumq; fatũ necessariò subeundũ? Nec illud  
 qui-



quidem recogitas, te nō tam tibi, quā mihī filios genuisse? cur igitur illos flagitijs obrui finis? cur illorū peccatis indulges? cur illorū in consideratā cupiditatem alis? cur eorū pudorē extingui pateris? cur denique illos honestatis studiū negligere, & libidini seruire permittis? Quod enim est aliud rerū publicarum exitium, & funus, nisi id, quod corrupta & vitiosa ciuiū institutione cōparatur? ciues igitur, qui malè filios suos instituunt, me perdunt, mihi pestē parant; mihi interitum & exitium moluntur. Hæc si Resp. dicat hominibus in filiorum educatione dissolutis, venit ne vobis in mentem, quomodo homines in tanta re negligentes, à maximi & immanissimi criminis suspicione liberetis? Non, inquit M. Si igitur inquam, hoc crimen diluere non potestis, confitendū est illud nō mediocre crimen esse, sed crudele atq; valdè nefarium, q̄ quidem non solū liberis vitam eripit, sed patriā ipsam sanctissimā parentem necat. Quod si legib<sup>9</sup> nemini cōcessum est, vt rebus suis malè vtatur, quomodo permittendum est parentib<sup>9</sup>, vt filios suos cum calamitate patriæ totius euertant? Cū verò regis officiū sit seruare Remp. officium certè illius est, omnia crimina, quæ Reip. exitiū afferre possunt, seuerissimè coercere. Sed quemadmodū multò magis laudandus est imperator, qui aduentantis hostis consilia præripit, & antequam vastitatem inferat, conatibus illius obsistit, quā is, qui post vastitatem rebus suis illatam hostem bello frangit: ita multò ampliore laude dignus est rex, qui diligentissimè cauet, ne

vllum

DE REG. INSTIT. ET

vllum scelus admittatur, quàm is qui conflatū  
 scelus vlciscitur. Quomodo id perficiet in-  
 quies. Facilmè quidem, si lege atque propofi-  
 ta pœna sanxerit, ne patres ad arbitrium suū fi-  
 lios instituunt. Lycurgi legibus cautum erat,  
 ne quisquam liberos suos moribus, quibus vel  
 let imbueret. omnes igitur ciuium liberi cum  
 ad septennium peruenissent, in turmas diuisi,  
 moderatoribus assignabantur, qui eos ad om-  
 nem rationem virtutis & honestatis erudirēt.  
 Omnis autē illius ciuitatis disciplina eò per-  
 tinebat, vt ciues ad victus frugalitatem, ad la-  
 borum patientiam, ad pudorem & verecun-  
 diam, ad decoris & dignitatis studium excita-  
 ret. In primis autem ea summa laus erat, senes  
 vereri & obseruare, & ijs, qui præerant, obedi-  
 re, nec vllum legitimum imperium recusare,  
 quamuis id, quod erat imperatum, nimis ardu-  
 um atque difficile videretur. De Persarum au-  
 tem institutione mira sunt, quæ Xenophon in  
 vita Cyri commemorat; ait enim pueros, vt a-  
 libi Grammaticam: ita apud Persas iustitiam à  
 magistris discere solitos. Iudicia autem inter  
 pueros fuisse constituta furti, rapinæ, violen-  
 tiæ, conuitij, & aliorum flagitiorum huiusmo-  
 di. Conuictos autem apud illorum modera-  
 tores pœnas dare, & similiter, qui aliquem fal-  
 sò insimulabant, calumniæ pœnam sustinere.  
 In crimen autem maximè vocari solitos, qui  
 bene de se meritis gratiam minimè referebāt;  
 ingratos enim neque pietatem in Deum, nec  
 in parentes colere, neque debitum officiū aut  
 patriæ, aut amicis præstare posse credebant.

Præter-

Prætereà ex ingrati animi crimine impudentiam oriri statuebant, ex qua omnis turpitudine atque vitæ dedecus erumpit. Ait prætereà pueros ad modestiam, ad frugalitatem, ad continentiam, ad laborem, ad obedientiam, ad omnem denique decoris & honestatis rationem fuisse admodum diligenter institutos. Hæc quidem fusè persequitur vir ille summus, quæ facillè demonstrant, non sine causa Persarum imperium ex paruis admodum initijs, ad summam amplitudinem peruenisse. Ut enim labente disciplina, imperia magna corruunt: ita cum morum disciplina egregiè constituta est, tenuissimam quamque Rempub. maximam & florentissimam fieri necesse est. De Atheniensibus iam diximus; quomodo Solonis legibus incumberebat id onus parentibus, ut literis & palestra, & musica liberos suos erudirent. Filij verò cogebantur parentes in senectute alere. Quod si cuius aliquis fuisset in filiorum disciplina negligens, nec eos illis tribus artibus instituisset; pœna erat, soluere lege illa filios, ne cogentur villo modo patribus in extrema ætate constitutis alimenta præbere. Indigni enim parentum nomine habebantur, qui filios non & moribus bonis, & artibus ingenuis instruxissent. Fuit autem Athenis templum vni ex filiabus Cecropis Regis dedicatum; ea autem appellabatur Aglauros. Cum enim, ut traditum memoriæ est, Eumolphus bellum Athenis intulisset, & fuisset oraculo editum Athenas Victrices fore, si quisquam se neci pro salute patriæ deuoueret, Aglauros sese, ut patriam periculo



DE REG. INSTIT. ET

culo liberaret, ex muro præcipitavit. Habuit autem hoc antiquitas, ut nihil virtute diuinitus existimaret, & ideo facile ijs, in quibus clarum aliquod virtutis lumen eluxisse perspexerat, diuinitatem tribuebat. Nullam autem virtutem clariorem existimabat ea, qua se quisquam pro patriæ salute ad mortem libenter offerebat. Cùm igitur Aglauros id virtutis signum dedisset, quo nullum admirabilius esse poterat, fuit illi templum extructum, & nomen illius religione patria cõsecratũ. Omnes autem ciues cùm ad ætatẽ adolefcẽtiæ peruenissent, armati omnib<sup>9</sup> armis in templũ illud deducebantur, & conceptis verbis iurabant, se nullo modo patriã deserturos; iurifurandi autem formula hæc erat. Non afficiã dedecore arma sacra, neque ducem, quem fuero secutus, deseram. Pugnabo pro sacris, pro sanctitatib<sup>9</sup> siue solus, siue cũ multis. Enitar ne patriã meã tradam posteris deteriorem, quã accepi, sed multo magis florentẽ. Illis qui consideratẽ iudicauerint, libenter obtemperabo, legibus iã latis parebo: & illis etiam, quas populus communi consensu tulerit. Si quis autem leges oppugnauerit, aut illis parere noluerit, id nulla ratione patiar. Et vel solus, vel cũ multis illi obuiam ibo. Patriam religionem conseruabo. Harum autem rerum deos testes inuoco. His quidem verbis ea se religione denunciebant, ut esset illis necesse mortem pro templorum sanctitate, & sacrorũ religione, pro legibus & institutis ciuilib<sup>9</sup>, pro patriæ salute & dignitate (vbi id casus aliquis postularet) occumbere:

Non

Non solum igitur proditoribus atque sceleratis ciuibus, sed etiam timidis & ignavis Dei grauisimum metum incutiebant; vt intelligerent omnes se non posse vlla formidine patriam deserere, quin se periurio, & crimine sceleris, & impietatis alligarent. Quid de Romanis dicam? potuissent ne illi orbem terrarum imperio continere, nisi fuisset apud illos admirabilis iuuetutis pudor, atque disciplina? quam illi non adulescentes tantum: sed omnes etiam ciues disciplinæ seueritate coercebant. Erant enim censores præfecti moribus, tanta autem diligentia suum munus gerebant, vt nihil in Rep. fieri permitterent, quod esset Romano pudori, fidei, & honestati exemplum contrarium. Grauisimis autem ignominia pœnis facile Rempublicam continebant, ne se turpitudine vlla contaminaret. Ne autem plura Rerum genera persequar, hoc sanè constat, primum quid est id non esse difficile, quod iam fuit à summis regibus & imperiosis populis sapientissimè factitatum. Deinde non solum ad pacis ornamentum & iustitiæ disciplinam multum interesse qualis sit puerorum institutio & adolescentium disciplina, sed etiam ad belli præsidium, & imperij decus & amplitudinem. Omnes enim Respublicæ latissimè imperium propagarunt, his artibus & institutis sibi summas opes & imperium pepererunt. Non est igitur vlllo modo hæc Reipublicæ ratio à principe negligenda, sed in primis summo studio procuranda, atque vigilantissimè prouidendum, ne quisquam in Rep. pro salutari ciue belluam immanem alat: aut saltem hominem ignauum, & imbellē enutriet. Si rex igitur

Rem-

DE REG. INSTIT. ET

Rempub. saluam vult, morum præfectos in ea constituat, qui parentes in filiorum institutione negligentes seuerè puniant. Nullumque genus hominum patiantur in Repub. versari, qui non artem aliquam Reipub. salutarem teneant. Monstri igitur atque prodigij simile fit, aliquem in Repub. sine publico fructu versari. Quare nõ video, cur illa Aegyptiorum lex non magnopere à nobis approbanda sit, qua singuli cogebantur nomina & artes suas apud moderatores Reip. profiteri, vt operis deinde sui rationem reddere cogerentur. Athenis verò fuit à Dracone lata lex, quæ otium capite mulctabat. Seuera nimis iniquies, & immanis lex illa fuit. Esto, dum modò fateamur, illa nimia legis seueritate Reipub. statum maximè conseruari. Otium enim continet flagitiorum omnium seminarium. Mentem enim hebetat, animum corrumpit, hominis præstantiam labefactat, & ne quid aliud dicam, rationem de statu deijcit, & libidinem in animi dominatu constituit. Adde quòd qui res suas non agit, aliena negotia curat (vt Horatius ait) vnde malevolentia, obtrectatio, inuidia, iniquitas & iniuria, magnaque rerù perturbatio, & confusio vitæ consequitur. Adde quòd otium homines ad inopiam & egestatem redigit; egestas desperationem efficit; ex desperatione existit audacia: audacia verò Rempub. perturbat, & de omni statu conuellit. Cùm igitur hæc mala omnia ex otio atque segnitie oriãtur, quæ lex utilior excogitari potuit ea, quæ turpe otium coercet, & comprimit? Hic locus admonet, vt  
aliquid



aliquid de nobilitatis officio differamus. Non placet enim aliquem in Repub. versari, cuius opus aliquod vtile Reipub. non extet. Aratorum autem, & mercatorum, cauponum, fabrorum, & opificum atque adeo baiulorum officia & opera, quæ sint, & quam utilitatem Rebuspub. afferant, planè video. Ratio autem postulat, vt quò status hominum clarior est, eò clarius eorum officium sit, & diligentius ab illis operis, & muneris rationem reposcamus. Quodnam igitur nobilium opus est? num delictijs affluere, & dicta iacere, & de amore conqueri, & vulnus sibi Cupidinis sagittis inflatum assiduè lamentari? negabitis opinor: nullum enim ex eorum vrbantate & elegantia, nec ex amoribus quidem leuissimis Respub. fructum capit. Num noctes atque dies in alex ludo consumere? non profectò: Est enim hic ludus altor otij, magister ignauia, instrumentum auaritia, fraudis officina, rei familiaris euerfio, rixæ materia, morum pernicies, dignitatis labes, & insignis ignominia. est prætereà angor animi, & cruciatus assiduus. Qui enim perdit, afficitatur: qui lucrum facit, quamuis intemperanter exultet, ne tamen id, quod est lucratus, amittat, animo anxio atque sollicito reformidat. Adde nunc impuræ consuetudinibus & familiaritatis dedecora, quibus afficiuntur ij, qui cum aleatoribus viuunt. Adde pœnæ illius diuturnitatem, qua damnati sunt omnes, qui eiusmodi ludis affixi sunt. Vt enim Prometheus ad Caucasum affixus (vt poëtæ perhibēt) inuitus aquilæ viscera laceranda atque

deuoranda præbebat: sic aleatores ita nequitiæ  
vinculis astricti sunt, vt quãuis viscera sua con-  
sumi cum magno cruciatu videant, non tamẽ  
inde auelli possint. Anni verò interim labun-  
tur: ætas flagitiosè cõteritur: res familiaris ab-  
sumitur: studium dignitatis abijcitur: omni-  
que ratio industriæ, & humanitatis, & pietatis  
extinguitur. Nec enim is, qui hoc ludo tene-  
tur & ducitur, rem suam familiarem curat: nec  
suis liberis, aut seruis, aut amicis consulit: ne-  
que pietatis & Religionis memoriam vllam  
cõseruat: sic enim occupat illius animum hoc  
flagitiosum & infame ludendi studium, vt nul-  
lum honestæ cogitationi locum relinquat. Vt  
autem nullum aliud malum inde proueniat  
præter otium illud, cuius vitia persecuti su-  
mus, id certè tantum est, vt sit nobilitati tan-  
quam totius dignitatis exitium, summa toti-  
us animi contentione fugiendum. Præterea  
nos non de ludo & ioco quærimus: sed de offi-  
cio & opere; non em̃ ludus opus est; sed ab ope-  
re est animus interdum ludo reficiendus, vt fa-  
cilis possit nobilitate dignum opus efficere.  
Quodnam igitur hominũ nobilium opus est?  
Armis tutari Remp. & consilio, cum ætate pro-  
gressi fuerint, eã stabilire; omnesque opes suas  
ad patriæ salutẽ, atque ad dignitatem suam cõ-  
ferre. Sed quæro. Num hæc tam præclara mune-  
ra indigent aliquo vsu, ratione, disciplina; an  
eiusmodi sunt, quæ sine vllò vsu & meditatio-  
ne cõfici valeant? si dixeritis nõ esse opus vsu,  
neq; disciplina, mirabor. Si. n. neque sutor, ne-  
que sartor, neque tólor, neque deniq; fabrilis  
ali

alicuius artificij peritus esse potest, qui nō multis prius annis illi artificio operam dederit, quomodo poterit homo nobilis in artificio, quod Remp. omnem continet, sine disciplina & exercitatione versari? Rex igitur, qui officio satisfacere cupit, opus est, ut cum operam dederit, ne quisq; id Rep. sit, qui non possit muneris & operis sui rationem reddere: tum vel maximè caueat, ne ullus nobilis homo segnitie corrumpatur, & delicijs effœminetur, & sine vlla virtutis disciplina locum illū, quo est prorsus indignus, obtineat. Nihil est enim, q̄ facilius Remp. possit euerrere, nobilitatis ignauia. Illam igitur in armis contineat, & optimas artes colere, atq; in illis assiduè exerceri compellat. Cū verò multæ aliæ poenæ possint hominibus nobilibus irrogari, vix vlla poterit esse grauior, & atrocior, quàm nobilitatis & honestatis amissio. Multum etiam iuuabit homines ignobiles honorib⁹ augere, si fuerint virtute & industria præstātes. Princeps em̄ nō solum iustitiæ munus & officium tuebitur, cū virtutem in quocunq; homine illam splendore viderit, digno præmio remunerauerit: verum etiam nobilitati languenti stimulos admouebit, & illam æmulatione ad honestatis studium acerrimè concitabit. Vellem etiam ut cum homines ob virtutem summis opib⁹ afficiuntur, ne opes illæ ad illorum filios peruenirent: nisi ad illos tantum, qui se maiorib⁹ suis dignos virtutis imitatione præbuerint. Duplici enim ratione peccāt reges, cū sine modo de regio patrimonio largiuntur. Primū enim



DE REG. INSTIT. ET

fontem ipsius benignitatis exhauriunt; ita ut nequeant ij, qui in regno succedunt, virtutem debitis præmijs ornare. Deinde quòd ignaviae atque desidia, & effrenatae libidini adiuventia plurima subministrant. Non vult enim homo in summis opibus atq; delicijs enutritus, laborem vllum suscipere. neq; solùm mollis & delicatus, & intemperans, & flagitiosus: sed etiam superbus, & arrogans, & infestus efficitur. Sapienter enim, qui Resp. condidère, quo ad eius fieri potuit, conati sunt ciuium possessiones & facultates modo quodam æquabili terminare, ne quisquam vel opibus elatus, nimium lasciuiret: vel egestate impeditus, studium virtutis omitteret: aut quod est multò grauius, odio publici status, de interitu Reip. coniuraret. Vt enim sutor, vel quiuis alius faber artem deserit, vel cùm tanta premitur inopia, ut artis instrumenta parare nò queat: vel cùm tantis opibus abundat, ut sine artificio illo lautè atque iucundè viuere possit: ita ciues artem suam, quæ honestatis studio continetur, omittunt, vel cùm egestate laborant, vel cùm propter opum affluentiam nimis efferuntur. Accedit, quòd Regis Imperium contemni, tumultus excitari, intestina bella moueri plerùmque solent, cùm sunt in regno multi principes illo loco indigni; nempe cùm opibus summis præditi sunt, & ab omni studio virtutis abhorrentes. ne autem alia exempla, quæ sunt innumerabilia, persequamur, certè constat Græciã hoc vno malo corruisse: Imperatores enim Principum bellis fatigati, Turcas ascuerunt

vt illorum ope firmati, principes imperio frenarent; Turcæ verò in Græciam intromissi, nō vt imperatores adiuuarent; sed vt Græciam dominatu suo premerent, consiliū inierunt. Paulatim igitur eos, à quibus vocati fuerant, expulerunt, donec tandem Constantinum vltimū Græciæ Imperatorem Constantinopoli diu obsessum imperio & vita spoliarent. Cuius tantæ calamitatis se Græciæ Principes otiosos spectatores præbuere, quasi exploratum illis esset, fieri non posse, vt omnes illo communi incendio conflagrarent. omnes igitur tam Imperatores, quàm Principes illorum imperio subiecti, peccatis excæcati sunt: ne viderent ipsos sibi pestem & interitum machinari. Hoc igitur ne vnquam possit accidere, duo sunt rebus in distributione donorum & munerum prouidenda. Primum, ne omnia certis hominibus largiantur: & dum liberales haberi volunt, omnem materiam liberalitatis amittant. alterum, si bonorum filijs metum iniecerint regij muneris amittendi, quoties illi minimè parentum vestigijs institerint, & non debitam fidem, & officium, aut Regi, aut patriæ persoluerint. His igitur pœnis poterunt coercere Reges hominum nobilium temeritatem, qui filios suos flagitijs corrumpi sinunt: neque in eo elaborant, vt liberi opibus digni sint: sed vt opes immanes habeant, quas in nequitia & flagitio consumant. Nec enim intelligunt homines amentissimi, quò magis illi filiorum opes adaugent & cumulant: eò magis eorum miseriam amplificari. Opibus enim domi cōgestis

DE REG. INSTIT. ET

cum virtus abest, languescit industria: superbia indies augetur: libido furibunde concitatur: vitia crescunt, & indomite cupiditates in ratione inuadunt: quæ animu exedunt, & vita amarissimã efficiunt. Neq; solum pœnis sunt homines nobiles ab ignauia, & flagitio deterrendi: sed laudibus & honorib' & muneribus in studium honestatis incitandi. In quo quidem oportet intelligi ab omnibus a Rege neque pecuniam sine virtute, neq; nobilitatẽ sine honestate: sed virtutem, & industriã, & frugalitatem, & patriæ caritatẽ, honorari. Cum enim nobilitas omni virtute ornanda sit, tum nullam debet pluris facere, quã patriæ caritatem: in qua omnia amplissimẽ dignitatis ornamenta collocanda sunt. Hanc igitur virtutẽ magnificentissimẽ laudare: hanc muneribus amplissimis honestare: huius studio & cupiditate vehementissimẽ omnes (in quibus aliquem amorẽ honestatis aspexerint) inflammare debent reges: qui cupiunt efficere Remp. in omni genere laudis & honestatis florentissimã. Sic aut fiet, vt multi viri ab auaritiæ studio, ad cupiditatẽ verissimẽ gloriæ traducantur; neq; existimẽt virtutis industriã mercaturam esse: neq; vitam spe fortunæ amplioris in discrimẽ inferat, neq; cum aliquod pulchrũ facinus aggrediuntur, pecuniæ mercedem nimis impotuntẽ flagitent: sed omnia ad salutem patriæ, & gloriam sempiternã præcipuẽ referant. Facillimẽ igitur fiet, postq̃ hic mos receptus publicẽ fuerit, vt omnes adolescentes (nobiles autẽ maxime) Deum timere, parentes venerari, se-



nes obseruare, magistratibus obedire discant; & omnem corporis, & animi conatum ad patriæ salutem, & dignitatem comparare. Nihil est enim ad laudem amplius, nihil ad immortalitatem nominis illustrius, nihil ad diuinâ gloriam comparandam efficacius, quàm præ studio cõmunis salutis, propriæ vtilitatis obliuisci; & amore patrię vitam cùm fuerit opus, in summum discrimen adducere. Hæc sunt enim, quæ incredibilem amorē excitant, ingentem admirationē commouent: immortalis memoria consecratur: præmijs diuinis atq; sempiternis afficiuntur. Non est autem hominis nobilis atque virtute præstantis officiũ, sine vlllo modo & ratione; patrimonium amplius, quàm Respubl. ferre possit, posteris suis relinquere, sed illam hæreditatem satis amplam & copiosam arbitrari, quæ est in clarissimo virtutis exemplo, posteris ad imitandum proposito, constituta. Illa namque hæreditas iniuria plerumque & iniquitate, & hominum odio, & offensione, & inuidia comparatur: hæc autem iustissimis officijs, & meritis excellentibus & virtute diuina conficitur. Illa filios plerumque desides, & ignauos, & odiosos reddit: hæc strenuos & industrios, & publicæ salutis atque dignitatis amantes. Illa postremò est fluxa, caduca, & instabilis, & casibus infinitis obnoxia: hæc verò constans, firma, stabilis, atque sempiterna. Cùm verò in omni Republica bene constituta, virtutis & gloriæ studium apud nobilitatem vigere facile queat, tum in Regno facillimè. Mirum enim est,

## DE REG. INSTIT. ET

quantum studium ponant homines in regum moribus imitandis. Sic autem fieri necesse est, ut virtutis regiae similitudo ad omnes perveniat, eos autem maximè, qui clariore indole præditi sunt, honestatis splendore nobilitet. Itaque Regis fortitudo, Rempub. fortem efficit; modestia, continentem; iustitia, legibus & magistratibus obsequentem; sapientia, consideratam; Religio, sanctam; honestatis gloria inflammatum studium, gloriae sempiternae studio similiter incensam. Facillimum igitur erit Principi Regijs virtutibus ornatissimo, & legibus, & suorum vigilantia, & virtutis exemplo pueros & adolescentes statim à primis annis optimis moribus atq; disciplinis ad officium & honestatem erudire.

FINIS LIBRI SEPTIMI.

DE

REGIS IN-  
STITVTIONE ET  
DISCIPLINA, LI-  
BER OCTAVVS.



**H**IC autem M. si hæc ita sunt, inquit, non sanè video, cur regnum valdè expetendum sit. Animus enim tantis curis implicitus nunquam à labore conquiescere, aut respirare vlllo modo poterit. Sit ne inquam valdè expetendum, an velis (quod aiunt) atque remis fugiendum, postea videbimus. Nunc verò, quod instat, exsequamur. Cùm igitur liqueat hæc omnia, quæ diximus, ad regis officium pertinere, consequens est, vt illum multorum operis & auxilio fulciamus. Qui enim tam multis muneribus præest, multis certè ministris indiget: neque poterit vlla ratione tam multiplici officio, sine multorum operis, satisfacere. Vidi-  
mus Regi operam dandam esse, vt Respub. copiosa, locuples, & opulenta sit, & hanc copiã ex re nauicularia, ex mercatura, ex agricultura comparandam esse. Multi igitur & varij ministri ad eam rem deligendi sunt, qui vel ignauiam atque desidiam seuerè puniant, vel iniquitatem & iniuriam supplicio plectant, ne quisquam, vel propter segnitie prematur inopia, vel propter improbitatem & scelus opes



## DE REG. INSTIT. ET

alienas auertat. Non satis est Remp. locupletē esse, nisi fortis & armis egregiē defensa sit: alijs igitur ministris opus est, qui iuuentutem armis exerceāt, neque patiantur ignauia & timiditatem in illorum animis versari: quibus Reip. custodia cōmissa est. Summa opus est moderatione ad militarem ferociam cohibendā. Sunt igitur ij militum præfecti deligendi, qui non solum fortes & impigros milites, sed etiā verecundos, & moderatos, & legibus obsequētes efficiant. Omne Reipublicæ firmamentum in iuris æquabilitate, & in iudiciorum integritate consistit. Multis igitur huius tam præclari muneris & officij ministris opus est, quos neque gratia, neque metus impediāt, neque pecunia corrumpat, nec vlla denique perturbatio ab æquitate dimoueat. Ne autem sit necesse poenas grauissimas sine vllō fructu sceleribus infinitis irrogari, statim à primis annis sunt omnes ciues moribus optimis imbuendi & artibus præclaris excolendi: ne quidquam pluris, quam pudorem & honestatem faciant. Sunt ergo creandi morum præfecti, qui lasciuiam, & impudentiam, & corruptos & effœminatos mores ignominia, & quauis alia poena constanter & seuerè coerceant. Ut autem hæc omnia commodius administrantur, multum iuuabit ciuitatem in tribus aut curias diuidi, nec enim laboro, quali nomine pars quælibet Reipublicæ nominetur: dum modò tota Respublica sit commodè diuisa, vt singulis partibus præfecti singuli præficiantur. Neque parum vtile est, in quolibet horum

rum officio & munere, ordinem & rationem constitui, qua præfecti quidam alijs præfectis subiecti sint, ne sit necesse ei, qui Remp. capessit, summis statim & difficillimis muneribus implicari, sed ab aliquo rudimento Reipublicæ gerendæ ad maiora ordinatim peruenire, & in minimis rebus ostendere, an dignus sit, cui maiora committantur. Hoc enim & ad minuendum laborem eorum, qui rebus maioribus præpositi sunt: & ad disciplinam & moderationem illorum, qui Rempublicam administrare incipiunt, valdè conducit. Cauendum enim est, ne & is, qui rebus grauioribus intentus esse debet, minoribus negotijs implicitus teneatur; & is, qui tum primùm Rempublicam attingit, magnis repentè honoribus auctus intemperantius se gerat, & insolentia præcepta mente deficiat. Honor enim maximus & repentinus mentem atque sensum eripit omnibus, qui firma stirpe virtutis innixi minimè sunt. Itaque vtilissimum est adolescentibus, qui honores ambiunt, intelligere sibi multos esse præpositos, quibus officij sui rationem reddere cogantur. Hoc enim eorum insolentiam frenat, & animos ad res acrius, atque vigilantius gerendas exacuit. Omnes autem munerum & curationum ministri certis legibus astricti sint, & intelligant, secundum eas leges esse singulis annis rationem sibi reddendam, illis, quibus ea prouincia delegata fuerit. Ij autem, qui munere suo fuerint egregiè perfuncti, honoribus augeantur; qui v. rò in officio sibi cōmissio deliquerint, &

hono-

## DE REG. INSTIT. ET

honore priuentur, & grauem pœnam peccati  
 luant, nisi sit eiusmodi peccatum, quod medi-  
 ocri pœna corrigi & emendari possit. Inhuma-  
 num enim est, spem de illo, qui leue aliquod  
 flagitium admisit, abijcere. Quis enim est, qui  
 possit vitæ cursum sine aliquo lapsu confice-  
 re? magni tamen refert, qualis ipse lapsus exti-  
 terit. Qui enim pecunia corruptus, aut mali-  
 tia & improbitate cæcatus, malè suum officii-  
 um gerit, acerrimè plectendus est. Malū enim  
 quo premitur, vix sanari potest. Is autem, qui  
 per rei alicuius imperitiam, aut incuriam er-  
 rauit, facilè potest ad officium reuocari. Medi-  
 oces autem animorum morbi, facili & tole-  
 rabili medicina sanantur: graues autem & pe-  
 riculosi, nō nisi curationibus acerbissimis ex-  
 pelluntur. Reipub. autem princeps appellari  
 non debet is, qui non eam medicinam tenet,  
 qua sanabiles Reipub. morbos pellat, & partes  
 insanabili morbo laborantes exsecet, ne ad v-  
 niuersam Rempub. illarum contagio atq; lues  
 emanet. Nihil enim est hominum perditorum  
 audacia & immanitate periculosius: neque ma-  
 gistratum impunitate & seueritate funesti-  
 us. Vbi igitur neque vitæ ratio ab ijs, qui mul-  
 tum in Reipub. possunt, exigitur, neque malefi-  
 cia seuerè puniuntur, ibi publica salus diu cō-  
 seruari nequit. Hoc igitur ne possit accidere,  
 est regibus summa cura, studio, sollicitudine,  
 vigilantia, industria prouidendum. Vt autem  
 hæc omnia onera, quæ sumus oratione comple-  
 xi, à Rege ferri atque sustineri queant; opus est  
 vt multos in tanti operis atque muneris socie-  
 tatem



tatem conuocet, qui regia virtute præcellant. Horum igitur consilio & auctoritate nixus, onus sibi impositum leuius feret, atque tolerabit. De illorum autem moribus & institutis, qui à Rege in consilium adhibendi sunt, latius differerem, nisi id iam effectum arbitrarer. Ea enim, quæ de Regia disciplina diximus, Regis etiam consiliarijs accommodanda sunt. Regia namque virtute præstet opus est, qui est regem consilio adiuturus. Aliqua tamen commodum est, vt afferamus. In primis igitur necesse est, vt Regis consiliarij sint maximo ingenio præditi, bonis artibus exculti, lógo rerum vsu periti, in historijs diligentissimè versati; neq; præsentia tantum sagaciter odorantes, sed longè in posterum, quid vtile futurum Reipub. sit, coniectura prouidentes. Neque solum ingenio, & disciplina, atque prudentia valeant necesse est; sed sint opus est singulari fide, & integritate & patriam amore atque pietate debita prosequantur. Parum enim iuuat, quid vtile futurum sit, acutè perspicere, si amor impurus, aut odium acerbum, aut cupiditas nefaria tibi fuerit impedimento, quo minus id, quod sentis, eloquare. Erat olim apud Athenienses lege sancitum, vt quoties aduocata concione populus de Reipub. consultabat, præco maxima voce diram cladem & exitium illi, & posteritati illius imprecaretur, qui Reipub. inutile consilium daret, ne ipse incòmodum aliquod subiret. Erant autem execrationes illæ, quæ capita ciuis perfidi & malitiosi deuouebat, tantis horrendis verbis scriptæ; vt maximum meritum

omnia

DE REG. INSTIT. ET

omnibus, qui illas audiebant, incuterent. Sapienter enim intellexit, qui legem illam tulit, nihil esse acuto ingenio sine fide, & patriæ caritate perniciosius. Quo enim ingenium maius extiterit, eò sagacius, & malitiosius perniciem Reipublice commodi sui gratia comparabit. Hoc igitur principes intelligere debent, non satis esse in consilio adhiberi solertiam & ingenium: nisi fides etiam illius, qui consilium dat, atque patriæ caritas sit rebus perspecta, atque planè cognita. Refert Aristoteles fuisse in more positum, in quibusdam Græciæ ciuitatibus, quæ paucorum potestate regebantur, ut ij, qui principes erant, neminem in societatem admitterent; nisi prius iuraret, se fore perpetuò plebis commodis vehementer infestum. Quantò (ut inquit ille eodem in loco) fuisset honestius, & principum officio conuenientius, sanctissimo iureiurando fidem obligare, sibi nullum priuatum commodum impedimento futurum, quo minus publicæ salutis consuleret: & infimam plebem, quæ in principum tutela atque patrocinio latet, ab omni fraude & iniuria tueretur. Nec enim est principis status multitudinis imbecillitate & inopia: sed totius populi caritate & beneuolentiâ muniendus. Illi igitur, qui studio, & voluntate, & insita quadam tyrannidis immanitate commodis plebis aduersantur; sunt longissimè non modò ab optimi Regis consilio repellèdi: sed ex hominum natura (si fieri potest) exterminandi. Est autem in consilijs præcipuum fidei munus, quidquid secretò statutum fuerit, silentio

& taci-

& taciturnitate comprimere. Si enim, qui amici consilium aperit, est odio omnium valde dignus; totius enim coniunctionis rationem tollit è vita, qui amici cōsilia prodit: quo tandem scelere illum alligari iudicabimus, qui Regis consilium de Reipub. salute, de propria dignitate, de publico officio & religione, contra datā fidem cū homine vel necessario, vel alieno, qui non sit particeps eiusdem consilij, communicat? ea namque perfidia Regis maiestatem minuit, illiusque salutem prodit; ordinem Reip. perturbat: ciuium animos frangit; hostium vires & audaciam confirmat. Qui igitur consilia Regis enunciat, est Regis proditor, & patriæ euerfor existimandus. Sed non sufficit & sapientia, & fide præditum esse, qui Regis cōsiliarius est; est enim prætereà necesse, vt sit animo magno præditus, ne in consilio dando Regis, aut principum offensionem pertimescat: & ita magis, quod est auribus gratum & iucundū, quàm vtile & honestum suadere conetur. Præter hoc incommodum tria vitia animum pusillum atque demissum necessariò consequuntur; quæ si fuerint in consilium admissa, regias opes, & publicam salutem euertent. Qui enim paruo animo est, semper timet; qui verò timet aut laborem fugit; aut vitæ pericula formidat: aut pecuniæ sumptus extimescit. His autem flagitijs omnibus fit, vt in ea mala frequenter incurramus, quæ maximè vitare cupimus. Quid enim laborum fuga facere admonet? rem de die in diem differre, atque procrastinare; nihil transigere, nihil expedire, summā felicitatē in



DE REG. INSTIT. ET

munerum vacatione positam arbitrari, rebus maximis indormire; hominib<sup>9</sup> perditis atque profligatis omnia administranda relinquere. Quid autem hac tanta socordia Princeps delicatus assequitur? Ut negotia negotijs accumularentur, infinitisque laborib<sup>9</sup> opprimatur. Inde autem summa muneris gerendi difficultas, & desperatio nascitur, quæ cum animum occupauerit, eum de omni statu deijciet, & irretitum tenebit, ne quidquã agere, aut moliri audeat. Iam verò periculorum omnium formido, quanta pericula cõflare soleat, satis exploratum est. Virtute enim nostra franguntur hostium vires, neque de pernicie nobis inferenda, sed de salute sua tuenda cogitare compelluntur. At dum nimis belli pericula formidamus, & præ metu studium armorũ abijcimus: hostium vires & audaciam confirmamus: & furentem impetum minimè sustinemus. Quid hortari plerũque solet avaritia? Ut arces præsidijs nudentur, ut milites ad tutelam patriæ necessarij dimittantur, ut vrbes & munitiones, quibus hostium furor & violentia cohibetur, si non fuerint opibus augendis utiles, omninò deserantur; ut sic demũ sumptibus imminutis ingès pecunia coaceruari possit. Què autem fructum ex hoc consiliò sapientiæ pleno percipimus? Hostes metu soluti, multoque ferociores effecti, atque ad eò ab ijs, qui nimis pecuniæ parcunt, in eorum fines immissi, omnia, quacunque impetum ferunt, latissimè populantur, aut saltem non nisi sumptibus maximis, omniumque pecuniarũ dispendio repelluntur:

Iuntur. dum igitur sapientes homines tolerabiles sumptus facere recusant, omnes opes regias, totiusque regni facultates effundunt. Cernitis profectò quomodo pigritia labores innumerabiles efficiat, ignavia pericula maxima salutis inferat, & auaritia omnes regias opes euertat? Quid igitur minus ferèdum est, quàm homines aut pigros, aut timidos, aut auaros ad consilium Regis accerfiri? at hæc omnia vitia (vt diximus) non nisi ex animo paruo & angusto oriuntur. Vnde colligitur neminè esse ad Regis consilium admittendum, qui nõ sit animo maximo & excelso præditus, omnia præ honestatis studio contemnente. Quod si regum consilia ad vtilitatem publicam conferenda esse videntur, hoc certè cõcludi potest, nihil esse vtilius honestate. honestas enim cõtinet veras opes, quibus animi florent, & reliquæ opes humanæ ex illis aptæ, atque ita nexæ sunt, vt seiungi non possint. Omnes enim respub. in quibus maior honestatis ratio, quàm vtilitatis habita fuit, non rerum gestarum tantum gloria; sed opibus etiam atque potentia floruerunt. At vbi sese studio honestatis omisso ad vtilitatem contulere, cum honestatis interitu omnes etiam illorum opes euersæ sunt. Est igitur illa præclara populi Athenientis in doles maximis laudibus efferenda. Nam cum Themistocles in concione diceret, habere se consilium Reipub. salutare, quod tamen non expediret cum vniuerso populo communicari; fuissetque illi datus Aristides, cui consiliu illud aperiret, primum quidem Aristidis con-

DE REG. INSTIT. ET

filium repudiauit. erat enim cōsiliū, vt classem Lacedæmoniorum, quæ ad Cytheum subducta erat, incenderent. Quod facinus erat, infamia sempiterna perfidiæ notandum. In concione igitur dixit; vtile quidem consiliū Themistoclis esse, minimè tamen honestum, quod cū Athenienses accepissent, id quod nō erat honestum, tanquam inutile reiecerunt. Quod autem Aristoteles vir in omni genere virtutis excellens, vtilitatē cum turpitudine coniunctam aspernatus sit, mirum videri non debet. Quod verò populus vniuersus tanta consensione honestatem vtilitati prætulerit, id vehementer admiror. Quamdiu igitur populus ille nihil antiquius habuit honestate, summas opes, & amplissimum imperium sibi comparauit, at vbi primū dignitatis oblitus, ad vtilitatis studium tota mente conuersus est, & dignitatem, & imperium, & opes amisit. Quod quidem in omnibus summis Imperijs euenisse reperietis: tamdiu enim quælibet Respub. floruit opibus, quamdiu summo studio coluit honestatem; honestatis autē studio neglecto, opibus euersa repente fuit. Humana namque ex diuinis colligata pendent. Si igitur diuina potissimum intueberis, humana etiam necessariò consequentur: si ad humana tantū sine vllō respectu ad res diuinas attenderis, inanissima spe delusus, non diuinis tantū opibus: sed etiam humanis, quas maximè expendas esse iudicas, spoliabere. Honestas autem in diuinis opibus numerāda est. Ad animi enim immortalis, atque quodammodo diuini statū

refer.



refertur, & splendor illius nec humanis for-  
 dibus oblini, nec ullis tenebris obscurari po-  
 test. Omnes igitur Regum consiliarij tam ap-  
 petentes honestatis sint, vt existiment quam-  
 nis turpitudinem esse cum vitæ etiam pericu-  
 lo, & commodorum omnium interitu repel-  
 lendam. Vtilitatem enim constituit, qui vti-  
 litati decus antepōnit; decus autem non est in  
 leuitate, nec in ambitione, nec in minimè fe-  
 renda potentia, neque denique in vllō fla-  
 gitio fallacissima specie dignitatis illustra-  
 to: sed in virtute, fide, & humanitate, patriæ  
 charitate, & in celebri fama, meritis maxi-  
 mis excitata constitutum. sapientia igitur o-  
 pus est; vt à falsa dignitate, verum decus in-  
 ternosci; & animi excelsi robore & constan-  
 tia, vt verum decus parari & firmissimè reti-  
 neri possit. In primis autem necesse est; vt con-  
 siliarij Regis Dei numen cultu sanctissimo;  
 atque pietatis plenissimo venerentur. Nec e-  
 nim consilium de rebus maximis inire pos-  
 sunt; nisi mentem habeant castam & puram;  
 & splendore diuino collucentem, & studio  
 immortalitatis incensam, & robore & constan-  
 tia diuina confirmatam: quod totum est in san-  
 ctissima religione positum. Omnes enim, qui  
 diuina luce carent, quò acriore ingenio sunt;  
 eò vehementius temeritate & amētia rapiuntur,  
 funestiusque exitium patriæ machinantur.  
 Qui diligenter ea, quæ in regnis & impe-  
 riosis ciuitatib⁹ viri sapiētia & eloquentia o-  
 pinione præstantes de Rep. differebant, atten-  
 derit, & acumē, & prudentiā, & vim orationis

DE REG. INSTIT. ET

admirabitur; & intelliget, nihil nec acutius excogitari, neq; copiosius disputari, neque luculentius exornari humano artificio potuisse. Hoc tamen sæpè euenire perspiciet, vt quò magis Rempub. à peste summi periculi eripere nitebantur, eò magis ipsam Rempub. in omnem miseriam præcipitem darent; & patrias suas (pro quibus interdum mori cupiebant) euerterent. Ex quo intelligi oportet (quod non semel dictum est) humanam prudentiam diuino consilio destitutam, non esse prudentiã: sed temeritatẽ appellandam. In Regum igitur consilijs primus locus esse debet religionis & sanctimonix; secundus autem dignitatis; tertius vtilitatis]. Vt enim nullo modo potest vtilitas ab honestate seiungi, ita nec honestas à pura religione diuelli. Fons enim bonorum omnium Deus est. qui igitur Deum præcipuè respiciunt, omniaque vitæ studia ad illius cultum conferenda putant, omniũ bonorum cõpotes fiunt. Opus est prætereà, vt non infantes sint ij, qui ad hoc tantum munus deliguntur: sæpè namque fit, vt melior sententia infantia illius, qui optimè sentit, id tamen quod sentit, commodè explicare, & rationibus confirmare nequit: ab alio, qui malè & pernitiore rebus consulit, & tamen disertus est, cum magno Reipub. malo superetur. Hoc igitur neueniat, commodissimum arbitror omnibus bonis, qui ad Regis consilium adhibendi sunt, in dicendi studio versari. Quale verò genus eloquentiæ illis sequendum sit, iam dixi, cum de Regis eloquentia differerem. Omnes enim

Regis artes (vt diximus) illis colendę sunt, qui sunt in consilium Regis admittendi. Si igitur Reges fuerint horum hominum comitatu circumsepti, qui sapientia, fide, virtute, religione; optimaque dicendi ratione præstent: errare certè non poterunt. Prætereà plurimum valet hæc hominum prudentium auctoritas, ad illud temperamētum imperij, quod homines sapientissimi in omni Reipub. moderatione requirunt. Quodnam inquit T. Non probant inquam simplex Reipu. genus, sed ex omni genere commistum. Quid igitur? inquit T. num monstrum aliquod conantur effingere? mihi enim quidquid vnum & simplex est, rectissimum esse videtur, non quod est è diuersis naturis multiplici ratione conflatum. Quid igitur? inquam. ne in musicis quidem probas distinctos certis interuallis sonos, variasque voces ad vnum tamen concentum & symphoniã reductas? num monstrũ appellabis corpus humanum ex suis membris aptissima ratione cõpositum? an potius illud monstrum habendũ esset, si corpus vno tantũ membro constaret, aut certè si membrorum vnum haberet, ad speciem venustum, & ad vsum aptum & habile, reliqua autem vitiosa, atque prorsus inutilia? Rectè inquit, sed quid id ad rem? Valdè quidẽ inquam opinor. vt enim in corpore humano tunc pulchritudo atque venustas eminet, & utilitas magna comparatur, cùm omnes partes inter se lepore consentiunt, & opera mutua fulciuntur: non cùm vnum membrum rectũ atque valens est, reliqua verò deformitate atque



imbecillitate laborant: ita in Reipu. corpore,  
 non vnus tantum membri elegantiam, & va-  
 letudinem firmam requirimus, sed totius Reip.  
 conuenientiam & firmitatem flagitamus. Vt  
 autem hoc melius intelligi possit, hoc animad-  
 uertendum est, tria ut scitis esse Rerumpu. ge-  
 nera. Aut enim vnus tantum imperio res admi-  
 nistrantur: aut paucorum potestate & arbitrio  
 continentur: aut libero populi totius suffragio  
 atque sententia decernuntur. Sed cum genus ho-  
 minum ad vitia procliuè sit, & ad inferendam  
 iniuriam natura propensum, facile quoduis  
 horum genus ad iniquitatem delabitur. Rex  
 enim paulatim tyrannus efficitur: pauci prin-  
 cipes potentia minimè ferenda ad amplifican-  
 das opes abutuntur: populus dum immodicam  
 libertatem expetit, omnia furibundè peruer-  
 tit. Sic igitur fit, ut cum vel vnus, vel pauci do-  
 minantur; vel cum plebs furit & insanit, & o-  
 mnia perturbat; Resp. illa nominari non pos-  
 sit. Aut enim Tyrannus, aut pauci diuites, aut  
 populares homines omnia sibi vendicant. Tunc  
 igitur vnum tantum genus hominum clarum  
 & amplum reputatur, reliqua verò contem-  
 nuntur. Non possunt enim aliquid ingenij, aut ro-  
 boris in communem vtilitatem conferre. Ser-  
 uiunt enim: in seruitute autem neque virtus ex-  
 tate & eminere potest. Quamuis igitur sit ali-  
 qua Reip. pars, quæ immanibus diuitijs atque  
 opibus antecellat, reliquæ tamen omnes mi-  
 nutæ & imbecillæ sunt, morbisque omnibus  
 oppressæ & impeditæ. Vt igitur in corpore cum  
 vnum membrum supra modum augetur, reli-  
 qua

qua verò minuuntur, prodigium esse videtur; ita in Repub. cùm vna tantùm pars vltra modum & rationem crescit, reliquæ autem, neq; vires vllas habent, neque vigent, neque pro rata portione similiter augescunt, monstrum habendum est summa quadam religione procurandum. Nec enim salus & dignitas Reipubl. est ex vno tantum membro, sed ex toto corpore iudicanda. Qui igitur Respub. commisceri præcipiunt, non monstra fingunt, sed ne monstrum aliquod atque portentum dirissimum ad Reipu. perniciem gigni possit, sapienter elaborant. Nec id faciunt, vt omnes Reipub. partes eodem ornatu & cultu informentur, sed vt cuilibet parti atque membro suus cultus, atque dignitas, & forma tribuatur. Nolunt enim, vt vnus imperium ita solutum omnibus legibus & institutis sit, vt populi libertas opprimatur; nolunt principes tantis opibus augeri & amplificari, vt reges cõtemnant, & plebem iniurijs violenter illatis spolient; nolunt postremò tantum populari licentiæ permitti, vt principum dignitatem affligere, omnemque Reipub. statum perturbare possit. In quo quidem omnium partium saluti, atque diuturnitati consulunt. Reipub. namq; salus moderatione continetur: pernicies autem illius immoderatione comparatur. Qui enim cupit aliquid immoderatè, ita vt nullis finibus cupiditas illius arceri possit, tãtum id, quod vehementer appetebat, admittit. Quid enim cupit multitudo? Libertatè & licentiam impunitã. At constat quã plurimas ciuitates libertatè

DE REG. INSTIT. ET

immodica concidisse, quæ si mediocri atq; legitima libertate contentæ fuissent, eam diutissimè conseruarent. Quid autem ij, qui in Repub. Principes esse volunt, vehementer exquirunt? Opes immanes, diuitias ingentes, potentiam infinitis accessionibus amplificatam. At ea omnia possidendi cupiditas, & infinita dominandi libido, multis hominib<sup>9</sup> valdè potentibus exitio fuit. Quid magis est regibus plerisque propositum, quàm infinitum imperium, omni lege solutum, nullis rationibus al ligatum, nullis difficultatibus impeditum? cum valdè cupiunt, se planè tyrannos esse cupiunt. Quid enim aliud est imperium omnib<sup>9</sup> legibus atque ratione solutum, quàm inuisæ & infestæ tyrannidis impotentia? qui igitur omninò legibus solui vult: sibi ipsi pestem & exitium machinatur. Nec enim tyrannidis opes, apud populos libertatis appetentes possunt esse diuturnæ. Nihil igitur esse poterit in omni Repub. moderatione salutaris. Bona namque omnia tuetur, & firmissimo præsidio confirmat. Meritò igitur illud Theopompi dictum laudatur. Nam cum Lacedæmone Ephoros instituisset; quorum auctoritate Regium imperium imminutum videbatur, animum vxoris grauitè offendit. Cum igitur domum se reciperet, inquit illa: Egregiam sanè operã posuisti, vt regium patrimonium posteris tuis amplificatum relinqueres; Amplificatum certè inquit ille, stabile namque illud atque diuturnum relinquo. Vidit enim rex sapiens, illa moderatione imperij, quam Ephori regibus adhi-



adhibebant (eorum enim nimiam potentiam refrenabant) regni firmitatē contineri. Quod rerum euentu facilè comprobatum fuit. Mefenium enim, & Argium regnum, quia carebant eo temperamento, intra breue tempus deleta sunt, solumque in Peloponneso Lacedæmonium regnum diutissimè cū magna rerum gestarum gloria permanfit. Vt igitur eò redeamus, vnde sumus digressi: illa Respubl. summoperè laudatur, vbi omnes illius gerendæ & administrandæ rationes aptissimè commiscantur. Est enim necesse primū quidem, vt cui omnes pareant, ne Respub. multorū imperio distracta dilaceretur. Deinde nō solū vt bonorum auxilio muniatur, sed etiam ne legitima illius potestas paulatim dilabi atq; in tyrannidem conuerti possit; est necessaria publici consilij grauitas, & optimi consensus auctoritas, qui Regem teneat, & sine quo nihil rex vnquam de rerum summa decernat, ne inconsideratè ruat, & aliquid furenter & temerè moliat. Ne verò Rex, aut optimates nostri, facilè possint plebem iniurijs opprimere, eiusque tenues opes impunè diripere: est etiā plebi danda facultas, & auctoritas, qua possit potentium indomitæ cupiditati resistere, & magistratus aliquis nō mediocri auctoritate, & summa religione præditus instituendus, qui populi causam agat, vt possint homines tenues, ius suum contra principes obtinere. Itaque oportet, vt sit regnum ex optimorum hominū potestate, & multitudinis libertate temperatum: vt neque ij, qui plurimum auctoritate va-

## DE REG. INSTIT. ET

lent, tenues homines sibi vexandos, eorumque fortunas diripiendas arbitrentur: neque rursus homines obscuri & infimi potentibus inuideant, illorumque imperium detrectent, sed statuam omnem salutem suam in illorum tutela atque patrocínio collocandam. Sic autem fiet, ut alij aliorum ope & auxilio firmentur, omnesque inter se vinculo societatis indissolubili constringantur; ad quam mutui amoris coniunctionem mirum est, quantum valeat summa eorum, qui in consilium Regis adhibentur auctoritas. Sed nescio quomodo eò res deducta est, ut regno ad hunc modum (quem oratione depinximus) instituto, nihil ad summam felicitatem deesse videatur. Summa enim felicitas atque vita beata, bonorum omnium multitudine & complexione continetur. Bonae autem (ut iam diximus) trifariam diuiduntur; alia enim sunt in corpore, alia extra corpus, alia in animo ponenda. In corpore sunt vires, sanitas, pulchritudo, & reliqua eiusdem generis. In nostro autem rege hæc omnia reperiuntur. Vires enim, & sanitatem, & celeritatem efficit membrorum exercitatio, & victus moderatio, quæ quantum etiam valeant ad formæ dignitatē, vix explicari potest. Corpus enim exercitatum & sagina minimè grauatum, nec maciæ extenuatur, nec adipe & aruina deformatur; & bonitate coloris & ornamentis minimè fucatis excolitur. Bonis vero, quæ sunt extra corpus, quæ ad vitæ præsidium & cultum conferuntur, etiam Respublica redundabit. Nec enim tellus erit neglecta

ſta & inculta, neque mercatores erunt pa-  
 rum in rebus exportandis, & importandis, &  
 in Republica pro parte ſua locupletanda ſoli-  
 citi; nec opifices erunt in operibus ſuis perfi-  
 ciendis ignaui; otium, deſidia, luxuria & reli-  
 qua vitia, quibus egeſtas & inopia contrahi ſo-  
 let; exulabunt. Rex autem opes Reipub. nec in  
 leuitate, nec in rebus ludicris, nec in homini-  
 bus ignauiſ temerè ſaginandis, neque deni-  
 que in explenda libidine conſumet. Semper  
 igitur illi copiæ ſuppetent, ſine quibus ſuorū  
 vexatione bellum ſuſtineat, & homines for-  
 tes benignè remuneret. Faciliſimè namque rex  
 ſumptus neceſſarios faciet, qui minimè neceſ-  
 ſarijs ſumptibus modum conſtituet. Erit igi-  
 tur ad hunc modum Republica ſine iniuria  
 diues, ſine ſordibus abundans, ſine luxuria lau-  
 ta, ſine egentium quærimonijs opulèta. Quod  
 verò ad animi opes attinet, nulla etiam virtus  
 illi deeſſe poteſt. eſt & militum robore fortis,  
 & præclara inſtitutione moderata, & iudi-  
 cum integritate iuſta, & conſilij prudentis au-  
 ctoritate ſapiēs, & principis amplitudine, &  
 benignitate liberalis, & officiorum vicifſitu-  
 dine inter ſe deuincta, & amoris conſpiratio-  
 ne conſentiens. In bello autem quis illius vim  
 & impetum ſuſtinebit? vbi enim corporis &  
 animi vis, & militaris induſtria viget, & om-  
 nia ſunt ordine, conſilio, diſciplina egregiè  
 moderata, & amor ciuium inter ciues eorum  
 voluntates coniungit; & quilibet pro princi-  
 pis dignitate, & reip. ſalute quoduis periculū  
 libenter aggreditur; nemoque eſt, qui mortem  
 magis



## DE REG. INSTIT. ET

magis horreat, quàm dedecus & turpitudinē; & omnes in moderatione fortis & sapientis Principis acquiescunt, quem confidunt nihil in bello gerendo temerè, nihil parum cautè, nihil nisi prudenter & vigilanter administraturum; & vbi denique (id quod caput est) diuini præsidij fiducia, immortalisquæ gloriæ spes animos erectos, excelsos, inuictos efficit: nulla certè in bello calamitas accidere potest. Nec enim princeps castus & sanctus vllum bellum nefarium mouebit: sed iustum, & pium, & necessarium, in quo certè confidat cœleste præsidium sibi minimè defuturum. nunquam igitur vllum belli periculum metuet. Quid enim metuat is, quem neque cōscientia sceleris exteret, nec vlla dementia vexat, neque auxiliū cœleste deseruit? imò verò is est, si talis est, qualem informauimus, qui dum fidem & officium sequatur, mortem facillimè contemnat; qui sibi Christum cœlestis exercitus Imperatorem auxilio adfuturum nō dubitet; qui pro patriæ salute, & pro Religionis sanctitate, & pro gloria illa sempiterna, quam sibi proponit, mortem expetat, & libentissimè vitā hanc exiguam & ærumnosam abijciat, vt illam immortalem atque beatissimā consequatur. Homines igitur exercitati & instructi, & consentientes, & se mutua ope & auxilio munientes, & honestam mortem turpi vitæ præferentes, & patriam non mediocriter amātes, & studio etiam religionis incēsi; qui sub forte, & sapiente, & pio Rege militauerint, minimè pauere, & exanimari metu possunt. Semper igitur victores

ctores erunt, nec aliquis casus illis victoriam de manibus extorquebit. Nec enim hosti pugnanti cedent, vt fugientem ferociter insequantur: neque parta victoria hostem fugientē persequi recusabunt, vt prædam cum sociorū iniuria, qui suo interim officio funguntur, imprudenter & auarè diripiant: quibus quidem flagitijs sæpenumerò victores à victis conciduntur, & dignas temeritatis & auaritiæ pœnas luunt. Sic enim erit noster miles institutus, vt malit hosti pugnanti resistere, quàm fugientem ferociter insectari? multo quæ malit sine lucro discedere, quàm decus suum aliqua auaritiæ macula deformari. Nec enim vanus & insolens est, vt gloriam, quam ignauissimus quisque exequi potest, assumat: neque mercenarius est, vt pecuniam officio anteponat. Pro salute enim communi pugnat, priusquam vitam amittat, quàm aliquid parum decorè gerat. facilè namque milites principis sui mores & instituta sequuntur. Ergo cum neque Princeps officio suo deest, neque milites illi parere recusant, quem vident esse diuinis virtutibus instructissimum: quomodo fieri potest, vt is non omnium bellorum victor existat? Quid hic memorem, quàm facilè sit alias nationes hostili inter se odio plerumque dissidentes, & ea de causa fragiles & imbecillas armis opprimere? quid referam optimi Regis lenitatē, mansuetudinem, continentiam, disciplinam, fidem, bonitatem, quibus laudibus imperium multò latius, quàm armis & virtute dilatatur? omnes enim illius imperium libentissimè sequuntur.

DE REG. INSTIT. ET

quintur, quem sciunt & humanis erratis igno-  
 scere, & deditis benignè consulere, & hosti fi-  
 dem seruare, & ijs, qui sub illius imperio sunt,  
 patrio animo singularique benignitate pro-  
 spicere. Principis enim fides atque benignitas  
 cum animi magnitudine, & singulari virtute  
 coniuncta, mirabiles sui amores excitare so-  
 let: lenitas enim sine fortitudine, timiditas &  
 ignauia meritò nominatur, & ideò non sine  
 causa contemnitur. At qui multum opibus &  
 virtute valet, nec tamen in hostibus vastitatem  
 inferat: sed vt omnes conseruet, elaborat; di-  
 uinus quidam vir, & orbis terrarum imperio  
 dignissimus existimatur. Confirmatur autem  
 huius tam diuinæ virtutis opinio, cum cernunt  
 homines Principem non libenter bellum in-  
 ferre: sed coactum officio, pietate, religione  
 hominibus, qui ius & religionem violant, de-  
 bitam pœnam statuere, cum vident illum qua-  
 cunque exercitum ducit, neque vastitatem a-  
 gris cultis inferre, neque arbores, nisi cum vel  
 ad vsum vitæ, vel ad belli machinas fuerit o-  
 pus excindere; cum neque tenues homines spo-  
 liari, neque contumelias innocentibus impo-  
 ni perspiciunt; cum denique virginum pudor-  
 em, matronarum castitatem tutam ab omni  
 labe conseruari sentiunt. Tantam certè admi-  
 rationem cunctis mortalibus incutit huius vir-  
 tutis species & amplitudo, vt omnes, qui sana  
 mente sunt, iudicent: multò vtilius esse vinci à  
 principe tantis virtutibus ornato, quam victo-  
 riam obtinere. Qui enim vincunt, si non æqua-  
 bili & moderata disciplina fuerint instituti,  
 effere-



efferebuntur animis, & deteriores indies fiet: & ita grauioribus multò malis, quàm ipsi vitis intulerant, obruentur. At qui ab hominibus virtute excellentibus vincuntur, non solum eorum misericordia conseruantur, verum etiam ad modestiam, & iustitiam, & animi cultum bonis legibus, salutaribus institutis, & optimis exemplis erudiuntur. Quantas enim utilitates attulerint Asiæ Cyri victoriæ: quantum fructum ex Alexandri virtute nationes ab illo subactæ perceperint, nemo poterit stylo & oratione consequi, similiter Romani, cùm apud illos studium virtutis & industriæ vigebat, eas nationes, quas armis subigebant, planè seruabant. Earum enim pestiferis dissentionibus finem imponebant, & ab insolentia & immanitate, ad modestiam & humanitatis cultum disciplina traducebant, & ab illis deinde omnes iniurias atq; pericula propulsabant. Omnes igitur, qui non erant mentis expertes, illorum imperium, non imperium, sed tutelam atq; patrocinium putabant. Si tantum igitur genus quoddam virtutis & officij mediocre, quod in illis hominibus eminebat, valere potuit ad victoriam parandam, & imperium amplificandum: quantas tandem vires vera & absoluta Christiani Principis virtus & humanitas habebit, ad ferociam immanis hostis acerrimè profligandam, & imperium propagandum, atq; valido & firmo præsidio muniendū? Hostes enim illum metuent, ciues amabunt, exteræ nationes admirabuntur, nomen illius per omnes regiones cùm singulari prædicatione vagabi-

## DE REG. INSTIT. ET

vagabitur; intelligentque tandem illum diu-  
 nis armis tegi, diuino præsidio cingi, diuinoque  
 munimento vallari. Nunquam igitur hosti suc-  
 cumbet, ut ullum in se dedecus admittat; sed  
 semper victoriam domum ingenti cum gloria  
 reportabit. Hac quidem conditione bellum  
 geret. In pace vero, in qua quidem multo diffi-  
 cilius est statum tueri, videndum est, quomo-  
 do statum suum atque dignitatem retineat.  
 Quid inquit M. tu difficilius putas in pace;  
 quam in bello imperium conseruare? Non ego  
 inquam solus: sed tu etiam, & omnes, qui id di-  
 ligenter animaduernerint, ita planè iudica-  
 bunt. Quid enim certius esse potest, quam id;  
 quod exitus omnium rerum publicarum, quæ  
 in gloria vixere, confirmauit? an parum liquet  
 omnia regna florentissima, & omnes imperio-  
 sas nationes à paruis initijs excitatas, assiduis-  
 que bellis exercitas maximas opes fuisse con-  
 secutas: pace deinde & otio constituto de sta-  
 tu concidisse, tantisque ruinis oppressas fuis-  
 se, ut ne vestigium quidem in plerisque illarum  
 antiqui splendoris & gloriæ remaneret? quod  
 quidem valde admirandum videtur. Quid e-  
 nim esse potest in causa, cur Resp. bellis cruen-  
 tis & periculosis, quæ ad illius perniciem &  
 exitium comparantur, crescât, & opibus sum-  
 mis augeatur: bellis vero perfuncta labefiat;  
 & post diuturnam pacem vires & opes amit-  
 tat, omnibusque bonis spoliatur? Persarum e-  
 nim imperium armis partum, longa pax & o-  
 tium deleuit: Græcorum opes ingêtes eadem  
 diuturnitas pacis afflixit: Romanum Imperium;  
quod

quod nullum vnquam in terris maius extitit, otium similiter, atq; nimia securitas euertit: & ne longius abeamus, regnum Hispaniæ florentissimum, otium olim comminuit atque dissipauit. Non est autem, cur plura exempla & testimonia conquiramus. Hoc enim in antiquarum rerum annales diligēter inquirenti planè constabit, magna imperia armis quaesita, pace & otio concidisse. Quid igitur? Pacē execrabimur, & bellum quantumuis graue & periculosum moliemur? sed facinus inhumanum est hominum stragem optare, humanamque salutem, quæ pace continetur, execrari. Quid enim pace dulcius aut salutaris dici aut cogitari potest? quid ergo causæ dicemus esse, cur ex re tam iucunda perniciēs enascatur: id quidem pacis vitium non est: sed eorū, qui pace vti nesciunt. Hæc igitur temeritas facit, vt nomen tantū pacis salutare sit, res verò ipsa pestifera. Vt enim facilius est res aduersas fortiter ferre, quàm secundas moderatè: ita etiam maior sapientia ad conseruanda pacis commoda, quàm ad belli pericula sustinenda flagitatur. Metus enim belli continet cupiditatem, refrenat libidinem, coercet intemperantiam, excitat pudorem, conseruat disciplinam, ducibus obedire docet; spe laudis & dulcedine victoriæ omnem laborem & dolorem tolerabilem atque incundum reddit; & periculorum consuetudine mortem contemere assuefacit. At vbi primū omnis strepitus belli conticescit, animus metu solutus pudoris & honestatis studium remittit, & liberius atq;



## DE REG. INSTIT. ET

licentius voluptatem, & omnia naturæ blandimenta, atq; lenocinia confectatur. Amori igitur nefario seruit, & sub Veneris regno vapulat, vt ille apud Plautum flagitiosus adolescens ait. Laudis igitur oblitus, totum se libidini cōstringendū dat. Vt sit igitur, vnde sumptus ingentes facere possit, pecuniæ studet, & malis artibus se totum applicat; & fraudibus opes alienas in rem suam auertere conatur; & furto etiam atque latrocinio libidinis materiam vndique conuehit, vt seipsum expleat. In quo quidem tamen frustra contendit. Pudoris enim vinculo laxata cupiditas, infinita & infariabilis est; nec vllis potest voluptatibus & oblectamentis expleri, imò quò plures voluptates vndique haurit, eò magis sitienter eas appetit, atque ad illas fruendas furentius incitatur. Studium verò pecuniæ animum etiam in terram deprimit, omneq; studium honestatis & gloriæ restinguit. Sic igitur luxuria, & avaritia, & malitia in dies crescente, omnis paulatim indoles virtutis obruitur; & fides omninò concidit; & societas ciuilis fraude & iniuria dissipatur; & quemadmodum in bello cōmune periculum omnes coniungit atque confociat: ita in pace securitas omnem coniunctionem dirimit, & quilibet non quid Reip. commodum & salutare sit: sed quomodo rem suā augeat, sibi cogitandum existimat. Qui verò principes haberi volunt, mollius & iucundius viuunt, maioreq; studio ad rem augendā incumbunt, nullumq; terminum pecuniæ cupiditati præfiniunt, summum verò pecuniæ studi

studium immanes opes sæpenumerò consequuntur: ex opibus fastidium & superbia nascitur, superbia verò omnia humanitatis iura violat. Nullam igitur rationem publici iuris, aut communis salutis habent; de plebis infimæ bonis prædas agunt, vt quacunque ratione possint, opes accumulent. Summis igitur opibus affluentes, delicias atque voluptates inflâmato studio persequuntur; omnemque beatæ vitæ rationem in libidinis infinitæ fructu constituunt. Quo autem magis virtute vacui sunt, eò se magis tumidos inferunt, & multò insolentius efferuntur. Nescio enim quomodo fit, vt virtutis interitum insolentia consequatur; & qui nihil neque virtute, neque industria valent, sibi tamen plurimum arrogēt, & assumant. Pudor igitur & verecundia pellitur, studium diuini & humani iuris omittitur; libido & audacia, & fraus, & iniuria dominatur; tenues potentium tyrannide vexantur; potentes in odium multitudinis incurrunt, inuidia pestifera contra eos, qui tenent omnia, concitatur, corpora & animi nobilium delicijs effœminantur. Principes autem, quorum maiores opes sunt, libentius opibus suis ad suum dedecus abutuntur. Secundis autem rebus elati, adulatorum turba circumsepti, tantò sibi delicatius viuendum existimant, quanto magis reliquis omnibus dignitate & opib<sup>9</sup> antecellunt. Illis igitur, qui libidines frangere, & petulantiam coercere, & iniquitatē supplicijs afficere debuissent, eneruatis, atq; de omni dignitate deiectis, q̄ spes erit in populis

DE REG. INSTIT. ET

reliqua, aut quomodo poterunt salutem incolumem, vel ab intestinæ discordiæ tempestate, vel ab externi belli incendio conseruare? ut autem in summa omnia dicam, animus secundis rebus inflatus atque lasciuiens obedientiâ abijcit, conculcat leges, perstringit iura, recusat imperium, impudentiam corroborat, & cõ firmat audaciam. Cùm igitur virtutis lumen extinctum sit, impudentia alacris & erecta volitet, nemoque cum reliquis de salute communi consentiat, sed omnes, quantum possunt, publica commoda dissipent, ut rem suam augeant, & inter se nefariè dissideant: qua tandè ratione declinari poterit Reipub. totius exitium? Accedit postremò ad hæc omnia mala numinis diuini vindicta, quæ legum interitû, & religionis negligentiam, & intolerandum fastidium, & contumeliam, imbecillitate & amentia, & seditionibus, & bellis vlciscitur. Frangit enim Deus pacis sceleribus offensus, Reipub. vires, principi mentem eripit, animûque illius abijcit, & spem debilitat, & nobilitatem formidine perterret, & plebis animos metu impèdentis calamitatis excruciat. Omitto morbos pestiferos, terræ sterilitatè, annonæ caritatem & famem, & reliqua mala, quibus Deus nationis insolentis arrogantiam cõprimit, & opes Reipub. diuitijs innixas consumit, statumque labefactat, vsque eo dum eum perdat, & affligat. Cùm igitur hostis aduentat, nemo vultum illius aspicere audet, sed omnes salutè in ignominiosa fuga constituunt. Quid enim illos ad fortiter resistendum incitare potest?



rest? virtus enim nulla est; patriæ caritas cum amore dignitatis euauit; armorum studium obsoleuit, vires eneruatae sunt, mentes tenebris obruuntur; temeritas & amentia in dies amplificatur; desperatio summa tenet animos omnium, & Dei numen interim quotidie magis offenditur, & hostis potentia atque robur augetur, & furor illius ad omnia ferro atque flamma populanda acrius incitatur. Hoc enim est diuino consilio decretum, vt cum gens aliqua otio corrupta, ad summam iniustitiam & impietatem peruenit, alterius gentis opibus & potentia deleatur. Hæc quidem vitia sunt, quæ pacem diuturnam cum diuitiarum affluentia consequuntur, quibus maxima imperia funditus tandem intereunt. Nam genus humanum in magna rerum copia spiritus ingentes assumit, neque legibus vllis frenari potest: & ij, quorum grauitate & constantia regi atque frenari debuissent, propterea quod maiores opes habent, sunt multo magis, quam reliqui homines, qui sub eorum imperio sunt, impotentes & immoderati. His malis omnibus vnũ tantum remedium est, nempe summa Regis sapientia, cum summa moderatione atque singulari virtute coniuncta. Primũ enim ne in summa quidem pace bellum procul abesse putabit; videbit enim quàm fluxa sit hominum fides, quanta sit vis inuidiæ, quantæ fraudes in vita communi versentur, quàm varia, & commutabilis, & quantis casibus obiecta sit felicitatis humanæ conditio. Beatum esse prædicat Salomon illum, qui semper timet (hoc est) qui

DE REG. INSTIT. ET

cautus & prouidēs est, & ad oīa mala, quæ pos-  
sunt in illū incurfare, depellēda paratissimus.  
In pace igitur de bello cogitabit, & iuuentu-  
tem armis exercebit, & quasi hostes aduētent,  
in Reipub. semper specula manebit, nec arma  
vnquam relinqui atque deferri patietur. Cū  
verò ita se ad omnes belli casus intrepidē su-  
stinēdos egregiē firmauerit: tum maximē bel-  
lum contra auaritiā, nequitiam, intemperā-  
tiam, fastidium, & arrogantiam, contumeliā,  
contra flagitia deniq; omnia, & scelera compa-  
rabit. Hi namq; sunt hostes Reip. sempiterni.  
Hæc sunt mala, quibus imperia maxima con-  
cidunt. Hęc bella, quibus omnes opes humanę  
funditus euertuntur. Mollis igitur & delicatę  
vitę luxum coercebit, ingētes sumptus in res  
leues & ludicras fieri minimē sustinebit: in o-  
tium, & desidiam, & ignauitiā seuerissimē vin-  
dicabit, omnes artes vtilēs Reip. fauore, & be-  
nignitate, & propositis præmijs excitabit: le-  
ges & instituta, quibus vitia conuellat, & vir-  
tutes eliciat, in Rep. conferet: neque solū da-  
bit operam, vt iudiciorum seueritate licenti-  
am comprimat, sed multò etiam magis mori-  
bus, & exemplo libidinem ciuium refecabit.  
Intelliget enim tunc esse diligentius in Reip.  
custodia vigilandum, cū est maior ad faci-  
nus audacia, & minor ad flagitium verecun-  
dia, & quidquid fuerit admissum, fore vide-  
tur impunius. Nec enim tam metuendi sunt  
hostes externi, quàm ij, qui nobiscum viuunt.  
Illorū nanque vim & insidias faciliē murus in-  
teriectus auertit; hi verò citius opprimunt,  
quàm

quàm intendi nobis insidias suspicari possimus; & illorum impetus vna tantùm virtute sæpè reprimitur, nempe fortitudine. At ciues malefici & fraudulentum, non fortitudine tantùm, sed sapiètia, & modestia, & æquitate, virtutumque omnium comitatu instructa totius dignitatis acie repellendi sunt. Præterea nulla vnquam potens & imperiosa ciuitas prius armis externis excisa fuit, quàm intestina peste atque pernicie conuulsa fuisset. Vnde colligitur, quanto maius, difficilius, & perniciosius sit hoc bellum, quod post longam pacem & otium contra Reip. statum mouetur, illo, quod ab hoste externo comparatur. Illud em̄ nunquam perniciem poterit afferre, nisi prius illa ciuitas, quam oppugnat, fuerit impudentia, & auaritia, & luxuria, & arrogantia, & reliquis flagitiorum pestibus infecta, et seditionibus intestinis exagitata. Qui igitur putat difficilius et præclarius esse hostes in bello fundere, quàm domi flagitia profligare: demēs profectò est, & regiæ virtutis ignarus. Est quidem igitur optanda pax, sed non illa, quæ insidioso pacis nomine, bellum pestiferum moribus atque rectæ disciplinæ molitur; est otium expetendum, sed otium cum honestate coniunctum: non illud, ex quo flagitium & dedecus ad perniciem totius honestatis illabitur: sunt pro libertate vota perpetuò facienda, sed pro illa libertate, quæ mētis altitudine & virtutis immunitate cōtinetur: non pro illa, quæ animū omni pudoris vinculo laxatū nefarijs flagitijs addicit. Opes parādæ sunt, sed opes illæ, quæ sint



DE REG. INSTIT. ET

instrumenta virtutis: non quæ materiam effrenatæ libidini præbeant, omnesq; virtutis nervos elidant. Ne autem singula persequamur, hoc satis fit admonere, esse in pace diligentissimè providendum, ne falsis bonis illusi, in verissima mala furenter incidamus; & dum vt beati simus enitimur, miseriam sempiternam nobis ipsi comparemus. Ergo cum in pace multo grauiora mala sint, quæ possunt nos opprimere, nisi sapienter illa multo antè declinauerimus: & cum secundis rebus elatus & inflatus animus regi difficillimè possit, quis non videt, quanto sit maius atque difficilius Rempu. opibus florentem, & otio lasciuientem frenare, & tãquam in rationis gyrum ducere, quàm eam, quæ est bellis vexata, & in periculis constituta? Hic igitur princeps noster, quem summa sapientia præditum, omnibusq; simul virtutibus ornatum & excultum esse volumus, efficere poterit, vt nullum omninò malum ex bono pacis oriatur: sed quod est multo magis naturæ consentaneum, ex pace fructus in omni genere salubres atque iucundi capiantur. Nunquam enim committet, vt gubernacula negligenter tractet, cum tranquillitatem à bellis externis esse perspexerit: sed tunc multo etiam diligentius laborabit & vigilabit, ne alia grauior tempestas Reipub. nauem iactet, & ad cœcos scopulos allidat. Non igitur Remp. curis omninò vacuum, & omni metu solutam esse patietur: sed eam armis instruet, & munitionibus firmabit, & ornamentis pacis excolet, & bonis artibus erudiet, in eoque omnem indu-

industriam consumet, ut eam virtutibus ornet, & reliquis bonis ita locupletet, ut nunquam illis ad dedecus, aut perniciem abuti queat. Cum verò constet omne decus atque salutem in sapientia consistere: ea namque est, quæ mentem veris opibus illustrat, & reliquis bonis scienter uti docet; operam certè dabit, ut Respu. sit etiam studio philosophiæ florētissima. Philosophia namque, si bene constituta fuerit, non erit unquam comes ignaviæ, sed vigilantia magistra. Non homines à studio publicæ salutis abducet, sed cupiditate publicæ salutis incendet. Non superbiam, & insolentiam gignet: sed ad modestiam & verissimū decus incitabit. Nec enim hic de sophistarum garrulitate, & ostentatione, neque de quorundam præstigijs, qui falso nomine sapientiæ scelera infinita contegunt, orationem habemus. Fate-mur enim, quò res clariores & ampliores sūt, eò, cum ad improbos deferuntur, maiorem pestem atq; perniciem cōmunibus reb<sup>9</sup> inferre. Quocirca mirum non est, si multi homines eruditi pestem rebus suis publicis attulerint. Improbis enim homo, quò fuerit disciplinis instructor: eò callidius, & (ut sibi quidem videbitur) impunius in civium pesteverfabitur. sed quemadmodum nō ideò sunt arma bonis detrahenda, quòd improbi illis malè utantur: imò ideò boni diligentius armandi sunt, cum mali furentius arma tractant, ut furor armatus armata etiam virtute repellatur: sic etiam ne possint improbi homines disciplinarū armis, & eloquentiæ vi & magnitudine subnixi,

DE REG. INSTIT. ET

exitium & vastitatem rebus præclaris inferre, sunt boni præclaris artibus & eloquentia corroborandi; ut facilius possint impetum hominum perditissimorum reprimere. Atque haud scio an ob eam causam utile rebus humanis fuisset legem ferri, qua non omni, qui vellet, liceret præclaris disciplinis operam dare: sed illis tantum, qui essent acri ingenio, & animo magno, præclaraque virtutis indole præditi. Vbi namque in prima illa puerili institutione factum fuerit naturæ uniuscuiusque periculum, vellem neque tardum ingenium diutissime in philosophiæ studio detineri, ne operam perdat: nec acutum, si fuerit ad vitia propensum, artibus præclaris institui, ne studiis honestissimis ad flagitium atque scelus abutatur. Quod si hoc non facile præcaueri poterit, aut si etiam illi, quos ingeniosos, & magnanimos, & bene à natura informatos esse putabamus, fuerint ad flagitia delapsi: non patietur sapiens Rex eos ullo modo Reip. capessere. Imò quò fuerint magis eruditi, eò diligentius & acrius eos à Reip. gubernaculis reijciet, & si opus etià fuerit, à regni finibus exterminabit; & sic tandem fiet (ut iam diximus) ut neque Philosophi probi sint inutiles, neque flagitiosi pestiferi. Probos enim secum coniunget, illorumque sapientia perfruetur: improbos autem, ne nocere aliquo pacto possint, expellet & eijciet. Sed interim venit mihi in mentem unum restare argumentum, ex his, quibus noster T. dicebat, à plerisque philosophiam exagitari, quod nondum est dissolutum. Quod nam inquit M. Hoc nempe, quod dicunt, eo tempore, quo Lusitani li-

teras



teras ignorabant, magna facinora in rebus bellicis effecisse: hoc autem tempore, quo sunt apud nos permulti adeò literis & omni genere doctrinæ perpoliti, vt cum doctissimis nostræ ætatis hominibus comparentur, vix ea, quæ sunt maiorum virtute parta, retineri. Vnde concludebat, summam eruditionem esse cum Rerumpublicarum labe coniunctam. Primum quidem id falsum est; quantum enim ex nostris annalibus conijcere licet, antiqui Lusitaniæ Reges, & Principes in illis temporibus parum cultis se cum literis oblectabant, & historias & sapientiũ hominũ scripta legabant, & sacris etiã literis multũ vtebantur; cuius quidem rei testis esse potest & eorum vita, & mores, & sententiæ, quibus eorum conciones refertæ sunt. Deinde non sunt hoc tempore nostræ res ita deploratæ, vt non infideat in multorum animis spes, eas multò florentiores atq; meliores futuras. Prætereà vt id verum sit, non tamen ex eo efficitur, optimas disciplinas esse à principe Reip. contemnendas. In multis quidem Rebuspub. hoc accidisse constat, vt tunc summa eruditio vigeret, cum illarum exitium appropinquabat: sed non propterea statuendum est eruditionem summam, causam Rebuspub. calamitatis attulisse. Imò si aliquod remedium ad auertendam calamitatem excogitari poterat, id totum erat in sapientiæ studio constitutum. Longa enim pax, & summum otium, quemadmodum omnia mala fert, quæ diximus: ita etiam tempus & materiam præbet, & instrumenta subministrat,

quibus

## DE REG. INSTIT. ET

quibus homines excellenti ingenio præditi, summam sapientiam adipiscantur. Reliquis enim curis expediti, & otio abundantes, omne illud tempus, quod reliqui homines in libidine, flagitio, & scelere ponunt, in animorum cultu, & in naturæ peruestigatione, & in rerû diuinarum consideratione consumunt. Cùm verò ij, qui otium ad perniciem Reipubl. conferunt, sint innumerabiles, & illi potissimum, qui plurimum in Rep. possunt, intemperantia & flagitio suo Reip. pestem & exitium machinentur; qui verò sapientiæ student, paucissimi, & ij non maximis opibus affluentes: euenit vt simul cum sceleris amplificatione, quod Reipub. interitum affert, paucorum hominum sapientia (quæ quidē natura sua salutaris est) amplificetur. Quod si idem sapientiæ studium, quod in quibusdā hominibus insidet, in principibus Reipub. viguisset: facilè omnes Reip. morbi pellerentur, & vulnera omnia sanarentur; & otium, quod solet esse pestiferum, salutare omnibus existeret. Nulla enim medicina adhiberi potest ad vitiosas Reipub. partes sanandas efficacior. Principis enim optimi sapientia, facillimè homines opibus & potentia florentes, ab ignauia & turpitudine ad virtutē & honestatem traduceret; vniuersamq; Rempu. illecebris ipsius honestatis, in studium industriæ & fugalitatis incitaret. Vestigia namque, & auctoritatem, & imperium optimi & sapientissimi principis omnes libenter & studiosè sectarentur. Cùm autem rarò admodum accidere soleat, vt princeps timore bellorum

vacuus,

vacuus, & opibus summis abundans, otium ad studium sapientiæ conferat; sed potius tota mente omnes voluptates nefarias exquirat, cōtrā fit, vt omnes sese tunc ad nequitiam applicent. Quamuis enim omnes plerumque Principum imitatores existant, multò tamen facilius eorum flagitia, quàm virtutes imitantur. Cùm verò id sæpè euenire videamus, vt qui maximis vitijs affines sunt, aut Principes, aut Principum affectæ sint; tenues enim homines nò ita facilè possunt propter inopiam magna moliri; sed ij, qui plurimum opibus & potentia valent: euenit vt isti potentes homines aspernètur atque respuant totū illud, quod est eorum libidini & impuritati contrarium. Nihil autem est tam aduersarium eorum libidini, quàm veræ sapientiæ disciplina. Qui enim verè & ex animo sapientiam colunt, nec adulari, neque mentiri, neque potentium libidini seruire possunt. Ea autem de causa fit, vt neque potentes, neque vulgus hominum, qui potentibus adulantur, aut eorum auctoritatem imperitè sequuntur, ea studia, quibus sapientia paratur, probare queant: sed ea vituperent, & calumnientur; vsque adeò, vt malum, quod est vitijs attribuendum, sapientiæ disciplinis attribuant. Hoc enim perinde est, atque si cùm ciuitas periculosis morbis esset infecta, homines illorum morborum causam, neque summis vitæ delicijs, neque immodicæ ciborum copiæ, neque libidinis intemperantiæ, neque vitijs infinitis ascriberent, sed medicinam tantùm accusarent, tanquam per eam illa tanta morbo-



morborum vis fuisset inuecta. Quo quid fieri  
 posset amentius? Est autem studium sapientiæ  
 animi verissima medicina, quæ cū semper val-  
 de necessaria sit, tum vel maximè, cū Respu-  
 opibus & luxu circūfluit, & illis ipsis vitæ cō-  
 modis & oblectamentis, in quibus omnem fe-  
 licitatem ponit, obruitur. Sed quemadmodū  
 cū corpus ita pestiferis morbis oppressum  
 est, vt nulla pars illius aliquid roboris & sani-  
 tatis retineat, nulla medicina potest in sanita-  
 tem restitui: ita cū vniuersa Respu. peste la-  
 borat, & mortiferis morbis impedita est, nul-  
 lo modo paucorum sapiētia poterit in pristi-  
 nam valetudinem reuocari. Quod si à princi-  
 pio philosophia fuisset à Rege, & à principib<sup>9</sup>  
 egregiè culta, nunquam Respub. in tam pesti-  
 feros morbos incidisset; nec otium, ad quod  
 parandum atque fruendum omnia negotia cō-  
 feruntur, tantas calamitates attulisset. Non est  
 igitur in his studijs calamitatis causa; sed cala-  
 mitatis vnicum remedium collocandum. si e-  
 nim rex diuino quodam beneficio his studijs  
 deditus, non solum vitæ præceptis sanctissi-  
 mis abundauerit, ad Remp. sapientius atq; feli-  
 cius administrandam, sed etiam multos maxi-  
 mo ingenio præditos acriter inuicem inuicem  
 quorum præsidio septus multò facilius Remp.  
 moderetur; tum demum exploratè cognosci  
 poterit, bonarum artium disciplinis minimè  
 labefactari Rempub. sed firmari potius, & va-  
 lido præsidio cōmuniri. Rex igitur hic noster  
 (vt in propositum redeamus) non patietur vl-  
 lo modo in pace Remp. desidia corrumpi, diu-  
 turnoq;

urno que otio intabescere: neque committet,  
vt pax & tranquillitas maius malū afferat ho-  
minibus, quàm illud ipsum, cuius auertendi  
gratia belli tempore supplices ad omnia alta-  
ria preces cū lachrymis adhibebant. Ergo quē-  
admodum nec agricolæ, neque mercatores,  
neque fabri, nec opifices, neque operarij mu-  
nera sua tempore pacis omittunt: ita neq; mi-  
lites, neque duces, neque imperatores arma  
deponent, neque Reipublicæ custodes atque  
moderatores munus & officium suum dese-  
rent: nec illi quidem, qui artes eas colunt, quæ  
voluptatis honestæ gratiâ utiliter inuentæ  
sunt (est enim corpori necessarium laboris al-  
leuamentum, ita tamen vt sit semper cum ho-  
nestate coniunctum) sese ab artibus suis remo-  
uebunt. Pictores igitur, & cantores, atque poe-  
tæ, qui non artificio suo effigiem turpitudinis  
& impuritatis expresserint; sed omnia suarum  
artium oblectamenta ad honestatem contule-  
rint; hi namque soli voluptatum artifices in  
Rempubl. retinendi sunt, qui ad honestatem  
alliciunt: artes suas, fauore & benignitate Prin-  
cipis inuitati conseruabunt; reliqui omnes si-  
militer sub bono Principe se in illis artibus  
exercebunt, ad quas præcipuè nati sunt, & in  
quas plurimum operæ & studij contulerunt,  
& ex quibus fructus aliquis vel utilitatis iu-  
stissimæ, vel voluptatis honestissimæ percipi  
potest. Nullus deniq; erit in Repub. cuius ali-  
quod opus non extet, quod in communem fru-  
ctū conferatur. nihil enim erit apud illos otio  
& ignauia turpi<sup>9</sup>, nihil magis ab omni Rep. de-  
testan-

DE REG. INSTIT. ET  
restandum. Vt enim Vergilij versibus luculen-  
tissimis vtar:

*Qualis apes aestate noua per florea rura  
Exercet sub sole labor, cum gentis adultos  
Educunt fetus, aut cum liquentia mella  
Stipant, & dulci distendunt nectare cellas.  
Aut onera accipiunt venientum, aut agmine facto  
Ignauum fucos pecus à præsepibus arcent.*

Sic omnes ciues certatim elaborare debent,  
vt quisque pro parte sua Rempu. iuuet, & tam  
vim externam, quàm fraudem intestinam re-  
pellat, ne quicquam sit impedimento, quo mi-  
nus Respub. felix atque florens sit. Sequitur  
deinde:

*Feruet opus, redolentiq; thymo fragrantia mella.*

Iuuat carminibus poetæ maximi atque val-  
dè politici & sapientis vti, quibus apum simi-  
litudine ponit nobis ante oculos illam sedu-  
litate & industriam ciuium, qua quisq; quã-  
tum natura & artificio poterat, tantum in illã  
urbem conferebat: sic igitur in regno necesse  
est, vt totius patriæ opulentia atque felicitas  
omnium ciuium operibus, & studijs, & artib<sup>9</sup>,  
& officijs expleatur, & quilibet aliquid in cõ-  
munem utilitatem conferat, vt sic tandem pel-  
latur ignauia, & exultet iniquitas, & iniuria,  
nulla vis, nulla fraus honestum otium pertur-  
bet, inopia, quæ desidiã consequi solet, ex-  
terminetur, & omnes ciues sint inter se æqua-  
bili iure deuincti, foedere firmo consociati, &  
mutuis opibus vtrò citroq; benignè collatis  
in omni rerum varietate muniti, & ciuili cari-  
tate & benevolentia coniuncti. Hac igitur ra-  
tione



tione & vigilantia Rex sapiens in pace Remp. conseruabit, ita vt non possit otio corrumpi, & de statu dignitatis amplissimo detorqueri. Huius autem ciuilis societatis, & summæ felicitatis, & otij non inertis, sed honestissimi maximeque expetendi rex artifex, & moderator, & dux, & architectus est. Hoc est enim illi opus propositum, hoc illi onus incumbit, hoc illius officium & munus est, hoc intueri, hoc moliri & efficere debet, vt Respub. sit voluntate consentiens, ordine constans, viribus firma, opibus abundans, moribus ornata, gloria præcellens, in bello semper inuicta, in pace & otio moderata. Hoc autem, vt præstare possit, summa alacritate, studio, vigilantia, industria opus est; neque enim tantum munus potest sine perfidiæ scelere, non dico negligi omninò, sed parum strenuè, aut parum diligenter obiri. Si enim iudices pecunia corrupti ius & fas omne violauerint: si milites exercitum deseruerint: si duces in administrando bello timiditatis aut desidii significationem dederint: si consiliarij, vt rei suæ familiari consulant, Rempub. consilio scelerato prodiderint: si religio denique à sacerdotibus parum castè atq; sanctè culta fuerit: si denique propter publicum aliquod scelus Respub. vel fame vel pestilentia laborauerit: vel afflicta pestiferis bellis extiterit, omnium horum malorum culpa regi necessariò sustinenda est. Officium enim illius est præcauere, ne quisquã in officio suo delinquat; & ita rebus animum intendere, nè scelus vllum confietur, vel saltem ne impuni-

## DE REG. INSTIT. ET

tum remaneat, aut virtus honoris repulsam patiatur. Considerate igitur, quàm non solum constans, & fortis, & sapiens: sed etiam vigilans, & attentus, & industrius Rex sit oporteat, qui hoc in se recepit, vt Rempu. suæ fidei & diligentia commissam, incolumen ab omni clade cõseruet; & opulentã, & fortẽ, & honestã & omnib<sup>9</sup> corporis & animi bonis affluentem efficiat. Fieri igitur nõ poterit, quin si Respu. malũ aliquod graue subierit, Rex ipse p̃fidia infamiam sempiternam subeat. Hic M. rectè inquit, si vereor ne difficilè sit Regi persuadere, vt vitam curis anxiam, & laboribus exercitam, & ærumnis afflictam agat: vt reliqui omnes curis vacui, & solitudine liberi, in tranquillitate versentur (hoc est) vt ipse solus miser sit, vt omnes, qui sub illius imperio sunt, beati esse possint. Quid? inquam, tu miserum putas Regem esse, qui suum officium facit? Miserum certè, inquit, illum multi putabunt, si tam multis curis fuerit distentus. Quo modo enim poterit tam multa negotia, quàm multa ad illum oratione tua detulisti, quamuis sit admirabili industria, sustinere? difficile profectò est. Sit inquam, quantum velis difficile. Cùm enim nihil sit præclarum & amplũ, quod arduum, & laboribus plenum non sit, regisque splendore & magnificentia nihil sit in vita clarius & amplius, consequens est, vt munus & officium regis sit maximis laboribus atque difficultatibus implicatum. Qui tamen amplitudinem tantæ dignitatis intuetur, omnem laborem tolerabilem iudicabit. Quod si

aliquis

aliquis princeps tā puſillo animo eſt, vt laborem extimeſcat, regni procurationem, qua quidem eſt indignus, abijciat. Tantum enim munus non niſi maximis & acerrimis animis & cupiditate immortalitatis incenſis committi rectè poteſt, qui præ veriſſimæ dignitatis ſtudio vltro etiam labores appetant, & omnia pericula vitæ contemnant. Præterea non eſt tanta gerendi huius muneris difficultas, quanta ſpecie prima videtur; ordine enim Reip. conſtituto, ſingulis muneribus cōmodè diſtributis & ea moderatione, quam Reip. ratio poſcit, adhibita, etiam quæ difficillima fore videntur, nō difficilimè tranſiguntur. Vt enim in horis poſtquā illa rotarum connexio, & implicatio & ponderum inæqualium pro rata portione contentio, & omnis deniq; illa machinatio fuerit ſolertiſſimè conſtituta, facillimum erit totum illud horologium moderari; & quoties ab inſtituta ratione diſcrepare videbitur, ad numerum & æqualitatē reducere: ſic poſtquā Reip. ratio ſapienter inſtituta eſt, & temperamētū recti ordinis & moderationis adhiberetur, & munera ſapientiſſimè diſtributa: non tam difficile eſt, quā multi fortasſè ſuſpicantur, totam Reipublicæ machinam, eodem ſemper ordine conuerti, & cū aliqua ex parte ab inſtituta moderatione defecerit, prudentis rectoris vigilantia ad numerum reuocari. Atque vti maximi cuiuſdam exercitus imperator milites facile moderari poterit, ſi exercitum in cohortes, & manipulos, & in certa vexilla diuiſerit, & ſingulis ordinibus præfectos ſingulos



DE REG. INSTIT. ET

militiæ peritos assignauerit, vt faciliè imperium illius per maiores duces ad minores, atque ad singulos tandem milites ordine percurrat: sic in Repub. diuisis in ordinibus & generibus nominum ad certas curias aut tribus reuocatis, & rectoribus militum delectis, & iudicū etiam ordinibus diligentissimè constitutis, & legibus etiam, quæ singuli muneribus suis obeundis sequantur, impositis, nõ erit ita difficile vniuersam Rempub. in officio continere. Præterea illud etiam considerandum est, esse non paucos homines virtute & sapientia præstantes, in tanti operis atque muneris societatem conuocandos, vt facilius perfici possit, & cum amplitudine dignitatis & communis vtilitatis expediri. Est etiam animaduertendum difficilè nõ esse, quod cum voluptate fit, Regis autem officium esse cum summa voluptate coniunctum intelligi rectè poterit, si voluptatis constantis & firmæ ratio fuerit explicata. Primùm igitur voluptas non est in otio posita. Si enim ita esset, nihil esset in vita cessatione iucundius. Itaque omnes natura duce sine vlla ratione hoc vnum maximè expetendum iudicarent, nempe nihil agere, nihil moliri, nunquam à loco in locum moueri: sed instar æneæ cuiusdam statuæ in eadem semper sede immobilem permanere. Quod non ita est, imò constat nihil esse in vita molestius, quàm nihil agere omninò. Itaque bruta animalia motus liberos requirunt, & si alligata fuerint, vincula, si possunt, perrumpunt, vt liberè cursitent. Pueri teneri non possunt  
 quia

quin cursu, & saltu, & motibus assiduis defatigantur. Adolescentes etiam ludis admodum laboriosis & certaminibus oblectantur. Homines etiam ætate grandiores, atque adeò senes, qui se vix loco mouere possunt, aliquid tamen semper agere student, vt otij fastidium & iucunditatem vitent, intolerandamque cessationis molestiam à se dimoueant. Vnde concluditur naturæ iucunditatem non esse in otio, sed labore collocandam. Tunc enim voluptas existit, cùm antegressa est cupiditas; voluptate enim afficimur, quoties id, quod valdè expetamus, assequimur. Non autem otium atque somnum sempiternum: sed sempiternam actionis & agitationis iucunditatem expetimus. Vnde concluditur voluptatem in actione consistere. Est enim voluptas perfecta vis & efficientia sensus, id quod est ad naturam illius accommodatum, absolutè consecuti. Hoc ita posito, considerandum est, cùm animo constemus & corpore, duplicem voluptatem in nobis esse: vnã quam sensibus corporis vsurpamus: alteram quam mentis & rationis sensu percipimus. Videndum est igitur nunc, quænam voluptas nobis magis expetenda sit, vt vitam iucundissimè traducamus: Ea ne, quæ corpus titillat, atque iucunditate perfundit? an potius ea, quæ mentem gaudio complet? Primum quidem voluptas corporis pura & liquida esse nõ potest. Est enim semper cum aliqua molestia & acerbitate coniuncta; tamdiu enim in bibendo voluptatem sentimus, quamdiu nos sitis vexat; extincta verò siti, bibendi etiã

## DE REG. INSTIT. ET

voluptas extinguitur. Sic etiam de epularum suauitate, & de reliquis eiusmodi voluptatibus dici potest; eas omnes desiderij breuis & minime constantis expletione contineri: ita ut magis molestiarum depulsiões, quàm voluptates appellandæ sint. Idcirco fit, ut voluptas corporis sit fluxa & instabilis, & momento temporis euanescat; deinde cum effluerit, eam satietas atque fastidium consequatur. Quod autem maiores voluptates sunt, eò maiora illas fastidia consequuntur. Sic autem fit, ut futilem & inanem voluptatem, molestia sæpè grauis atque diuturna contaminet. Præterea voluptates istæ mentem & rationem eripiunt, & animi totius statum labefaciunt, & quod est consequens, insigne dedecus inurunt, ex quo fit, ut cum euauerint, grauissimam poenitendi causam relinquunt. cum enim simus natura maxime honestatis appetentes, necesse profecto est, ut recordatione turpitudinis atque dedecoris afflictemur. Quæ igitur hæc voluptas est, quæ nunquam est à molestia seiuncta? quæ, priusquam dulcedo illius sentiri posset, euauit? quæ graues molestias atq; diuturnas inuehit? quæ hominis præstantiam dedecore omni contaminat? de immoderata voluptate loquor, non de illa, quam modus, & ratio, & leges, & iura præfiniunt. Itaq; hoc sanè constat, homines, qui corpori nimis addicti sunt, fallacissima voluptate delusos poenis assiduis excruciarī. Quid illud, quantum mali est? quod flagitiosæ voluptatis consuetudo homines brutis animantibus simillimos reddit, & ferinis moribus



ribus turpiter obsequentes. Quod sine graui animi angore & cruciatu fieri nequit. mens enim de statu detrusa, & cupiditatis vinculis impedita, cùm natura ad decus & laudem aspi- ret, & contra naturam dedecori & ignominia seruiat, fieri profectò nō potest, quin acerbis- simè torqueatur. Quò autem magis est cupidi- tatib<sup>9</sup> impurissimis addicta, eò grauiores pœ- nas amentia per soluit. Quod vt facilius intel- ligi possit, fingamus animis principem maxi- mum prestigijs illusum, & sponte sua de folio deiectum, vt hominibus nequissimis obsequa- tur. Illi verò adultores intemperantissimi tã impudentes sint, vt mediocri atque tolerabili Principis amentissimi seruitute contenti esse non queât: eo que tandem rem deducant, vt il- li, quem iam impotenti dominatu oppressum tenent, plagas etiam imponere, si illis ad nutū præsto non fuerit, minimè vereantur. Sint autē morosi, atque difficiles, & inter se sensu atque sententia discrepantes. Vnus autem ex illis sit amore leuissimo perditus, alius avaritia im- mani flagret: populari vento atque tempesta- te iactetur: alius denique alijs cupiditatibus nefarijs stimulatus sit. Cuiuslibet autem cu- piditas sit immensa & infinita: ita vt satiari nō possit. Ille igitur miser olim princeps, mo- dò seruus, sub improbissimorum mancipio- rum insolentia & libidine constitutus; quo tandem modo omnibus seruire poterit, cùm ne vnus quidem libidinem explere aliquo pacto queat? Fac igitur, vt eodem simul tempo- re alius aliud imperet, & quilibet eorum illū

DE REG. INSTIT. ET

minis exterreat, & plagas eidem etiam infligat: si vni domino paret, alterum lædit: si vnius iram placat, alium offendit. Qui offensus est, repentè sine vlla misericordia membra illius miseri contundit, atque fuste debilitat. Sic autem dum alius aliud obiectat, & illum acerbissimè criminatur, necesse est illum in contrarias partes distrahi, atq; dilacerari. Hæc porrò similitudinem ad animum transferamus, in quo quidem ratio principatum obtinet. Illa tamen liquefacta blanditijs, & adulatione cupiditatis impulsæ, & vehementia libidinis incitata, eò paulatim redigitur, vt seruiat auaritiæ, libidini, atque leuitati, omnemque beatæ vitæ rationē in harum pestium dominatu constituat. Quælibet autem harum cupiditas est immoderata, nec vllis terminis circumscribi potest. Vbi enim primùm ratio destatu suo demigrat, nihil relinquitur in animo, quod temeritatem coerceat. Sic autem fit, vt cum multò plura semper appetat libido, quàm adipisci queat, multis partibus superet ille cruciatus animi lætitiã illam, qua interdum intemperantes homines efferuntur. Cum enim (verbi gratia) pecuniam infinitè concupiscant, quamuis multis pecunijs abundant, magis tamen illos cruciat argentum, quod nõ habent, quàm delectet id, quod habent; & ita necessario fit, vt gaudium sit exiguum, idque cum sollicitudine & afflictatione coniunctum, cruciatus autem sit assiduus & immensus. Sic etiam de libidinis intemperatiã, de immoderata honorum ambitione dicendum; fieri non posse,

posse, vt tantam lætitiã afferat animis rei furentius appetitæ præsentia, quantam moestitiã inuehit maiorum commodorum ( vt videtur ) atque voluptatum , quæ nimis sitienter appetuntur, absentia. Inde verò grauis offensio , odium, anxietas, & iracundia, & aliæ eiusmodi perturbationes oriuntur ; quæ animum in diuersas partes trahunt, eumque omni crudelitate dilacerant. Aliud enim cogit libido, aliud impellit auaritia, aliud hortatur ambitio, aliud iracundia facere admonet, si libidini & luxuriæ seruit, sumptus ingentes facit, & eorum deinde recordatione torquetur: si obsequitur auaritiæ, Veneris etiam immanitate & impatientia cruciatur: si popularem auram captat, ambitione districtus omnes rumusculos extimescit, atque ad aliorum dominorum impotentiam, feritatem etiam plebis adiungit: & adulari populo atque assentari condiscit. Hæc igitur ratione animus de statu deiectus, & auaritiæ atq; multiplicis cupiditatis imperio coactus, ancipiti cura & sollicitudine distinetur; & tabe pestifera, & intollerabili cruciatu conficitur. Quamuis autem non alius doloris sensus animum pungeret, atque vulneraret; turpitudinis certè conscientia illum ita vehementer affligeret, vt esset illi necesse in perpetua acerbitate versari. Cùm enim insita naturæ cupiditate in studium honestatis incitemur, & ad verissimum decus & laudem nati simus; necessariò fit, quoties in nos flagitium admittimus, aut falsa imagine dignitatis illudimur, vt nos impuritatis & amœtiæ poeniteat, & gra-



DE REG. INSTIT. ET

nes erroris nostri pœnas exoluamus. Cùm igitur animus corporis voluptatē sequitur, quāvis interdum cupiditate cæcus exultet, immoderataque lætitia desipiat, multò tamen maiore ex parte dolore atque mœstitia cōflictatur. Breuissimā enim illam voluptatem tristes curæ atque sollicitudines antecedunt; & cùm adesse videtur, non sine molestiæ cuiusdam admittione percipitur; & cùm effluerit, nō mediocre dolorem propter admissum dedecus inurit. Hæc est hominum vita, qui non rationem, sed cupiditatem indomitam sequuntur, qui tamen quamdiu rei familiaris angustia laborant, & legibus alligantur, atq; iudiciorum metu continentur, morbis quidem illi medicis vexantur, & curis grauissimis afficiuntur, quæ vitam fatis acerbam & ærumnosam efficiunt; eorum tamen ægritudines medicæ atque tolerabiles esse videbuntur, si cum alijs multo grauioribus collatæ fuerint. Vbi enim primùm augentur opes, diuitiæ redundant, & spes maioris licentiæ & impunitatis offertur: animis ipse dominatu cupiditatis oppressus, ad spem felicioris conditionis erigitur. Existimat enim se posse facillimè cupiditatem satiare, & ita maxima quadam voluptate, & perpetua suauitate compleri. Quod longè secus euenit. Opibus enim summis & spe impunitæ libertatis & licentiæ proposita, multo vehementius irritatur ipsa cupiditas, maioresque turbas commouet, & multo violentius statum mentis inuadit, maioreque siti & indigentia cruciatur. Tunc igitur cùm nul-

Iis voluptatibus, aut opibus infinita illius sitis extingui possit, crudelius rationē accipit, & longè acerbioribus curis illam vexat. Quid verò cū cupiditas ipsa ad hominum contumeliam erumpit, multosque mortales iniurijs innumerabilibus afficit? Quid cū iura omnia perrumpit, ciuilemque locietatem violat? Quid cū in legum contemptu, & intollerabili superbia, & insolentia, summam vitæ dignitatem constituit? Quid cū omnibus hominibus fortibus atque moderatis interitum machinatur? Omnia enim hæc mala cupiditatis effrenatæ licentiam consequuntur. Excæcat enim rationem ita, vt in superbia grauitatem, in luxuria magnificentiam, in fastidio & contemptu dignitatem summam inesse iudicet. Inuidia deinde & odium animum illum miris modis exagitat. Ijs enim, quos videt verissimam dignitate præditos, inuidet: eos autē, quos suis nefarijs cupiditatibus aduersarios fore suspicatur, odio acerbissimo & immani persequitur. Quemadmodum igitur leges & instituta conuellit: ita omnes, quos legum vindicæ & custodes esse credit, de medio tollere cōtendit. Omnem virtutis excellentiam suspectam habet & inuisam; & quicquid illorū intemperantiæ resistere potest, execratur. Cū primū igitur potest, alios interimit, alios exilio mulctat, alios opibus & fortunis spoliatur; ne quisquam illis obuiam ire possit. Nullū ingenium excellens, nullū animum magnū, nullam singularem industriam, nullius deniq; insignem potentiam pati atque tolerare potest.

## DE REG. INSTIT. ET

Alijs enim inuidet, alios verò timet, status verò sui firmitatem non in suæ virtutis constantia, nec in suorum ciuium imbecillitate ponendum arbitratur. Omne igitur illius studium in ciuium opibus extenuandis, & animis abijciendis, & in virtute profliganda & extinguenda consumitur. Iniurijs igitur & contumelijs, & cædibus odium hominum in se grauissimū accendit. Inde verò metus ingēs exoritur; qui multos enim læsit, multos metuat necesse est: & quò plures sunt, quos iniurijs affecit, eò grauior illum metus excruciet. Hæc est autem tyranni vita, qua nihil nec acerbius, neq; magis anxium atque sollicitum mente fingi atque cogitatione potest. Omnis autem, qui natura maleficus & iniustus est, quales sunt omnes, qui tota mente cupiditatibus nefarijs obsequuntur, tyranni quidem natura sunt: sed id minus apparet, quamdiu non valdè nocere possunt. Postquam verò summas opes adipiscuntur, tū demum tyranni appellantur, qui tunc eò inferiores sunt, quò maiores opes habent. Grauiora namque facinora moliuntur, & quò pluribus imperant, eò pluribus hostibus circumsepti sunt. Omnes enim natura tyrannidem oderunt. Accedit ad maiorem animi sollicitudinem & cruciatum numinis diuini metus. Quamuis enim tyranni religionem contemnant, non possunt tamen omninò illum religionis sensum, quo sunt à natura penitus imbuti, diuturna cōsuetudine sceleris & impietatis opprimere. Semper igitur residebit in illorum animis aliqua religionis opinio, quæ illos



los agitet, exterreat, exanimet, respirare non  
 sinat. Ergo quocunque se tyrannus mente &  
 cogitatione cōtulerit, omnia sibi dira, exiti-  
 osa, & infesta esse perspiciet. Si enim mentem  
 suam inspicit, animi sui statum videt seditio-  
 ne turbulenta conuulsum, pestiferis morbis  
 oppressum, tristissimis curis afflictum, acer-  
 bissimis dolorib<sup>9</sup> interclusum: si ad homines  
 oculos conuertit, alijs inuidet, alios odit, ne-  
 mini fidem habet; & omnes etiam familiares  
 atque domesticos extimescit: si cœlum suspi-  
 cit, & tempestatem excitari videt; horret, &  
 pallet, & tremet, & eximio pauore concutitur.  
 Diuinitatem sibi tribuebat Caligula, sed De-  
 us ille minimo etiam fulgure & tonitru con-  
 turbatus, se confestim obuoluto capite sub le-  
 ctum occultabat. Tanta erat hominis stultissi-  
 mæ arrogantis imbecillitas. Et reuera nihil est  
 magis cum arrogantia coniunctum, quàm me-  
 tus, & sollicitudo, & animi fœda atque defor-  
 mis abiectio. Qui igitur status sui odio tor-  
 quetur; qui maleficiorum conscientia assidue  
 cruciatur, qui omnes mortales exhorret; & à  
 suis etiam intimis atq; domesticis insidias vi-  
 tæ suæ fieri suspicatur; qui quoties cœlum nu-  
 bibus obductum cernit, totis artibus contem-  
 miscit, qui denique neque domi, neque foris,  
 nec, in otio, nec in negotio, neq; cum suis, neq;  
 cum alienis tràquillo animo esse potest: quo-  
 modo non omnium mortalium miserrimus  
 iudicandus est? ne somnus quidem, qui curarū  
 omnium videtur esse perfugium, illi curarum  
 aliquod alleuamentum cōcedit: species enim  
 illi

illi horribiles in somnis obijciuntur, quæ illū frequenter exturbant. Hæc sunt illæ furia scelerum vltices, quæ tyrannos agitant & insectantur, quæ quasi tædis ardentibus illos, quocumque se vertunt, insequuntur: illosq; & scelerum recordatione perterrent, & iudiciorū diuinorum metu conficiunt. Non expecto dirostyrannorum exitus: non interitum calamitosum commemoro: non ea, quæ etiam cum in tragœdijs aguntur, spectatoribus horrorem incutiunt, oratione complector. Hæc omnia imperitos mouent, qui id tantum, quod sensibus expositum est, aspiciunt; tabem autem & angorem, & cruciatum, quo tyrannorum animi torquentur, intueri non possunt. Sit igitur aliquis tyrannus, qui vitam ad summam senectutem perducatur (vt superior Dionysius) nec vlla humana calamitate peruertatur: is tamen furijs agitatur, & cruciatibus infinitis afficitur, & à mente consilioq; deducitur, & tristissimis curis intabescit: ita vt nihil miserius, & calamitosius in vita fingi cogitatione possit. Vt igitur tyrannus interdum inani aliqua voluptate fruatur, aut, vt rectius dicam, inani voluptatis specie ludificetur, maxima tamē ex parte vita illius est acerba, luctuosa, grauissimis curis anxia, & terroribus obiectis frequenter exercita: ita vt nunquā vllō in loco consistere, aut libere respirare queat. Rectè, inquit T. sed quorsum pertinet ista disputatio de tyranni cruciatu ad regij muneris facilitatē, & oblectamentum? An vos inquam putatis me alia ratione facilius demonstrare posse, quàm facilis

& iucunda sit Regis vita, quàm tyranni suppli-  
 cio vobis explicato, & ob oculos cõstituto?  
 Nihil est enim, quod Regi magis oppositũ sit,  
 quàm tyrannus. Ergo vt tyranni vita est diffi-  
 cilis, & ærumnosa, omnibusq; malis miserri-  
 mè circumuenta: ita Regis vita dulcis, & iucũ-  
 da sit necesse est, omnibusq; bonis referta & e-  
 gregiè cumulata. Primùm igitur, si voluptas,  
 vt dicebamus, non est in cessatione posita: ad  
 agendũ enim nati sumus, ita vt nihil esse pos-  
 sit otio atq; cessatione molestius: consequens  
 est, vt voluptatem in actione collocemus.  
 Est ergo voluptas (vt ante dictũ est) perfectus  
 motus & actio sensus cuiuslibet, qua sensus i-  
 pse id, qd est nature congruens & aptũ, repente  
 consequitur. Hoc autem posito, quis dubitare  
 potest, quin voluptas vna tantis partibus aliã  
 voluptatem superet, quantis vnus sensus est a-  
 lio sensu natura præstantior & iudicio acrior,  
 & stabilitate cõstantior? sensus aut hic omnes  
 sentiendi & intelligendi facultates appella-  
 mus: ita vt alij sint sensus in corpore, alij in a-  
 nimo cõstituendi. Rationi igitur cõsentaneum  
 est, vt quantum animus præstat corpori, tantũ  
 voluptas, quæ animi sensu & agitatione perci-  
 pitur, vincat illã, quæ corporis sensu & iudi-  
 cio cõtinetur. Deinde corpus non per se, quid  
 dulce, quid acerbum, quid iucundũ, quid aspe-  
 rũ sit, iudicat; animus enim est, qui sentit, qui  
 iudicat, qui aliud quidem, vt iucundum & na-  
 turæ cõsentaneum adiscit: aliud vt acerbũ  
 & naturæ contrarium repellit. Corpus enim  
 exanimum, aut somno graui consopitum, aut  
 stupore



DE REG. INSTIT. ET

stupore penitus oppressum sentire non potest. Sed alius est animi sensus cùm iudicat ipse per se, alius cùm in iudicando opera & functione corporis utitur. Est enim animus ipse natura vigen, & vehemens, & acer, & ad veritatē indagandam & percipiendam paratissimus. Hebecit tamen, & obtunditur, cùm corpori nimis affixus est. Hinc autem fit, vt quod ipse per se, sine functione vlla corporis suaue iudicat, suaue putandum sit, non illud, quod interdū corporis imaginibus illusus, suaue atq; iucundum opinatur. Præterea cōstat, vbi sensus morbo aliquo tenetur, quid dulce aut amarum sit, iudicare non posse. Videmus enim eos, qui in morbo sunt, cibos sæpè dulcissimos; tanquam amaros aspernari atque reijcere. Animus autē corpori nimis indulgens æger est, & ex ipsius corporis natura mortalis & imbecilli contagione morbum cōtrahit, quo quidem oppressus, verè suauitatis gustum nō habet. Indè ad eò fit, vt pro iucundissimis ea frequenter arripiat, quæ sunt acerbissima. Vnde sequitur id tantum dulce, & iucundum, & omni suauitate refertum esse, quod animus sanus, & integer, & purus iucundum esse statuit: non id, quod corpori immerfus, & morbis molestissimis impeditus iucundum arbitratur. Quid de voluptatis stabilitate & constantia dicendum? omnes quidem sumus ad veritatem nati, & mendacium atque vanitatem natura repudiamus atque reijcimus. Cùm igitur opinionis errore in fraudem impellimur, experiundoque sentimus, quàm falsa erant illa bona, quæ tanquã

verã

vera sectabamur: grauiorem multò dolorem ex nostri erroris offensione percipimus, quàm erat illa falsa voluptas, qua gestiebamus. Itaq; breuem & exiguam voluptatem ingens molestia, & mœstitia diuturna consequitur. Nihil est enim stabile ad permanendum, nisi quod radice veritatis innititur. Cùm igitur constet eam solùm esse veram voluptatem, quam animus purus, & integer, & firma valetudine præditus, voluptatem esse iudicat, sequitur vt ea sola voluptas stabilis & fixa sit. At omnes, qui hoc animo sunt, sentiunt, & decernunt nihil esse virtute dulcius, vnde cõcluditur omnem verissimæ & constantissimæ voluptatis rationem esse in virtute ponendam. Ergo cùm voluptas illa, quæ non corpore, sed animo percipitur, sit vel propter naturæ præstatiã clarior: vel propter acerrimum mentis sanæ iudicium verior: vel propter sententiæ firmitatem constantior; quis non videt nihil esse virtute iucundius? ea enim est, quæ animum pura, & liquida, & stabili atque sempiterna voluptate cõplet. Deinde liquet omnem voluptatem ex amore ortum habere. Tunc enim voluptate summa afficimur, cùm ea re, quæ nobis erat egregiè cara, perfruimur. Omnis autem amor opinione pulchritudinis & honestatis excitatur. Vera autem honestas & pulchritudo in virtute consistit. Vnde sequitur, vt quemadmodum nihil est virtute pulchrius, neq; amabilius: ita nihil possit in vita cogitari suauius. Concludi potest igitur, illius tantùm vitam esse dulcem & iucundam, & omni voluptate cumulata, qui

## DE REG. INSTIT. ET

virtutis compos est: verissimam enim honestatem arctè complectitur. Quid enim rerum diuinarum consideratione præstantius? quid humanarum curatione & prouidentia ad laudem præclarius? quid animi alti & excelsi robore magnificentius? quid moderatione, frugalitate, temperantia concinnius? quid iustitia, liberalitate, hominum caritate, & beneuolentia pulchrius? quid harum omnium virtutum consensione venustius & elegantius? Est ne aliquid in vita, quod maiorem admirationem commoueat, aut vehementius ad sui amorem omnium mortalium animos alliciat? Si igitur nihil esse potest amabile, quod iucundum nõ fit, & virtute nihil est amabilius: sequitur vt nihil esse possit in vita iucundius. Is igitur, qui omni virtute ornatus est, iucundissimè viuit, & in summa quadam voluptate versatur. Nihil inest enim in illius animo, quod pacem turbet, & tumultus excitet, & statum labefactet. Ratio enim imperium pro dignitate gerit; motus animorum comprimit; cupiditates moderatur; omnesq; partes animi sibi parere & obedire compellit. Regnum igitur armis sapienter atque feliciter administrat; & pacem, & tranquillitatem, & otium cù dignitate constituit. Ea illa igitur pace summorum bonorù affluentia, & sempiternæ opes existent; quibus exhilaratus animus gaudio perpetuò triumphabit. Homo igitur tantis opibus, & ornamentis, atq; præsijs in omni genere redundans, Rex quidam valdè sapiens existimandus est: cù tam sapienter & commodè omnes suas affectiones



ctiones regat, ita ut nunquam seruiat libidini  
 & impuritati, sed semper omnes inconsidera-  
 tos motus, & libidinis impetus summa quadam  
 ratione coerceat. Cum vero omnes opes ani-  
 mi ad usum communis vite contulerit, meri-  
 tisque suis multos mortales obligauerit: ad-  
 mirabilem sui amorem concitabit, statumque  
 suum multorum hominum beneuolentia & fe-  
 licitate comuniet. Neque tamen is erit unquam, qui  
 omnia vite presidia in se, aut in hominum fide  
 ponat, sed omnes opes & facultates suas ad fontem  
 omnium bonorum assidue reuocabit. Deum  
 igitur alta mente suspiciet: illius maiestatem;  
 & numen & potentiam reuerentur: illius sa-  
 pientiam, & moderationem, & iudicium ad-  
 mirabitur: illius bonitatem, & beneficentiam,  
 & amorem in humanum genus amabit: illius-  
 que beneficijs ornatus, diuinarumque deliciarum  
 ubertate completus exultabit, & incredibili  
 letitia perfruetur. Necessarium namque est, ut qui  
 diuinis atque sempiternis bonis afficitur, di-  
 uino etiam atque sempiterno gaudio cumuletur;  
 & si voluptas est perfecta nature sentien-  
 tis vis & efficientia, id quod est sibi accommo-  
 datum assecuta. Et cum nihil sit in nobis men-  
 tis natura prestantius (est enim ad mentem  
 diuinam apta, & cum ipso Deo agnitione, ut  
 ita dicam, coniuncta) nulla certe voluptas e-  
 rit cum ea comparanda, quam humana mens  
 percipit, cum similitudinem diuine men-  
 tis assequitur, & virtutis imitatione diui-  
 num statum adipiscitur. Nihil enim est in re-  
 bus humanis clementia, & benignitate, & ho-

## DE REG. INSTIT. ET

minum caritate diuinius. Qui igitur, quantum potest, hominibus opibus, & studio, & gratia consulit; est iam quodammodo diuinitatem affecutus. Animus igitur humanus cum ad Dei similitudinem, quam natura vehementer expetit, Dei ipsius munere & beneficio peruenerit, quanta suauitate complebitur? quantis gaudijs efferetur? quam incredibilem lætitiã ex tantorum bonorum recordatione percipiet? eam certè, quam nemo vel uertate orationis explicare, vel ingenio & ratione completi valeat. Quo autem plures homines sunt diuini numinis consilio atque benignitate seruati, eò maiorem voluptatem capiet: magis enim ad Dei similitudinem accedit. Ut igitur iam ad Regem nostrum veniamus, si hoc nomine dignus est, necesse profectò est, ut sit & sapiens, & fortis, & moderatus, & iustus, & clemens, & benignus, & sanctus, & in omni denique virtutis genere florentissimus. In magna igitur voluptate versaretur, quamuis materiam nullam haberet ipsius virtutis & honestatis, qua fruitur, in hominum utilitatem conferendę. Nunc verò cum summam opes habeat, & complures etiam nationes imperio continet, ad quas omnes virtus atque benignitas illius emanare potest; si fuerit officio suo functus, cui dubium esse poterit, quin vita illius summis gaudijs, & incredibili lætitiã cumulanda sit? Deinde quidquid natura, & arte, & studio perficitur, cum facilitate perficitur. Ergo si Rex fuerit natura magnanimus, & regijs disciplinis eruditus, & studio decoris & immortalis

mortalitatis incensus: necesse profectò est, vt regnum admodum vigilanter administret, & omnia munera regia (quamuis difficillima videantur) admodum feliciter expediat. Nullū enim tantum atque tam difficile munus est, ꝓ animo maximo, & sapienti, & acri, & cupiditate maximarum rerum vehementius inflammato non facile & expeditum sit. Quod autem ita fit, id cum summa voluptate fit. Prætereà hoc satis compertum est, omnes artifices cūm opus, quod in manibus habebant, absolutum vident, non mediocri voluptate perfundi. Architectus enim ædificio perfecto mirificè delectatur; pictor cum imaginem à se luculenter expressam, & coloribus decenter illustratam videt, miro etiam gaudio afficitur. Quid poëtas memorem? Quoties enim poëma à se perfectum, & omnibus numeris absolutum animaduertunt, toties lætitia efferuntur, & gestiunt. Ne autem plura recenseã, hoc sanè cõstat, omnes artifices operibus suis summo opere delectari. Acquiescunt enim, & animis relaxantur, cūm opus, in quod multum operæ & studij contulerant, ex animi sententia perfectum animaduertunt; & illud quasi ingenij sui partum minimè pænitendum incredibiliter amant. Est autem rationi consentaneū, vt quò ars præstantior est, & opus illustrius, eò plenior voluptas operis illius perfectionem consequatur. Ars verò in vita nulla Regis arte præstantior est; opus nullum est, vel ad speciem & pulchritudinem elegãtius, vel ad vsum totius humanæ vitæ salutaris, ex quo effici-



tur nullam esse voluptatem cum ea, quam Reges optimi ex operis sui consideratione percipiunt, vlla ratione conferendam. Quid enim potest esse præstantius, quàm vnus hominis arte, sapientia, & moderatione Rempub. vniuersam opibus affluere, virtute firmari, moribus ornari, iure deuinciri, beneuolentia coniungi, atque fieri denique florentis atq; beatæ vitæ participem? Sic igitur fit, vt, quemadmodum nihil est tyranno miserius: sic nihil fit in vita rege beatius. Illum enim assidue insectantur, & exagitant Furia: hunc honestatis iucunditas, & rectè factorum conscientia omni sollicitudine liberat. Illū omnes mortales oderūt, & execrantur, & nomen illius ex omni memoria euulsum cupiunt: huius omnes virtutem admirantur, bonitatem diligunt, memoriam perpetuò voluntate gratissima prosequuntur. Illa, cum Deum iratum habeat, nusquam potest sine sollicitudine, & metu, & trepidatione consistere: at hic noster, in summo etiam rerū discrimine, atque orbis terrarum perturbatione, diuino præsidio armatus virtutem & constantiam retinet. Confidit enim sibi celeste auxilium minimè defuturum. Vt igitur tyrannis in epulis etiam atque delicijs & voluptatib<sup>9</sup> angore conscientie, & malefactorū poena conficitur: ita rex in omnium etiam rerum degradatione bonitatis suæ recordatione diuinoque præsidio nixus, ad firmissimam spem salutis & dignitatis erigitur. Atq; vt tyrannus est sui ipsius hostis acerbus de sceleribus suis cura, sollicitudine, metu, trepidatione, crucia-

tu assiduas poenas repetēs: ita rex se statumq; animi sui opibus summis auget, omnibus præfidijs & ornamentis amplificat. Quod si quisquam est, qui putet negotia infinita, quibus rex ipse distinetur, animum illius ab omni iucunditate retrahere, & magnitudine molestiarum, & curarum vi, & acerbitate conficere: is primùm ignorat voluptatem (vt dictum est) non in otio; sed in actione consistere. deinde ne illud quidem cogitat, quò studium & labor aliquis magis honestatem attingit, eò iucundiores vitam efficere. Hoc vt significet Homerus, narrat Achillem eo tempore, quo propter Agamemnonis offensionem pugnare volebat, afflictatum fuisse animo, & cupiditate certaminis propemodum intabuissè. Quamuis enim canendi & pulsandi peritus esset, & Veneris delicijs afflueret, harum rerum omnium fastidio grauitèr offensus armorum fremitum, & cædes, & vulnera, & terram sanguine imbutam cernere, hostiumque stragem edere cupiebat. Maiorem namque voluptatem in laboribus & periculis, & in totius corporis defatigatione, quàm in iocis atque blanditijs, & Veneris festiuitate collocabat. Veneris enim voluptates flagitio finitimas esse statuebat: belli verò labores atque pericula honestatem & decus afferre, quo nihil dulcius esse iudicabat. Omnia namque, si Homero credimus, ad honestatem, & ad nominis immortalitatem referebat. Vt autem fabulas omittamus; Philippus Macedoniae Rex ALEXANDRI Magni pater, quamuis oculum

DE REG. INSTIT. ET

effossum, humerum confractum, corpus vulneribus concisum haberet: nihil tamen de bellandi studio remittebat, imò quò magis erat laboribus attritus, eò ardentius omnia superandi cupiditate flagrabat. Quid de filio ei<sup>9</sup> dicam? qui nullis laboribus, aut vulneribus, aut periculis impediri potuit, quò minus orbem terrarum inuictis armis peragraret; & ab vltima Græcia, quæ est ad occasum sita, profectus, Orientis imperium Gange fluuio definiret. Nò labores immensos, quos Pyrrhus, quos Annibal, quos innumerabiles Imperatores vel Romani, vel Græci, vel barbari, non patienter tantum: sed vltro etiam atque libenter exceperunt, oratione complector. Milites ipsi bellicos labores inuicto animo perferunt, in gladios irruunt, & morte proposita quoduis magni facinus aggrediuntur. Vidimus ipsi nuper non duces tantum nostros, sed milites etiam Mazagano redeuntes, Maurorum ambustos incendio. Vt enim Mauritaniæ Regem potentissimum, qui Mazaganum obsidebat, ab vrbs nostræ mœnibus virtute repellerent: neque flammis, neque vulneribus, nec hostium impetu, & multitudine, qui acie instructa in muris ipsis, ad quos iam euaserant, acerrimè dimicabant, ab vrbs propugnatione deterreri poterunt. Imò cum magna hostium strage, & insigni tyranni ipsius ignominia urbem tutati sunt. Vt autem de illis, qui ibi strenuè dimicantes occubuerunt, sileamus, alios videmus fractis cruribus vix baculis innixos ingredi: alios manibus captos esse: aliorum aduersas cicatrices



ces aspiciamus: plurimos incēdio deformatos intuemur. Quid igitur? num fieri potest, vt quisquam naturæ sensum repudiet? voluptatē aspernetur? dolorem contemnat; mortem & cruciatum appetat? nullo modo: sed laudis dulcedo tantam vim habet, vt cupiditatē corporeæ voluptatis extinguat; & laborem atque dolorē, quo corpus ipsū cruciatur, facilimè ipsius honestatis suauitate compenset. Non igitur voluptas contemnitur: sed vnum genus leuioris voluptatis pondere & magnitudine alterius præstantioris voluptatis obruitur. Id verò in magnis & splendidis animis apparet facilimè. Qui enim nihil altum & generosum sapit, omniaque vitæ studia instar pecudis ad corporis oblectamētum refert, cū sit mentis oculis orbatu, neq; naturam suam respiciat: mirandū non est, si non dulcedine dignitatis ad labores libentissimè sustinendos allicitur. Est enim in brutorum animantium loco numerandus. At qui verè homo est, seque ad dignitatem esse natum intelligit, nihilque honestate præclarius esse videt, non solum labores honestos appetit, & corporis etiam voluptatē contemnit: sed vitam, cū opus est, libentissimè dignitatis gratia profundit. Et tamè isti omnes fermè siue duces, siue milites, sapientes minimè sunt. Indignitatis igitur iudicio plerunq; labuntur, neque veram honestatē: sed imaginem honestatis amplexantur, tantoque studio illam arripiunt, vt ab illius coniunctiōe diuelli non possint. Si igitur adumbrata dignitas tantum valet ad animos magnos a-

## DE REG. INSTIT. ET

more & cupiditate sui acriter inflammandos, quid tandem verissimæ dignitatis forma atque diuinus quidam splendor efficiet? & si laudis imago tantam voluptatē efficit, vt animos maximos illius suauitate delinitos ab omni sensu doloris auertat; quanta tandem voluptate perfusos fore putabimus, qui verissimum ipsius honestatis decus fuerint amplexati? Omnes igitur labores non modò leues, & tolerabiles; sed suaves atq; iucundos esse iudicabunt, negotia infinita dignitatis gratia libentissimè sustinebunt: dolores etiam ingentes cum iucunditate perferent: mortem etiam facillimè contemnent, dummodo ea ratione immortalitatem consequantur. Præclare quidè Aristoteles beatam vitam non in otio: sed in perpetua virtutis perfecta functione & actione constituit. Is enim, qui verè dignitatis amore labores ingentes suscipit, is est, qui omnib' verissimis bonis affluit. Vnde sequitur regem, si fuerit sapiens, & dignitatem verā clarè perspexerit, omniaq; vitæ officia in illam contulerit, fore beatissimum, verissimisq; voluptatibus in omni genere circumfluentem. non enim vnquam in se flagitium & dedecus admittet, neque pro vera dignitate falsam imaginē dignitatis amplectetur. Sic autem quò maiores in vita labores susceperit, eò iucundius viuet, & maiore quodā gaudio cumulabitur. Sed ratio huius tanti muneris cum facilitate atq; suauitate gerendi, tota est in verissimæ sapientia studio constituta. Ea namque, quæ sit honestas verissima, clarissimè videt; & vltimū bonum,

num, quò sunt omnia vitæ consilia referenda, perspicit, facillimeque omnia ad illud fruendum dirigit atque moderatur. Princeps igitur Reipub. qui sapiens fuerit, Rempu. facile temperabit, atque ad optatum finem perducet. Sic enim Rex sapientissimus Solomon ipsam sapientiam loquentem inducit: Meum est consilium & disciplina: mea est prudentia & fortitudo: per me Reges regnant, & legum conditores decernunt iustitiam: per me principes imperant, & omnes, qui ius in terra dicunt, Remp. moderantur. Ex hoc Salomonis loco, & ex alijs quam plurimis, quos omitto, concludi potest, omnē Reip. gerendæ rationem & facilitatem in sapientia summa consistere. Sed quomodo sapientia paranda sit, nondum satis explicatum arbitror. Multa quidem superius de artibus & disciplinis, quibus tanquam gradibus ad sapientiam peruenitur, differuimus; non tamen exactè, in quo sapientia ipsa consistit, explanauimus. Multi namq; mirabili ingenio, summaq; doctrina præditi fuere; quos tamen sapientes appellare non licet, eò, quod se flagitio & scelere contaminarint. Nec enim sapiens est, qui sibi plurimum nocet, nocet autem sibi plurimum, qui flagitijs, coopertus est. Atque ut isti sapientes habendi non sunt: ita nec insipientes appellandi, qui summis virtutibus ornati sunt, & optimã viuendi rationem penitus exploratam habent; quamuis non sint illis artibus, quas diximus, eruditi. Id igitur, in quo fructus sapientiæ consistit, animaduertendum est. Hoc autem satis constat, oïa verissimã



## DE REG. INSTIT. ET

mæ sapientiæ decreta ad beatum animi statum conferri. Is igitur sapiens est, cui animus est præclarissimè constitutus, recta porro animi constitutio, mentis atque voluntatis consensione continetur. Est enim mens humana diuinæ mentis imago, in qua est diuina lex manu Dei ipsius inscripta. Hæc autem lex, quam naturæ legem, quam sempiternam, quam diuinam appellamus, ab omni flagitio, turpitudine, temeritate deterret: & ad omne genus decoris, & honestatis, & optimam viuendi disciplinam erudit, vsque adeo, vt in flagitiosis etiam hominibus, cum impuritatem suscipiunt, vis ipsius insitæ legis appareat. Reclamitat enim lex & scœdum, atque flagitiosum esse testatur, & perniciem, quam turpitude afferre solet, sæpenuerò portendit, & post scelus admissum, sceleris ipsius conscientia animum exterret. Semper igitur mens natura sua flagitij odio tenetur, sed libidinis immanitate victa cupiditati flagitiosæ succumbit. Videte quid apud Plautum dicat adolescens flagitiosus & perditus: Sciebam vt esse me deceret, facere nõ quibam miser. Ita vi Veneris victus, orio captus in fraudem incidi. Ostendit adolescens ille Plautinus nõ esse se penitus orbatum mente, sed non esse tantam vim in illius animo, vt possit a se pestem auertere. Animum enim vi libidinis excæcatum in pestem ante oculos positam sponte sua ruere. Quod si is, qui sibi plurimum voluntate sua nocet, itulitissimus est, illius certe summa stultitia est, qui contra mentis suæ iudicium instigante libidine, pestem sibi &

exitium

exitium sempiternum nefariè atque flagitiosè machinatur. Si enim, qui corpora sua moribus suis lacerant atque ferro vulnerant, furiosi existimandi sunt, quomodo sanos appellabimus illos, qui animis suis (quod est multo grauius atque detestabilius) mortiferum vulnus imponunt? Ergo cùm omnes, quorum effrænata voluntas à mentis iudicio discrepat, furiosi & insani sint; illi certè, quorum voluntas cum mentis & rationis iudicio consentit, sapientes existimandi sunt. Qui enim rectè rationi paret, legi diuinæ paret; & ita in errorem induci non potest. Est enim recta ratio lex diuina in animis impressa & insculpta. Id igitur, quod refert Socrates apud Xenophontem de agricolis & imperatoribus, etiam reliquis vitæ communis officijs accommodari potest. Dicit enim nec agriculturæ studium, nec artis imperatoris disciplinam esse difficilem: totam enim vtriusque officij laudem in eo positam esse, vt summa diligentia & alacritate quisque faciat id, quod facilè cuius in mentem venire posset. Quis enim agricola non intelligit esse terram diligenter arandam, & iterandam, & subigendam, & semen, cùm primum seminandi tempus aduentat, spargendum; & inutiles herbas, quæ frugibus officiunt, euellendas, & reliqua omnia, quibus segetes lætiores & vberiores fiant, oportunè conficienda? Nemo certè. Quid est igitur, quo bonus colonus malo præstet? industria profectò atque diligentia. Bonus enim ea omnia diligenter exequitur, quæ agriculturæ disciplina præscribit: malus

autem

DE REG. INSTIT. ET

autem ignauia atque desidia corruptus differt atque procrastinat, & interim tempus elabitur. Quid de imperatore dicendum? num obscurum est, quantum sit rectius ita rem gerere, quasi hostes semper in conspectu sint, quam nihil aduersum timere? hostium consilio explorare, quam insidijs opprimi? ordinem perpetuo conseruare, quam ordinem & disciplinam negligere? Quid igitur inter bonum & malum imperatorem interest? hoc certe, quod bonus & sapiens imperator id, quod optimum factum esse nouit, summa diligentia perficit, neque rei bene gerendae occasionem effluere sinit: malus autem id, quod gerendum esse videt, vel ignauia impeditus in aliud tempus referuat, vel timore fractus efficere non audet: sic etiam in communi vita, quilibet, qui non prorsus mentis expertus est, intelligit quantum sat est, quod sit officium suum: officium tamen aut ignauia deserit, aut scelere prodit, aut aliqua nefaria cupiditate impeditus omittit. Unde colligitur summam sapientiae in hoc positam esse; ut nunquam voluntas rationis imperium recuset, sed cum primum mens aliquid rectum & honestum esse statuerit, id protinus exequatur. Ut enim temeritas est in mentis atque voluntatis dissidio constituta: ita consequens est, ut sapientia in harum duarum partium consensu & foedere consistat: ut videlicet nunquam voluntas velit, nisi quod mens expetendum esse iudicauerit; neque in consilium libidinem, sed rationem adhibeat. Cum igitur regem nolumus esse singulari atque prope diuina sapientia praeditum,



hoc planè volumus, vt nunquam illius voluntas à recta ratione dissideat. Nec em̄ ab eo regnum sapienter administrari poterit, qui regnum animi sui non habuerit sapientissimè cōstitutum. Si enim ratio (cui est in animo regnū attributum) non omnes animi partes sibi dicto semper audientes habuerit: si non omnes labe, quæ illius statum corrumpunt, oppresserit: si non immoderatam cupiditatē imperio constrinxerit: si denique se libidini in seruitutē addixerit; quomodo tandē imperiū pro dignitate geret? Qui em̄ turpiter seruit, imperium cū dignitate tueri nō potest. Nunc igitur, cū planum sit sapientiā in consensu mentis & voluntatis debere cōstitui, restat, vt videamus, quomodo id fieri possit. Non enim tam facile est, quàm olim quidā homines acuti & eruditi disputabant, qui omnia in potestate hominis ponebant. Si em̄ ita esset, doctissimus quisq; fuisset omni virtute ornatissimus sed nō ita est, imò cōstat multos præclarissimis artib<sup>9</sup> eruditos, fuisse multis flagitijs infames. Quin etiā illi, qui secum statuūt nihil esse virtute præclarior, & toto animo cupiunt in studium ipsius honestatis incumbere, ab hoc tā præclaro conatu sæpenumerò indomitæ cupiditatis impetu repelluntur. Quod quidē satis ostendit, rectū statū animi nō hominis studio, sed diuino beneficio & munere cōtineri. Duo namq; sunt hominis munera. Vnum est intelligere: alterum agere. Alterutrum autem, qui sine ope diuina fieri posse credit, stultè arrogās est, & Christianæ pietatis ignarus. Primū em̄

vt oculi, quamuis natura sint vigentes & acres,  
 obscura tamen nocte aut densa caligine circū-  
 fusi, non possunt clarè, quod est ante oculos,  
 intueri: ita mens humana diuina luce destitu-  
 ta, quamuis aliquid quasi per caliginem aspi-  
 ciat, non tamen ita clarè cernit, vt non sæpè of-  
 fendat, & concidat, & erroribus infinitis im-  
 plicetur. Tetra enim nox & miseranda caligo  
 est diuinæ lucis abscessus. Soli igitur illi acu-  
 tissimè vident, quorum acies diuinæ mentis  
 lumine splendent, solisque illius sempiterni  
 radijs illustrantur. Deinde quamuis nihil aspe-  
 ctum mentis impediret, tanta est imbecillitas  
 in nobis, vt id, quod rectum & honestum esse  
 cernimus, tueri & cōseruare diu minimè que-  
 amus. Ratio namque infirma est, cupiditas au-  
 tem fera & immanis. Itaque multis facibus,  
 tanquam Furia quædam succincta & armata  
 vim intētat, & rationem machinis oppugnat,  
 & inuitam etiam atque repugnantem de om-  
 ni statu conuellit. Diuinis igitur armis, diui-  
 noque præsidio tanta vis mali propulsanda  
 est, quando humanis viribus arceri nequit. V-  
 trumque igitur præsens Dei numen & gratia  
 facit; primum quidem, vt humanam mentem  
 sua luce compleat, qua multa, quæ erant antea  
 crassis occultata tenebris, clarè perspiciat: de-  
 inde vt animum diuino robore fulciat atque  
 confirmet; quo facillimè cupiditatem prohi-  
 gare, & rationi obedire possit. Tunc igitur de-  
 mum eminebit suauissimus ille consensus, &  
 conspiratio mentis atque rationis, quo nihil  
 beatius in vita potest excogitari; cum in nobis  
 diuinę

diuinæ mentis splendor et numen eluxerit. Nam quid iuuat obedire rationi, cum ratio tenebris obscuratur? quam utilitatē affert rectū rationis imperium, cum voluntas illud propter imbecillitatem & cupiditatis impotentiā sequi nō potest? Solus igitur Deus est hui⁹ verissimę sapientiæ magister, huius diuini status cōditor atq; moderator, & huius tantę felicitatis effector. Vnde concluditur, omnem summæ sapientiæ rationē in Dei cognitione, in ardentissimo pietatis studio, in amore illo deniq; quo mens pura & casta cum diuina mente arctissimo vinculo constringitur, collocandam esse. Cū igitur regi hoc propositū sit, vt non solū ipse beatus sit: sed vniuersam Rēp. beatā efficiat, omnisque beatæ vitæ ratio in vera sapientia consistat, quæ Dei clarissima notitia, inflammatoque pietatis studio continetur: consequens profectō est, vt omnes Regis curæ, & cogitationes, & studia in cultum Religionis atque sanctitatis conferantur. Cælum igitur tota mente suspiciat: opera diuina contempletur: diuinam mentem consulat: Dei præsidium imploret: summa fide & pietate numen illius veneretur: & intelligat se non posse vllō modo regnū sapienter & aptē moderari: nisi se totū ad imitationē Regis illius summi atq; sempiterni cōtulerit. Imitari verò illū nō poterit, nisi se penumero mentē in benignitatē illius intēderit: & ordinē, quo cūcta gubernat, inspexerit: & de illi⁹ amplitudine & equitate assidue cogitauerit: neq; solū precib⁹ & votis, sed iustitię atq; pietatis studio



DE REG. INSTIT. ET

gratiam illius adeptus fuerit. Quamuis igitur sit negotijs innumerabilibus oppressus, & curis districtus: necesse tamen est, vt aliquod tēpus ex summis occupationibus eripiat, quod hominum turba liberatus, & in intimo sacratio inclusus, in Dei iucundissimo colloquio atq; familiaritate consumat. Imò tunc vel maximè, cū illum negotia vndiq; premunt, & infinita pericula circumuallant, consilium & opem à Deo flagitet. Si enim superbum & temerarium est, sapientis hominis consilium aspernari: quid superbius & amentius esse potest, quàm sapientissimi illius parentis consilium negligere? Etsi in rebus aduersis Reges aliorum regum auxilium implorāt: cur nō multò magis summi illius atq; potentissimi regis opem summa contentione & studio flagitabunt? Quid enim amentius, quàm consiliū & auxilium petere ab hominibus, quorū plerumque mentes tenebris oppletæ sunt; & qui fidē parum sanctè colunt; & quorum opes sunt fragiles, & inanes, & interituræ: illius verò summi Domini, cuius sapientia, & fides, & potestas non modò stabilis atq; sempiterna est; sed etiam immensa & infinita, consilium & opem contemnere? contemnit porrò consilium & opem illius, qui maiorem operam in petendo ab hominibus cōsilio, & in humano præsidio comparando: quàm in diuina mente consulenda, & in ope illius imploranda ponendam arbitratur. Cū igitur humana ex diuinis nexa sunt, iudicio diuino plerūq; fit, vt qui diuinā potissimum opem expetit, vtraq; tandem ope  
mu.

muniatur: & qui diuina ope neglecta prius auxilium humanum conquirat, utroque nudetur; & infamiam sempiternam subeat. Hic igitur Rex noster, si nihil habuerit studio religionis atque pietatis antiquius, nunquam erit diuina ope & auxilio destitutus; & à Deo disciplinam hauriet, qua munus sibi assignatum sapienter obeat, & omnia negotia regni cum summa felicitate conficiat. Primum enim mentem habebit puram, & nitidam; diuinæque lucis radijs incensam, & splendore diuinæ sapientiæ mirabiliter illustratam: deinde animum magnum & excelsum geret inuictò robore, & diuina constantia, & coelesti præsidio confirmatum: tum mentem in diuina luce atque moderatione defixam habebit: ut animo concipiat speciem & exemplum, ad quod omnia consilia, & omnes actiones Regis dirigendæ sunt. Nam humane vitæ conditio est fluxa; & stabilis, varijsque mutationibus obiecta. Ideò igitur se vnius arbitrio committit, ut illius moderatione possit ex perturbatione in ordinem reduci: & à iactatione & tempestate in quietum & tranquillum statum reuocari: quod fieri non potest, nisi quoad licet & fas est, ad imaginem earum rerum, quæ nullam mutationem habent, vnius rectoris consilio & actione referantur. Ut igitur fieri possit, oportet Regem semper in res diuinas atque sempiternas inspicere, earumque similitudinè rebus fidei sui commissis accommodare: & quantum eniti studio poterit efficere, ut in rebus humanis ordo diuinæ moderationis eluceat. Aliter enim nunquam beatum

## DE REG. INSTIT. ET

statum in regno suo cōstituet. Vt enim pictor egregius non potest formam aliquam ad similitudinem pulchritudinis excellentis exprimere; nisi species illa, quam imitari penicillo studet penitus in mente illius infederit: ita neq; rex, qui volet in regno suo formam cælestis decoris atq; dignitatis effingere, id præstare poterit; nisi prius fuerit speciem illius summi Domini, & ordinem, quo cælestia moderatur, mente atq; ratione complexus. Deinde incidunt sæpenumerò res obscure & ancipites, quæ nullo modo possunt ingenijs humanis explicari; nisi fuerint diuinis legibus & institutis erudita, & cælestis luminis splendore collustrata. Ea autem de causa præcipiebat in lege Dominus regibus, vt legem describeret, vt in illorum memoria firmiter inhæreret, atq; eam perpetuò mente recolerent: vt ita numinis metu se ab omni flagitio continerent, & ita facilius luce diuina fruerentur. Iesu verò Moysi successori ait: Ne recedat volumen legis huius ab ore tuo: sed meditaberis in eo diebus atque noctibus, vt custodias & facias omnia, quæ scripta sunt in eo. Hæc quidem eo in loco præscribit Dominus nõ illi tantum sanctissimo principi; sed omnibus, qui ritè officio fungi & populum sapienter gubernare volunt, vt perpetuò in legis diuinæ studium incumbant. Lex enim domini (vt inquit David) illustrat mentis aciem, & tenebras omnes discutit, & facit deniq; ne possit animus errore aliquo turbulento cōpleri, & à studio veritatis auocari. Qui igitur in assiduo studio legis diuinæ versatur,



tur, & in Dei benignitatem respicit: illius consilij instruitur, & quid in rebus difficillimis agendum sit, facillimè videt. Si igitur rex repè-  
tino aliquo metu conturbatus, ab hominibus nò minore formidine perculsis & abiectis cò-  
siliu[m] petit, qui consiliu[m] dare non possunt, quomodo non multò magis à lege diuina, atq;  
adeò ab illa summa sapientia, quæ falli & er-  
rare non potest, neq; suorù preces & vota repu-  
diat, consiliu[m] postulabit? prætereà, vt ià sæpè  
diximus, regendi & imperadi munus est diui-  
num. Quis em̄ non videt diuinu[m] munus esse  
profigare bellu[m], constituere pacem, dare sa-  
lutem, excitare iacentes, subleuare afflictos,  
coercere improbitatem, tueri innocentiam,  
atque postremò lumen vniuersæ partæ iusti-  
tiæ, virtutis, probitatis ostendere? si autem  
hæc omnia munera diuina sunt, diuina profe-  
ctò sapientia ad ea administranda requiritur:  
diuinam autem sapientiam nemo potest ad-  
pisci, nisi se totu[m] D E O in disciplinam tra-  
diderit, & se penitùs in familiaritatem illius  
immerferit: inde fit, vt nemo eam sapientiam  
sibi parare possit, nisi fuerit vita purissimus,  
& sanctissimæ Religioni deditissimus. Vt e-  
nim corpus tersu[m] & expolitu[m], cùm radijs  
Solis opponitur, lucem Solis accipit, & ita mi-  
cat, & vibrat, vt in illo Solem te intueri pu-  
tes: sic animus castus & integer ad splendo-  
rem diuinæ lucis adiunctus, lucē in se diuinā  
recipit, & ita collucet, vt similitudinem splē-  
doris diuini in omnium oculis & aspectu con-  
stituat. Cùm igitur luce diuina splendeat,

## DE REG. INSTIT. ET

clarissimè quid rectum, & simplex; quid elegans, atq; decorum, quid commodum, & salutare sit, perspicit: & ita facillimè omnia, quæ ad publicam salutem pertinent, absoluit: & vniuersam Remp. cum summa felicitate moderatur: nec enim solùm videt, quomodo Resp. regenda & temperanda sit: verùm etiam vires diuinas adipiscitur, quibus omnia; quæ vtilissima fore prospicit, exequatur. Similitudo em̄ amorem conciliat, amor voluntates fœdere copulat, & rerum omnium cõmunionem & societate conglutinat; ita verò fit, vt qui Dei similitudinẽ vitæ puritate, & sapientiæ claritate refert: illi amore sanctissimo coniungatur, & ab illo virtute atq; robore diuino firmetur, quò facillimè omnia, quæ velit, quamuis sint nimis ardua atq; difficilia, cum facilitate perficiat. Quid igitur esse potest principe casto, sancto, atq; religioso beatius? hic enim est ille sapiens, quem Plato Reip. præfici cupiebat, sub quo Rempu. fore beatissimam prædicabat. Cũ enim princeps virtutibus diuinis ornatus, opibus diuinis instructus: studioq; diuinitatis & immortalitatis incensus, ad Remp. gubernandam accesserit: nõ homo, sed Deus ipse Remp. illam gubernabit. Deus enim in pectore sancti Principis inclusus eum mouebit, & incitabit, & de rebus gerendis erudiet, & linguam illius, & manum, & oculos, & mentem numine suo moderabitur, & facilè in studium publicæ salutis impellet. Præclare Salomon: Sicut diuisiones, inquit, aquarum: ita cor Regis in manu Domini, quocũq; voluerit, impellet illud.

Non

Non de Tyranno loquitur, cuius mens à Deo semper auersa est: sed de rege, qui se totum ad studium cœlestis Regis adiūgit. Vt igitur doceat, quàm facilè is, qui verè nomen regis obtinet, munus suum obire possit, ostendit illū in omnibus, quæ agit, numine diuino moueri & incitari. Vt enim, qui hortum propter aquarum fluentia colit, facilimè aquā elicit, & sarculo diducit ad omnium olerum, & plantarū, & arborum radices irrigendas: sic Deus cor optimi principis, qui se numini illius cōsecrauit, mouet, agit, & impellit, vt facilimè virtus illius ad munera, quæ sunt illi obeunda, deriuetur: omnibusq; reb<sup>9</sup>, quæ illius moderatione continentur, accurrat, atq; prouideat: & totum regnū vigilanter atque feliciter administret. Siue enim bellum parat, siue pacem cōstituit, siue malos exterminat, siue bonos amplectitur, siue improbitatem extinguit, siue ad studiū virtutis ciues incitat, siue leges atq; iura describit, siue legum transgressores punit, siue quidquam aliud gerat, semper Deum præsentem habebit; & ita omnia facilimè numine illius subnixus expediet. Præterea bonos studio sui mirabiliter inflammabit, vt iussis illius spontè & alacriter obediant: pigris autè & ignauis exemplo virtutis suæ stimulos ad-mouebit: homines autè profligatos atque perditos, qui tam præclarum opus impedire conantur, de medio tollet. Vt enim diligens agricola, ne segetes intereant, herbas noxias frugib<sup>9</sup> euellit: sic Rex sanctus & pius scelera radicitus extrahit, ne virtutis frugibus officiāt. Nec



DE REG. INSTIT. ET

enim ibi multum potest iustitię seges exurgere, vbi iniquitatis & iniurię sylua dominatur. Non solùm igitur diuino auxilio corroboratus: verùm etiam bonorum ciuium præsidio munitus, facilimè munus, quod tam difficile videtur, efficiet. Multi enim illum adiuuabunt, & qui impedire voluerint, vel interimentur, vel saltem metu coercebuntur. Amor præterea ciues incitabit, vt cum summa etiam voluntate quidquid ille iusserit, exequantur. Si enim virtus, in quocunq; illa perspecta fuerit, amorem conciliat, multò certè magis, cum in rege fuerit animaduersa, hominum voluntates commouebit, studioq; illius multò vehementius inflammabit. Si enim mediocris in Rege virtus hominum ad se studia atq; voluntates mirabiliter allicit, quid tandem summa illius virtus & excellens in patriam caritas efficiet? Erit enim hic noster Rex iucundus bonis, infestus improbis, perfugium miseris, alleuamentum oppressis, inuictum præsidium hominibus omnium ope destitutis. Nec enim solùm est legum custos, publici iuris vindex, communis salutis auctor: sed etiam pupillorum tutor, viduarum patronus, & omnium deniq; qui propter inopiam potentium iniurijs nimis obiecti sunt, acerrimus defensor atq; conseruator. Semper enim tuetur innocentiam, retundit improbitatem, subsidio occurrit imbecillitati, & prædam è tyrannorum faucibus extorquet. Opes, quas congerit, nõ sibi, sed patrię congerit, easq; libentissimè cū fortibus & spectatis hominibus, qui Remp. virtute et industria tuentur,

munificè atq; largè communicat. Quod vt re-  
ctius facere queat, erit in priuato sumptu cō-  
tinens, in publico liberalis, domi frugali-  
tatis laudem quæret, in templorū verò orna-  
mentis, in publicis moenibus, in ciuitatū pro-  
pugnaculis, in regnī deniq; totius patrocínio  
virtutis & magnificentiæ nomen immortale  
consequetur. Ita demum vitam instituet, vt nō  
se sibi; sed patriæ natum existimet. Nunquā em̄  
in regno administrando decōmodis suis, sem-  
per autem de patriæ salute cogitat, vsq; adeò  
vt dum patria tranquilla pace & honesto otio  
frui valeat, ipse labores ingentes libentissimè  
toleret: & vt salutem Reip. tueatur, sponte vi-  
tam in summū discrimen salutis inducat. Qui  
potest igitur fieri, vt si rex tam diuinis virtuti-  
bus ornatus fuerit, & si illius tanta merita &  
beneficia in Remp. vniuersam constiterint: nō  
ab omnibus eximie diligatur, & non vniuersi  
ciues pro illius dignitate vitam in summum  
discrimen iniiciant; & sint in obsequio illius  
summa fide & alacritate consentientes: Quod  
igitur tyranni neq; viribus, neq; potentia, ne-  
que minis, neque supplicijs obtinere possunt:  
id Reges virtute, & pietate, & lenitate, & be-  
nificētia facillimè cōsequuntur. Quod si vera  
voluptas est comes honestatis, si summæ sapi-  
entiæ partus, si opera summo opere & excel-  
lente perfecta consequitur: quæ tandem volu-  
ptas erit Regis, cū se viderit tantis in omni  
genere virtutis ornamentis excultum, & tam  
diuinis opibus à Deo summo, quem vita, &  
imperio, & præclarissimis institutis imitatur;

DE REG. INSTIT. ET

egrègiè cumulatum? & cùm opus, quod suscepit, diuino quodam artificio perfectum & absolutum aspexerit, in quanta tandem lætitia & voluptate versabitur? quanta & quàm incredibili iucunditate perfruetur? quantum denique fructum ex virtute & sapientia sua percipiet? Hinc planè liquet, quàm falsum sit id, quod antiqui Sophistæ disputabant: Iustitiam nempe esse bonum alienum, malum verò proprium: eo, quod iusti bona sua potius interire sinant, quàm fidem violent, aut aliorum bona suæ fidei commissa dilabi atq; dissipari patiantur. Non intelligebant homines amentes & perditæ, quæ sit verorum bonorû atq; malorum ratio; & idcirco in tam falsas & inanes sententiâs incidebant. Vt enim nemo potest alicui iniuriam facere, quin lôgè sibi peius noceat, quàm illi, cui iniuriam intulit: alterius enim corpus lædit, aut fortunas imminuit, animi autè sui statum conuellit, foedissimûq; suæ menti vulnus infligit: ita nemo potest alteri opem afferre, quin sibi ipsi maius emolumentum & utilitatem paret, quàm illi, quem iuuat, attulerat. Opibus tuis aliorum inopiam sustentas: opes ipse tibi stabiles atq; sempiternas in animo recondis. Auxilio & consilio, & gratia aliquem bonum virum iuuas: ipse diuina ope & auxilio firmaris. Vitam aliorum tuendam suscipis: & ea ratione vitam immortalem consequeris. Aliorum famæ & honestati cõsulis: & ipse tibi eo officio laudem & honestatem summâ concilias. Deniq; quidquid est illud, quod ad aliorum utilitatem cõfers, id cû multiplicato foenore



fœnore recipis, & virtutis ipsius fructu cū gau-  
 dio ingenti cumularis. Quò autem virtus am-  
 plior est, & illius vtilitas ad plures emanat: eò  
 sunt animi opes ampliores, & lætitia maior,  
 & status ipsus animi clarior & magnificenti-  
 or. Cùm verò nulla humana virtus virtute re-  
 gia clarior sit, nec quæ ad plures pertineat: re-  
 liquum est, vt nemo sit in Rep. bene constituta  
 atque beata ipso rege, qui Remp. beatam effi-  
 cit, felicior atque beator. Insomit quidē ille  
 in publicam vtilitatem aurum & argentum,  
 & opibus interim diuinis augetur: vigilat, vt  
 subditi securè dormire possint, ex ea autē vi-  
 gilantia fructum eximiæ securitatis atq; sum-  
 mæ voluptatis assequitur: multos quidem la-  
 bores excipit, sed animi interim summa quie-  
 te & tranquillitate perfruitur: multis se peri-  
 culis exponit, sed ita, vt clarior, & amplior, &  
 amabilior ea virtute fiat: vitam breuem & exi-  
 guam pro patriæ salute in discrimē adducit,  
 sed ea ratione nominis immortalitatem & vi-  
 tam sempiternā adipiscitur: ætatem in Repu.  
 summa animi cõtentione & studio tuenda cõ-  
 sumit, sed artis & sapientiæ suæ fructum am-  
 plissimum percipit, cùm Remp. à se opulentā,  
 fortem & liberam, & moderatam, atq; omnib<sup>9</sup>  
 opibus amplificatam considerat. Nec enim di-  
 cet idem, quod Cęsar olim Octavianus de Ro-  
 ma dicebat. Inueni lateritiam, relinquo mar-  
 moream. Sed quid dicet? inueni Remp. exhau-  
 stam, relinquo opibus affluentem: inueni fra-  
 gilem & imbecillam, relinquo virtute muni-  
 tam: inueni flagitijs infamem, relinquo mori-  
 bus

bus egregiè constitutam: inueni dissidentem, relinquo mutua ciuium inter ciues caritate deuinctam: inueni temerariam & insanam, relinquo sapientiæ disciplinis exultam: inueni deniq; vt vno verbo dicam, miseram, & relinquo beatam. Quid, cum viderit, hoc tantum atq; tam præclarum opus esse operi illi simillimum, quod à summo coeli rectore perfectum, omnibusque suis numeris & partibus absolutum mente complectitur? vt enim ille celum, terras, maria, omnesque naturas forma dissimiles, vi repugnantes, motu contrarias, vna eademque perpetua lege moderatur atq; connectit: ita vt ex omnibus partibus aptissima ratione & numero colligatis, vnum mundum specie pulcherrimum, & stabilitate firmissimum, quem à principio finxit, eodem imperio & ratione conseruet: ita rex è diuersis hominum naturis, & studijs dissimilibus atq; contrarijs, singulari tamen modo & ratione ad vnum finem reductis, & inter se foedere & societate deuinctis, vnam Remp. efficit gloria & honestate clarissimam, & viribus atque virtute munitissimam. Et quemadmodum Rex ille summus atque Pater optimus non sibi, nec enim opibus vllis indigebat illa natura præcellens atq; beatissima, sed nobis mundum ædificauit, eundemque ad nostros vsus rerum omnium copia & vbertate compleuit: ita Rex hic noster non suis commodis seruiet, sed omnes opes suas ad Reipublicam utilitatem conferet, & propriæ utilitatis oblitus operam dabit, vt respublica omnibus bonis, quæ vel ad corporis victum & cultum, & ad

& ad animi præsidium & ornatum fuerint necessaria, redundet. Postremò quemadmodum rerum omnium parens & conditor in operibus à se perfectis acquieuit, & illis, quemadmodum Sanctæ literæ loquuntur, oblectatus est: ita Rex hic Republ. à se egregiè moderata atque constituta animo conquiescit, & eximia quadam iucunditate perfunditur. Nec enim hic noster Reipub. conditor vllis viribus impediri poterit, quo minus institutum sapienter opus feliciter absoluat. Cùm enim sit sapientia prouidens, æquitate rectus, virtute inuictus, frugalitate moderatus, religione sanctus, atque ita (ne plura dicam) ipsi Deo similitudine vitæ coniunctus, vt nec ab illius coniunctione distrahi, nec illius ope destitui possit; omnia profectò, quæ ad Reipub. salutem pertinebunt, facilè atque feliciter exequetur; & ita ingenti gaudio cumulabitur. Non igitur negotium est rãtis difficultatibus obstruñum, quantis multi suspicantur: ad sit modò virtus, iustitio, disciplina, quam sumus oratione complexi, pietas in patriam, & fides, & religionis studium, & reliqua amplissima dignitatis ornamenta atque præsidia Regis animum exornent, atque robore diuino communiant; nihil erit tam arduum atq; difficile, quod non (vt sepè iam dixi) facilimè & felicissimè tráfigatur. Quid hic dicã, quanta voluptas illa sit, quam assiduè percipit ex Dei familiaritate et consuetudine? quàm suauis colloquio spiritus diuini perfruatur? quantis diuinæ mentis viribus ad studiũ diuinitatis incitetur? quãta spe

nexus



DE REG. INST. ET DISC. LIB. VIII:  
nexus ad hæreditatem Regni sempiterni atq;  
coelestis aspiret? Quàm magna (inquit Rex il-  
le sanctissim<sup>us</sup>) multitudo dulcedinis tuæ Do-  
mine, quam referuasti diligentibus te? Alibi  
verò ait: Omnes qui ad Deum accedunt, torré-  
te sempiternæ lætitiæ cõpleri, & gaudijs sem-  
piternis inebriari. Et ne pluribus verbis in ex-  
plicatione rei illius utamur, quæ nullius ver-  
bis explicari potest: hoc sanè constat, nihil esse  
quod puram, & liquidam, & constantem, atq;  
summam voluptatem efficiat, præter sapien-  
tiam & verissimam dignitatem: quæ cùm tan-  
tò clarius elucere debeat in Regibus; quàm in  
cæteris hominibus, quantò amplior & magni-  
ficentior est gradus, in quo locati sunt: conse-  
quens est, ut illorum voluptas sit plenior, & cõ-  
stantior, & spe etiam illius summi & altissimi  
loci, qui designatus est omnibus Regibus, qui  
pietatem coluerint, & plurimum operæ & stu-  
dij in publicam salutem contulerint, augea-  
tur, mirisque in dies accessionibus amplifica-  
tur. Sed de regno illo cælesti nihil dicere pos-  
sumus, cùm nemo illius opes ingenio & cogi-  
tatione complecti valeat, ad quas æuo sem-  
piterno perfruendas aliquando tan-

dem Christi gratia & be-  
neficio perueha-  
mur.

L A V S D E O.

I N D E X

INDEX RERVM MEMORABILIVM, QVAE  
 IN HOC LIBRO CONTINENTVR,  
 summa cum diligentia, & accurata  
 industria congestus.

A.

|  |                                |
|--|--------------------------------|
| <b>A</b> dulationis initium atque fundamentum quod<br>nam. | 37.                            |
| Adulatore nullum monstrum immanius.                        | 45                             |
| Adulatores.  | 45. 66                         |
| Adulatores ingenio quantum valeant.                        | 58                             |
| Adulatores quid maximè excruciet.                          | 155                            |
| Adulatores Rebusp. quàm perniciosi.                        | 47. 48. 49. 50.<br>51. 52. 57. |
| Adulatorum auaritia.                                       | 46                             |
| Adulatorum copia, vbi maxima.                              | 46                             |
| Aequitatis fons quis sit.                                  | 191                            |
| Aethiopes Regem quem eligebant.                            | 106                            |
| Aglauros.  | 231                            |
| Agricultura nulla ars Reip. locupletandæ vtilior           | 211                            |
| Agriculturæ commendatio.                                   | 207. 208. 210                  |
| Alcæ ludus totius mali fons.                               | 233                            |
| Alexander Magnus.  | 118. 121                       |
| Alexander regnare quando cœperit.                          | 179                            |
| Alfonsi, primi Lusitanix Regis, studium religio-<br>nis.   | 194                            |
| Amatoris officium.   | 355                            |
| Amatores flagitiosi, hostes appellandi.                    | 62                             |
| Ambitio.   | 1                              |
| Amor quid.   | 62. 143                        |
| Amore nihil honestius.                                     | 62                             |
| Amoris indicium animos amore conciliat.                    | 61                             |
| Anaxarchus.  | 142                            |
| Animi tumor vnde nascatur.                                 | 144                            |
| Animi partes quot, & quæ.                                  | 148                            |
| Animi bona quæ.  | 208                            |
| Animi magnitudo sine moderatione furor est.                | 41.<br>119                     |
|  | Animi                          |

# INDEX.

|  |              |
|--|--------------|
| Animi magnitudo ingenuis hominibus quæ necessaria.                       | 26           |
| ex Animo paruo quæ vitia oriantur.                                       | 241          |
| in Animo infixum quid permaneat.   | 126          |
| ad Animos moderandos quid accommodatissimū.                              | 217          |
| Animos quid coniungat.   | 15           |
| Animus suauitate quando compleatur.                                      | 123          |
| Animus natura vigens.  | 264          |
| Animus quando obtundatur.  | 264          |
| Appetitus.   | 105          |
| Archimedes.  | 14           |
| Aristoteles alexandri Magni præceptor.                                   | 118          |
| Arithmetica quantum valeat.  | 129          |
| Arithmeticæ imperitus, Regis officio indignus.                           | 127          |
| Armorum contemptus pœna est à deo nationibus propter peccata constituta. | 214          |
| Armorum studium Principibus quantam pariat gloriam.                      | ibid.        |
| Artes, quibus Dei numen placatur, quæ sint.                              | 22           |
| Artium liberalium cognitio ad vitæ constantiam maximè necessaria.        | 127          |
| Artium liberalium laus.  | 126          |
| Affiduitas.  | 8            |
| Astronomia cū Regis amplitudine maximè congruens.                        | 130          |
| Astronomiæ utilitas.   | 129 & seq.   |
| Auaritia.  | 222. 249     |
| Auaritia quid hortetur.  | 240          |
| Auctoritas qua in re constituta.   | 177          |
| Auctoritas Regi necessaria.  | ibid.        |
| B.   |              |
| BEata vita qua in re collocanda.   | 171. 09. 245 |
| Beata vita qua re contineatur.   | 119. 245     |
| Bella, quibus humanæ opes funditus euertuntur, quæ sint.                 | 251          |
| Bella non nisi necessariò sumenda.                                       | 50           |
| Belli metus quid efficiat.   | 249          |
| Belli duces, Regis benignitate alendi.                                   | 213          |
| Belli neruus quis.   | 57           |
| Bello.   |              |



# I N D E X.

|   |             |
|---|-------------|
| Bellum mouere, non semper vtile.          | 202         |
| Bellum quò referendum.                    | 203         |
| Bellum virtute, non pecunia conficitur.   | 197         |
| Benignitas vnde orta.                     | 110         |
| Bona quotuplicia sint.                    | 245. & seq. |
| Bona animi quæ.                           | 208         |
| Bona corporis quæ.                        | 246         |
| Bona quibus in rebus consistant.          | 9           |
| Boni principis officium quodnam.          | 114         |
| Boni eloquentia quamobrem corroborandi.   | 252         |
| Bonorum compotes qui fiant.               | 236         |
| Bruta animantia hominibus quare subiecta. | 43          |

## C.

|   |          |
|---|----------|
| <b>C</b> aligula.                                       | 263      |
| Cambyfes.   | 142      |
| Cantu ad flectendum animum nihil efficacius.            | 122      |
| Caritas animos incendit.                                | 219      |
| Caupones Reip. necessarios, Plato confirmat.            | 211      |
| Christiani ab Ethnicis quid differant.                  | 185      |
| ex Ciborum redundantia, quæ mala promanent.             | 107      |
| Ciuilis discordiæ concitandæ causæ quæ.                 | 157      |
| Ciuitas quid.   | 72       |
| Clarus quis existimandus.                               | 151      |
| Clementia nihil diuinius.                               | 266      |
| Colonus bonus malo quo præstet.                         | 271      |
| Corporis bona quæ.                                      | 245      |
| Corporis robur, ad res acriter agendas, quântum valeat. | 121      |
| Corporis voluptas fluxa.                                | 259      |
| κόσμος cur mundum significet.                           | 141      |
| Cultus idem ad animos coniungendos quantum valeat.      | 15       |
| Cupiditas quid.   | 37       |
| Cupiditatis violentia quanta.                           | 39       |
| Cyrus.  | 112. 210 |

## D.

|   |     |
|---|-----|
| <b>D</b> arius.                             | 108 |
| Decus quibus rebus comparetur.              | 3   |
| Dedecus verum vnde exoriatur.               | 115 |
| Dedecus horrere honestius est, quàm mortem. | 214 |

I N D E X.

|  |             |
|--|-------------|
| Deformes, miseri sunt.                                   | 149         |
| Dei consilium quis contemnat.                            | 273         |
| Demaratus.   | 144         |
| Dementia summa quæ sit.                                  | 187         |
| Demosthenes Platonis discipulus.                         | 20          |
| Desidiosus rex, non rex appellandus, sed vile mancipium. | 83          |
| Deus, fons omnium bonorum.                               | 191         |
| Dialectica, eloquentiæ fundamentum.                      | 132         |
| Dialectica regio muneri maximè cōsentanea.               | 132         |
| dicendi finis quis.                                      | ibid.       |
| Dicendi genus Rex quodnam colere debeat.                 | 135         |
| Dignitas qua in re sita.                                 | 152         |
| Disciplina corrupta & vitiosa quantum valeat.            | 218         |
| Disciplina in bello plus valet, quàm fortitudo.          | 219         |
| de Diuino numine paruam opinionem qui concipiant.        | 216. & seq. |
| Diuitiæ bellorum materiam præbent                        | 211. & seq. |
| Diuitiæ, qua in re collocandæ.                           | 178         |
| Doctorū arrogantia in pueris institue ndis detestanda.   | 119         |
| Dolor verus vnde existat.                                | 117         |
| Dolorem contemnere difficile.                            | 39          |
| Dominandi cupiditas cæca.                                | 89          |
| Dulce quid.  | 264         |

E.

|  |            |
|--|------------|
| <b>E</b> ducatio quorundam Regum.        | 42. & seq. |
| Ex Educatione praua, quæ vitia oriantur. | 69         |
| Eloquentia nihil admirabilius.           | 134        |
| Eloquentia Regis munus.                  | 13         |
| Eloquentia boni cur corroborandi.        | 251        |
| sine eloquentia, probitas inermis est.   | 134        |
| Eloquentiæ laus.                         | 133. 136.  |
| Eloquentiæ vis.                          | 20         |
| Eumolpus.                                | 231        |
| Euryxus quis dicatur.                    | 177        |

F.

|                                  |     |
|----------------------------------|-----|
| <b>F</b> elices qui appellandi.  | 177 |
| Felicitas in quo constituta.     | 192 |
| Felicitas sapientiæ adscribenda. | 178 |
| Felici-                          |     |

# I N D E X.

|   |             |
|---|-------------|
| Felicitas qua in re consistat.                                | 177. & seq. |
| Felix quis.   | 192         |
| Felix medicus quis dicendus.                                  | 177         |
| Fidem datam fallere plerumq; licet.                           | 32          |
| Fides animos cogit.   | 219         |
| Fides quomodo fiat.   | 132         |
| Finis, quem rex intueri debet, quis.                          | 136         |
| Florens Reip. status quomodo perficiatur                      | 107. 128    |
| Fortis quis.  | 218         |
| Fortitudo quid.   | 67          |
| Fortium hominum virtus patriæ fundamētum cōtinet.             | 214         |
| Furiosi hominis quid sit proprium.                            | 38          |
| G.  |             |
| Geometria quàm necessaria.                                    | 129         |
| Geometriæ laus.   | ibid.       |
| Gloria quomodo comparetur.                                    | 50          |
| Gloria immortali quis dignus.                                 | 151         |
| Grammaticæ ignoratio omnium malorum principium.               | 71          |
| contra Grāmaticæ præscriptū quis faciat.                      | 72          |
| H.  |             |
| Homines ad misericordiam quid maximè inuitet                  | 87          |
| Hominis pars potissima quæ.                                   | 38          |
| Hominum genus quotuplex.                                      | 37          |
| Hominum insipientium duo genera.                              | 214         |
| Hominum virtutis ornamentis redundans, Rex existimandus, est. | 265         |
| Honestas quibus rebus comparetur.                             | 3           |
| Honestas in diuinis opibus numeranda.                         | 191         |
| Honestatis elegantiam in quo splendeat.                       | 190         |
| præ Honestatis studio vita contemnenda est.                   | 242         |
| Honestate nihil vtilius.                                      | 241. & seq. |
| Honoris studio virtutes excitantur.                           | 78          |
| Honos repentinus sensum quibus eripiat.                       | 238         |
| Hostes interni magis metuendi, quàm externi.                  | 251         |
| Humana vnde pendeant.   | 241         |
| I.  |             |
| Ignauia nihil deformius.                                      | 114         |
| Imperandi ratio in quo posita.                                | 204         |



# I N D E X.

|   |                 |
|---|-----------------|
| ad Imperandum quis maximè aptus.                                      | 87              |
| Imperator bonus à malo quid differat.                                 | 271             |
| Imperiti quid aspiciant.  | 263             |
| Imperium quàm sit necessarium.  | 35              |
| Industria nihil præclarius.   | 214             |
| Iniuriam quis facere possit.  | 277             |
| Infani qui sint.  | 271             |
| Inscitia non omnis execranda.   | 65              |
| Insolentia vnde nascatur.   | 144. & seq.     |
| Invidia totius honestatis inimica.                                    | 83              |
| Ira quid sit.   | 36              |
| ad Iudicandum quales viri eligendi.                                   | 227             |
| Iudices, legum custodes.  | 205             |
| Iudices, quibus virtutibus ornati esse debeant.                       | 222             |
| Iuris ciuilibis nimij studij vituperium.                              | 30              |
| Iuris ciuilibis disciplina Reges an sint imbuendi.                    | 29              |
| Iuris consultus maximus quis habendus.                                | 30              |
| Iustitia  | 79. 221. & seq. |
| Iustitia nullum donum ad Dei gratiam cõciliandã præstantius.          | 38              |
| Iustitia Principibus summo studio colenda.                            | 23              |
| Iustitia quid.  | 149             |
| Iustitia in Rege, arithmetices artis ignaro, locum habere non potest. | 128             |
| Iustitiæ fons, Deus.  | 191             |
| Iustitiam quis colat.   | ibid.           |
| Iustus quis sit.  | ibid.           |

## L.

|   |     |
|---|-----|
| <b>L</b> abor honestatem quò magis attingit, eò iucundiorẽ vitam efficit. | 268 |
| Labores consuetudine fiunt leues.   | 108 |
| Laborum fuga quid facere admoneat.  | 240 |
| Laudis vis.   | 269 |
| Laus boni Regis in moderatione collocanda.                                | 25  |
| Leges diuina sunt munera.   | 141 |
| Leges quomodo imponendæ.  | 135 |
| Leges quæ ferendæ.  | 227 |
| Legum vtilitas.   | 142 |
| Legum crebra commutatio quantam perniciem publicæ saluti adferat.         | 139 |
| Lenitas sine fortitudine, timiditas dicenda.                              | 247 |

I N D E X.

|  |                |
|--|----------------|
| Lex quid.  | 140            |
| Liberalis quis.  | 128.           |
| Iiberi qui sint.   | 87             |
| Libertas quid.   | 143            |
| Libido quid:   | 36             |
| Literarum laus.  | 25             |
| Loquendi eadem consuetudo ad animos cōiungē<br>dos quantum valeat. | 15             |
| Lusitaniæ Regum laus à terræ cultu.                                | 211            |
| Lusitaniæ Reges, quibus rebus illustrati.                          | 22             |
| Lusitaniæ Principum cōmendatio à studijs litera-<br>rum.           | 150. 186       |
| Lusitaniæ Reges victorias quomodo sint adepti.                     | 22             |
| Lusitaniæ Regum mos.   | 205            |
| Lycurgi lex de pueris educandis.                                   | 230            |
| Lycurgus Lacedæmon.  | 41             |
| M.   |                |
| <b>M</b> agistri Regibus quales quærendi.                          | 118            |
| Magnanimus quis.   | 157            |
| Mala quæ censenda.   | 8 & seq.       |
| Mali depellendi ratio in quo consistat.                            | 189            |
| Manlius Torquatus.   | 221            |
| Mars quid designet.  | 122            |
| Medici boni officium.  | 172            |
| Mediocritas regibus quæ tenenda.                                   | 35             |
| Mendaces miseri.   | 115            |
| Mendacij origo, qua in re constituta.                              | 114            |
| Mendacium.   | 113. 115. 116. |
| Mendacium in quo constitutum.                                      | 120            |
| Mens potissima pars hominis.                                       | 38             |
| Mens humana, diuinæ mentis imago.                                  | 270            |
| Mentiri homines quid cogat.  | 115            |
| Mentis elatio quàm detestabilis.                                   | 151            |
| Mercatores Reip. vtilis & necessarij.                              | 211            |
| Metus quid.  | 113            |
| Metus in quos cadat.   | ibid. & seq.   |
| Miles quomodo debeat esse institutus.                              | 247            |
| Militiæ prima laus, qua in re ponenda.                             | 221            |
| Milites religionis quid admoneat.                                  | 219            |
| Milites quomodo erudiendi.   | ibid.          |
| N n 3  | Militium       |

# I N D E X.

|   |     |
|---|-----|
| Militum præfecti quales deligendi.                        | 237 |
| Moderatio sine animi magnitudine, negligentia quædam est. | 105 |
| Moderatione nihil præstantius & salutaris.                | 25. |
|   | 244 |
| Modestia sine animi magnitudine, ignavia dicenda.         | 41  |
| Modestix laus in quo splendeat.                           | 190 |
| Modestix ratio qua in re consistat.                       | 221 |
| Modus in gloriæ studio, regibus quis obseruandus          | 92  |
| Modus omnibus in rebus adhibendus.                        | 25  |
| Morum præfecti quales creandi.                            | 237 |
| Multitudo quid cupiat.                                    | 244 |
| Mundus cui ædificatus.                                    | 278 |
| Munus diuinum quodnam.                                    | 275 |
| Musica.   | 121 |
| Musica, liberalis disciplina.                             | 124 |
| Musica regibus maximè necessaria.                         | 112 |

## N.

|   |             |
|---|-------------|
| <b>N</b> atura nihil in nobis præstantius.              | 266         |
| Natura humana quietis impatiens est.                    | 109         |
| Natura malefici qui sunt, ij tyranni habendi sunt.      | 262.        |
| Negligentia, tarditatis & timiditatis argumentum.       | 130         |
| Nimis adulatorum proprium.                              | 38          |
| Nimia subtilitas in legum scientia, quàm sit pestifera. | 223         |
| Nobiles ab ignavia quomodo deterrendi.                  | 125         |
| Nobilibus quod munus impositum.                         | 235. & seq. |
| Nobilitas vera vnde oriatur.                            | 83          |
| Nobilitatis ignavia Remp. euertit.                      | 234         |
| Nullum violentum diuturnum.                             | 35          |
| Numinis placatio qua re contineatur.                    | 189         |

## O.

|  |     |
|--|-----|
| <b>O</b> bedientia quid.                                       | 4   |
| Obiectio eorum, qui nolunt Principes & Reges literis institui. | 131 |
| Obscuro  |     |



# I N D E X.

|   |     |
|---|-----|
| Obscœna verba, regis præstantia indigna.                            | 123 |
| Officiorum confusio quantum detrimenti rebus<br>communibus adferat. | 28  |
| Opem ferre quis possit.   | 277 |
| Opes quæ parandæ.   | 252 |
| Optimi Principis munus quodnam.                                     | 215 |
| Oratoris proprium est, aptè adpersuadendum di-<br>cere.             | 202 |
| Otij comes, extrema desperatio est.                                 | 137 |
| Otij detestatio.  | 213 |
| Otio nihil molestius.   | 258 |
| Otium quod expetendum.  | 252 |
| Otium nobilitati summo studio fugiendum.                            | 233 |
| Ozias.  | 118 |

## P.

|  |       |
|--|-------|
| <b>P</b> Acce imperia florentissima corruere.                              | 248   |
| in Pace quid providendum.  | 252   |
| Pacis artes quò conferendæ.  | 41    |
| Palæstra, regia dignitate indigna.   | 25    |
| pro Patria vitam in discrimen adducere, nihil lau-<br>dabilius.            | 236   |
| Patriæ salus in legibus sita.  | 1     |
| Patriæ salutem propriæ præferre diuinæ virtutis<br>est.                    | 50    |
| Pax quomodo parienda.  | 57    |
| Pax quæ dicenda.   | 313   |
| Perfidus quis putandus.  | 32    |
| Pericles Anaxagoræ auditor.  | 20    |
| Perfarum Reges cur Magni dicti.  | 88    |
| Perfarum mos in Regibus instituendis.                                      | 106   |
| Philosophia.   | 253   |
| Philosophia Reges imbuendi sunt.   | 22    |
| Philosophiæ studium, non assiduò cultum, elabi-<br>tur & excidit.          | 17    |
| Philosophiæ vituperium.  | 11.19 |
| Philosophiam ad considerationem mentis huma-<br>næ quis primum traduxerit. | 24    |
| Philosophi sapientis hominis officium in quo po-<br>situm statuunt.        | 12    |
| Philosophorū vultu nihil magis à populi moribus                            | alic- |

# I N D E X.

|   |                |
|---|----------------|
| alienum.  | 15             |
| Pietas vnde extet.  | 130            |
| Pietate Regibus nihil magis decorum.                                | 148            |
| Poëma quid sit.   | 120            |
| Poetæ lasciu, quàm sint perniciosi.                                 | 123            |
| Poetæ Regibus qui sint enarrandi.                                   | 121            |
| Politico homini virtus, quæ imitanda.                               | 17             |
| Populi rector quid moliat.  | 8              |
| Populus.  | 88             |
| Potentia in quo posita.   | 59             |
| Princeps potentissimus quis habendus.                               | ibid.          |
| Principem esse bonum & clementem quamobrem<br>conueniat             | 21             |
| Principe religioso nihil beatius.                                   | 275            |
| Principe furioso nihil funestius.                                   | 4              |
| Principibus interdum mentiri licet.                                 | 33             |
| Principis opes in honestissimorum hominum a-<br>micitia collocandæ. | 171            |
| Principis institutio quò referenda.                                 | 59             |
| Principis officium quod.  | 223            |
| Principum studia quò conferenda.                                    | 20             |
| Principum pædagogis quid perficiendum.                              | 106            |
| Probitas eloquentiæ præsidio nudata, inermis est.                   | 134            |
| Prudentia quomodo comparanda.                                       | 178            |
| Prudentiæ munus quod.   | 213            |
| Prudentis principis officium.                                       | 172            |
| Pudor ingenuis hominibus necessarius.                               | 42             |
| ad pudorem conseruandum quid vtile.                                 | 113            |
| Puerilis institutionis vis & <i>iv̄εργεια</i> .                     | 87             |
| Pulchri qui sint.   | 148. & seq.    |
| Pulchritudo qua in re sita.   | 152            |
| Pulchritudo quid sit.   | 129. 147. 149. |

*Q.*

**Q**uam materiam Regem tractare conueniat 136.

Quæ Principū institutio maximè probanda. 138  
quæ virtutes ijs, qui viri magni futuri sunt, ab ine-  
unte aetate comparandæ. 41

Qui animi opibus abundat, nulla virtus deest. 246

Qui inuitis imperat, tyrannus appellandus est. 86

*Qui*

# I N D E X.

|   |     |
|---|-----|
| Qui in verbis delinquit, is in officio delinquit.     | 62  |
| Qui poetæ à Regis aditu repellendi.                   | 120 |
| Qui dat, quod non potest, stultus est.                | 108 |
| Qui acutissimè videant.                               | 272 |
| Quid maximè curandum Principis magistro.              | 119 |
| Quid spectare debeant, qui Remp. ratione moderantur.  | 80  |
| Quis sibi noceat.                                     | 270 |
| Quot modis quis à plebis turba segregandus.           | 153 |
| Quot vitijs contaminentur, qui insolenter efferuntur. | 151 |

## R.

|  |             |
|--|-------------|
| <b>R</b> atio quid sit.  | 36          |
| Regere quid sit.   | 8           |
| Reges quibus nutricibus committendi.   | 112         |
| Reges quibus studijs instituendi.  | 9           |
| Reges nascuntur, non fiunt.  | 86          |
| Reges qui appellandi.  | 157         |
| Reges quantis curis impliciti.   | 12          |
| Reges religionis studio an imbuendi.   | 26          |
| Reges in Dialectica exercendi.   | 131         |
| Reges Iouis saturo procreati.  | 184         |
| Regem interdum iudicijs interesse, vtile est.                                | 105         |
| Reges ab initio quales fuerint   | 198. & seq. |
| Reges ab omnibus diliguntur.   | 146         |
| Regi iudicare an liceat.   | 203         |
| Regi gloria vnde quærenda.   | 202         |
| Regi in cantu quot vitia vitanda.  | 123         |
| Regi quid maximè oppositum.  | 264         |
| Regibus quid præcipuè providendum.   | 158. & seq. |
| Regibus, qui auctores enarrandi.   | 119         |
| Regibus, quæ virtutes maximè necessariae.                                    | 59          |
| Regibus in distributione munerum, quæ providenda.                            | 235         |
| Regibus quantum temporis in literarum studio ponendum.                       | 181         |
| Regibus tempore pacis quid faciendum.  | 251         |
| Regis amentia Rebusp. quam perniciofa.                                       | 35          |
| Regis animus religione imbuendus est.  | 117         |
| Regis imperium, ad ciuitatis concordiam firmè constituendam, quantum valeat. | 80          |



# I N D E X.

|   |  |           |
|---|--|-----------|
| Regis officium.                                     | 9. 19. 81. 140. 142. 202. 207. 218. 220. | 230. 257. |
| Regis pietas qua in re maximè cernatur.             |  | 206       |
| Regia arte nulla præstantior.                       |  | 267       |
| ad Regis familiaritatem, qui admittendi.            |  | 157       |
| Regis consiliarij quales esse debeant.              | 239. & seq.                              |           |
| Regis vita iucunda.                                 |  | 264       |
| Regis opes, rebus quot, & quibus muniendæ.          |  | 156       |
| Regis religio qua in re collocanda.                 |  | 29        |
| Regnandi libido, rebus humanis quàm sit perniciofa. |  | 1.        |
| Regni cupiditas, discordiæ seminarium.              |  | 89        |
| in Regno opes & diuitiæ quomodo comparètur.         |  | 82        |
| Regum magistris in quo vigilandum.                  |  | 8. 10     |
| Regum ius qua in re constitutum.                    |  | 51        |
| Regum filij quomodo educandi.                       |  | 42        |
| Reipublicæ salus in legibus consistit.              |  | 216       |
| Reipub. Principes quid exquirant.                   |  | 244       |
| Reipub. interitus in quo consistat.                 |  | 28        |
| Religio. fons omnium virtutum.                      | 117. & seq.                              |           |
| Religio nimia, pigritiæ causa.                      |  | 28        |
| Religio Regibus summo studio colenda.               | 64. 194                                  |           |
| Religio quid.                                       |  | 194       |
| Religio sanctissima quæ habenda.                    |  | 29        |
| Religio.  |  | 185       |
| Religio quid contineat.                             |  | 184       |
| Religionem quis colat.                              |  | 110       |
| Religionis quod caput.                              |  | 117       |
| Religionis auctoritas.                              |  | 191       |
| Rempub. tractare nihil difficilius.                 |  | 85        |
| Remp. iudex quomodo evertat.                        |  | 213       |
| Remp. quis regat.                                   |  | 73        |
| Rerumpub. tria genera.                              |  | 243       |
| Rex quid sit.                                       | 8. 45. 140. 206. 207.                    |           |
| Rex quis censendus.                                 |  | 3. 73     |
| Rex à Tyranno quid differat.                        | 4. 73. 84. 142                           |           |
| Rex liberorum hominum moderator.                    |  | 86        |
| Rex qualis optandus.                                |  | 92        |
| Rex sapiens quis habendus.                          |  | 183       |
| Rextorius honestatis architectus.                   |  | 83        |
| Rhetorica regibus instituendis accommodatissima.    | 133                                      |           |
| Roboa-  |  |           |

# I N D E X.

|   |                         |
|---|-------------------------|
| Roboami temeritas.  | 187                     |
| Roma libertatem primùm quando amiserit.                           | 20                      |
| Romani rerum quamdiu potiti.                                      | 220                     |
| Romanis miles quis habebatur optimus.                             | 221                     |
| Romanorum religio.  | 183                     |
| Romanorum mos tempore belli.                                      | 212                     |
| S.  |                         |
| Sacerdotis quid sit proprium.                                     | 206                     |
| Sanitas in corpore quid sit.                                      | 129                     |
| Sanitatis ratio in corporis exercitatione ponenda.                | 108                     |
| Sanitatem in corpore quid efficiat.                               | 41                      |
| Sapiens quis sit.   | 38. 151. 180. 270. 271. |
| Sapientes Principes quos sibi coniungere debeat.                  | 170                     |
| Sapientes vulgo suspecti.   | 15                      |
| Sapiens ab insipiente quid differat.                              | 77                      |
| Sapientia.  | 257.                    |
| sapientia Regibus maximè necessaria.                              | 4. 73                   |
| Sapientia cui maximè necessaria.                                  | 181                     |
| Sapientia Regis officio maximè conueniens                         | 178                     |
| Sapientia vnde comparetur.  | 180                     |
| sapientia summa in quo posita.                                    | 271                     |
| Sapientiæ laus.   | 178                     |
| sine Sapientiæ moderatione nihil in vita boni.                    | 76                      |
| Sapientiam diuinam quis adipiscatur.                              | 275                     |
| Sapientiam quo in statu sitam philosophi decernant.               | 39                      |
| Sapientis officium quò referatur.                                 | 76                      |
| Scedafus.   | 224                     |
| Sceleratorum hominum supplicio, Deo nullum sacrificium acceptius. | 225                     |
| Seruitus quæ misera & detestabilis.                               | 108                     |
| Seruitus qua honestati paremus, libertas appellanda.              | 143                     |
| Solon.  | 41                      |
| Solonis lex   | 121                     |
| Somnus, curarum perfugium.  | 263                     |
| Statum suum tueri, pacis tempore difficile est.                   | 248                     |
| Studia liberalium artium.   | 74                      |
| Stultitia quæ detestanda: & quæ ferenda.                          | 65                      |
| Summa sapientia in quo collocanda.                                | 273. & seq.             |
|   | Super.                  |

I N D E X.

|  |               |
|--|---------------|
| Superbia vnde nascatur.  | 250           |
| Superbia vitium quàm deforme.  | 151           |
| Superstitio quid.  | 118. 194      |
| Superstitio à religione quid differat.                                     | 118           |
| F.   |               |
| <b>T</b> eleutias, vir qualis fuerit.                                      | 204           |
| Temeritas omnium malorum summa.  | 65            |
| Temeritate armata nihil funestius.   | 216           |
| Temeritatis initium in quo amore cōstitutum.                               | 47            |
| Thales.  | 11            |
| Theodosius Magnus.   | 112           |
| Timiditate nihil deformius.  | 130           |
| Turpitudine nihil calamitosius.  | 76            |
| Tyranni eloquentiæ studiosi.   | 137           |
| Tyranni proprium quid sit.   | 81            |
| Tyranno nihil miserius.  | 267           |
| Tyrannorum vita acerba.  | 263           |
| Tyrannorum vita.   | 261           |
| Tyrannus.  | 73. 15.       |
| Tyrannus quis sit.   | 142           |
| Tyrannus à Rege quid discrepet.  | 4. 73. 83. 86 |
| V.   |               |
| <b>V</b> enetorum ciuitatis commendatio.                                   | 80            |
| Venus quid designet.   | 122           |
| Verecundia quid sit.   | 218           |
| Veritas.   | 113           |
| Veritatis parens quis sit.   | 116           |
| Vestium crebra commutatio quantum malorum<br>seminarium in se contineat.   | 119           |
| Victoria virtute comparatur.   | 184           |
| Victoria in diuinis beneficijs numeranda.                                  | ibid.         |
| Virtus, quot, & quibus rebus tradenda.                                     | 153           |
| Virtus.  | 265           |
| Virtus Regibus summo studio retinenda.                                     | 48            |
| Virtute regia nulla clarior.   | 278           |
| Virtute vera spectata nihil magis aduersarium sal<br>sæ virtutis opinioni. | 63            |
| sine Virtute nullum firmum præsidium.                                      | 57            |
| Virtutes à quo promanent.  | 10            |
| Virtutes religionis sinu continentur.                                      | 26            |
| Virtutes honoris studio excitantur.  | 77            |
| Vir-   |               |



I N D E X.

|  |             |
|--|-------------|
| Virtutes vnde extent.  | 130         |
| Virtutis simulatione nihil perniciosius.                       | 89          |
| Virtutis vberimum præmium vbi cōstitutum.                      | 86          |
| Virtutis exempla vnde petenda.                                 | 53          |
| Virtutis officium.   | 17. 215.    |
| Virtutis specie assimulata, Reip. nihil magis perniciosum.     | 18          |
| Virtutis elegantia quibus in rebus constituta.                 | 122         |
| Virtutis ornamentum in imperijs parandis quantum valeat.       | 215         |
| Vita quibus iucunda.   | 265         |
| Vita beata in actione consistit.                               | 269         |
| Vita beata qua re contineatur.                                 | 115         |
| Vituperatio lasciuæ Musicae.                                   | 123. & seq. |
| Vnius legitimo imperio, ad Rempub. conseruandam nihil vtilius. | 81          |
| Voluptas in quo posita.  | 258. & seq. |
| Voluptas in nobis quotuplex.                                   | 259         |
| Voluptas quid.   | 264. 259    |
| Voluptas vera in virtute ponenda.                              | 265         |
| Voluptas vera quæ sit.   | 265         |
| Voluptas vnde oriatur.   | ibid.       |
| Voluptas qua in re collocanda.                                 | 264         |
| Voluptate quando afficiamur.                                   | 265         |
| Voluptates aspernari difficile est.                            | 39          |
| Z.   |             |
| Zaleucus Locris leges dedit.                                   | 191         |

FINIS INDICIS.

|     |     |
|-----|-----|
| 120 | ... |
| 121 | ... |
| 122 | ... |
| 123 | ... |
| 124 | ... |
| 125 | ... |
| 126 | ... |
| 127 | ... |
| 128 | ... |
| 129 | ... |
| 130 | ... |
| 131 | ... |
| 132 | ... |
| 133 | ... |
| 134 | ... |
| 135 | ... |
| 136 | ... |
| 137 | ... |
| 138 | ... |
| 139 | ... |
| 140 | ... |
| 141 | ... |
| 142 | ... |
| 143 | ... |
| 144 | ... |
| 145 | ... |
| 146 | ... |
| 147 | ... |
| 148 | ... |
| 149 | ... |
| 150 | ... |















